~~XXXI~~

XXXIV

JOANNIS MORINI

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU, PRESBYTERI

OPERA POSTHUMA:

I. De Catechumenorum Expiatione.
II. De Sacramento Confirmationis.
III. De Contritione & Attritione.

ACCESSERUNT

LUCÆ HOLSTENII DISSERTATIONES DUÆ de Ministro & Formâ Sacramenti Confirmationis apud Græcos.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud FLORENTINUM & PETRUM DELAULNE, viâ Jacobæâ sub signis Imperatoris & Leonis aurei.

M. DCCIII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

Est Conv.tus S. Aug.ni Ilcini; ad usum vero F. Thomae Carcioni, ejusdem Conv.tus alumni.

PRÆFATIO

ECCE prodeunt tandem aliquando Doctissimi Morini opera Posthuma. Quo consilio illa, quâ ratione tamdiù latuerint, nescio: Unum scio, non sine aliquo rei Theologicæ damno latuisse. Laterentque etiamnum fortasse hodiè, nisi Generalibus Congregationis nostræ Comitiis jussus essem, ea hinc indè conquirere & colligere, quæ de rebus Ecclesiasticis multa scripserat, eorúque omnium, si videretur, editionem apparare. At ubi me accinxi ad opus, quia in manus, non ipsa Morini venerant Autographa, sed alienâ tantum exscripta manu, eâque rudi & imperitâ; errores occurrêre tam multi, ut à susceptâ me editione penè abduxerint. Vix enim de Catechumenorum expiatione, de Confirmatione pauca legeram, cum intellexi & omissas plerumque citationes græcas & peccatum esse persæpè in citatis variorum Autorum Operibus, Libris, Capitulis, Verbis, & ipsis aliquando nominibus Autorum. Quare cum iis locis, undè desumta essent, conferenda esse omnia; reparari denique multa, & sua singulis restitui oportere. Longum profectò, ingratum ac molestum opus. Correxi ego, ut quidem puto, plurima; omnia non potui. In his autem corrigendis, & adjectis observationibus, (quod fateor lubens) amicam mihi, ubi opus fuit, & auxiliarem præbuit manum, in universâ re litterariâ versatissimus Abbas Dominus de Longuerüe, vir

Doctissiims quibusque hujusce temporis hominibus plurimùm notus. Tu, si qua inter legendum occurrent, quæ me fugerint, quæ forte multa sunt, gratissimum feceris, si tuæ me correctionis, aut Bibliopolam feceris certiorem. Ne tamen existimes de sententiis Morini mutatum esse a me aliquid. Hanc enim ego mihi præscripsi, & præscriptam religiosè servavi legem, ut vel ipsa ejus verba, tametsi aliquando minus propria retinerem; sententiam verò, multò magis. Annotavi solùm, quæ aut ipse mutasset Morinus, si librum ederet, aut observatione egerent aliquâ. Laudat enim in hoc utroque opere multa, quæ tanquam spuria in libris a se editis, jure ac merito rejecit; & ea interdùm dicit, quæ & nova videntur, & cum illius alibi sententiâ minus consentiunt: Quæ sine dubio correxisset Vir Doctissimus, si extremam operi manum admovisset. Notum est, quid senserit de Decretalibus illis, quas tamen citat, primorum Pontificum Epistolis; quid de suppositis operibus Pseudo-Dionysii Areopagitæ. Nolo hic multus esse in eâ re, quâ de hominum litteratorum dubitet nemo. Unum dicam de libro, qui est de Catechumenorum expiatione, Morino propositum olim fuisse, ut inter libros, quos scripsit de Pœnitentiâ, quintum hic locum aut sextum haberet, ut liquet ex primo hujusce libri capite; posteà verò, antequam absolveretur, esse rejectum. Quæ causa mutati consilii fuerit, suspicor quidem, uti alii multi suspicantur; sed minime scio. Certè quæcunque illa fuerit, fecit ut imperfectum opus haberemus. Quia tamen in eo plurima sunt, quæ & Morino digna sunt, & litteratis hominibus possunt prodesse,

qualecunque opus illud est, tale edimus, speramusque operam nostram, quod unum in votis fuit, nec ingratam nec inutilem fore. Libro de Sacramento Confirmationis apposui Lucæ Holstenii de eodem Sacramento dissertationem duplicem, eamque Posthumam, quia & rarior est, & cum Geographicis in Ortelium annotationibus Romæ edita, quæ prorsùs alienæ sunt à Confirmatione. Exercitationem denique de Contritione & Attritione, in partes divisam duas, tametsi multi eâ de re hac nostrâ ætate perscripti libri sunt, idcircò adjeci, ut quod ex Sanctis Patribus in libro de Pœnitentiâ Morinus ostenderat, eodem docente intelligeres, & ex ipsis Theologis scholasticis & ex Tridentinâ Synodo, reconciliando lapso homini amorem Dei necessarium esse. Tu operâ nostrâ utere, ut voles; & si quâ tibi in re utilis est, quod grati animi est, nobis apud Deum benè precare.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: à nos amez & Feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requétes ordinaires de nôtre Hôtel, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & tous autres nos Officiers qu'il appartiendra: SALUT, nôtre bien amé PIERRE MORET Prêtre de la Congregation de l'Oratoire de JESUS nous a fait remontrer qu'ayant recueilli quelques Ouvrages & petits Traitez de feu JEAN MORIN Prêtre de ladite Congregation de l'Oratoire qui n'ont point encore été imprimez, & voulant faire une nouvelle Edition de ceux qui ont déja été imprimez, il nous a fait tres-humblement supplier de luy accorder nos Lettres de permission sur ce necessaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous luy avons permis, accordé, permettons & accordons par ces Presentes de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choisir les Ouvrages dudit feu P. Morin, intitulés, *De Expiatione Catechumenorum*, *Confirmatione*, *Attritione*, *Contritione Bassilicis & Paschalis*, & faire une nouvelle Edition de ceux qu'on a déja de luy, en un ou plusieurs Volumes, separement ou en un corps complet, en telle forme, marge, caractére & autant defois que bon luy semblera pendant lé temps de *quinze années* consécutives, à compter du jour que lesdits Ouvrages seront achevés d'imprimer & réimprimer en vertu des Presentes. Pendant lequel tems, Nous faisons tres-expresses défenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'imprimer ou faire imprimer lesdits Ouvrages tant imprimez que non imprimez, soit sur l'ancienne Edition, soit sur la nouvelle augmentée, en telle

forte & maniere que ce soit sous prétexte de correction ; augmentation, changement de titre, impression étrangere ni autrement, vendre ni debiter des Exemplaires contrefaits, à peine de trois mille livres d'amende payable par chacun des Contrevenans, & applicable un tiers à Nous, & un tiers à l'Hôpital General, & l'autre tiers à l'Exposant ou à ses ayans cause, confiscation des Exemplaires contrefaits & de tous dépens dommages & interêts, à condition que le tems porté par les Privileges que nous pouvons en avoir cy-devant accordez soient expirez, à la charge par l'Exposant d'en mettre deux Exemplaires en nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nôtre Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le sieur BOUCHERAT Commandeur de nos ordres, comme aussi de faire imprimer ledit Livre sur de beau & bon papier & en beaux caracteres suivant les Reglemens de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, le tout à peine de nullité des presentes, du contenu desquels Nous vous mandons & enjoignons faire joüir & user ledit Exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empêchemens à ce contraires : Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Exemplaires l'Extrait des Presentes, elles soient tenuës pour bien & dûëment signifiées, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos Amez & Feaux Conseillers Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'Original. COMMANDONS au premier nôtre Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution des presentes tous Exploits, Significations, Défenses, Saisies & autres Actes de Justice necessaires : de ce faire te donnons pouvoir sans pour ce d'autre permission, nonobstant clameur de Haro Chartre Normande & Lettres à ce contraires. CAR tel est nôtre plaisir. Donné à Versailles le dix-septiéme jour d'Avril, l'an de grace mil six cent quatre-vingt-dix-huit, & de nôtre Regne le cinquante-cinq : Par le Roy en son Conseil.

DE S. HILAIRE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 25. Avril 1698. Signé, P. AUBOÜYN, Syndic.

Et ledit Reverend Perè Morel a cedé son Privilege cy-dessus à Florentin *&* Pierre Delaulne, *pour en joüir en son lieu & place suivant l'accord fait entre eux.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 25. Octobre 1702.

PERMISSIO

R. P. GENERALIS Congr. Orator. Domini JESU.

NOS PETRUS FRANCISCUS DE LA TOUR, Congregationis Oratorii Domini Jesu Presbyter Præpositus Generalis, juxtà concessam nobis anno Domini 1672 facultatem Regio Diplomate, quo prohibitum est sub pœnis ibidem expressis, Bibliopolis omnibus, ne imprimant aut divendant, absque nostrâ Licentiâ, Libros à quibuslibet ex nostris Scriptoribus compositos ; visis priùs Privilegio Regis, & Approbatione Doctorum, permittimus *Florentino & Petro Delaulne* Bibliopolis Parisiensibus Typis mandare & venalia exponere JOANNIS MORINI Congregationis Oratorii Domini Jesu Presbyteri Opera Posthuma I. de Catechumenorum Expiatione. II. de Sacramento Confirmationis. III. de Contritione & Attritione. Datum Parisiis Die mensis Octobris tertiâ, anno verò Domini millesimo septingentesimo secundo.

P. F. DE LA TOUR.

INDEX CAPITUM
IN HOC LIBRO CONTENTORUM.

TRACTATUS PRIMUS.

De Disciplinâ à Patribus observatâ in Catechumenorum Expiatione, & eorum ad Baptismi susceptionem preparatione.

e

TRACTATUS SECUNDUS.

De Sacramento Confirmationis.

TRACTATVS TERTIVS.

De Contritione & Attritione.

Pars prima. De mente Doctorum Scholasticorum.

PARS II. De mente Concilii Tridentini.

EMENDANDA.

In Tractatu de Expiatione.

PAg. 49. Lin. 1. col. 1. *Lege* ungue. p. 54. col. 2. lin. 8. *Lege* extraordinarias. Pag. 72. col 1. Lin. 27. lege *dicere.* lin. 33. lege *retractantes.* Col. 2. lin. 1. lege *adhuc.* lin. 25. lege *catechizantur*, pag. 110. col. 1. lin. 25. lege *chamounia.* pag. 113. col 2. lin. *lege* euram. pag. 119. col. 1. lin. 6. *lege* preces. ibid. *lege* solemniter. ibid. lin. 7. *lege* dabatur. pag. 122. col. 2. lin. 18. lege. *Ecclesia.*

In Tractatu de Confirmatione.

Pag. 19. cap. 5. col. 1. lin. 7. *Lege* modo manuum illam impositionem post Baptismum factam, quâ Spiritus Sanctus tradebatur, extraordinariam fuisse, &c. Pag. 26. col. 1. lin. 23. *Lege* unguentum. Pag. 40. lin. 22. *Lege* Confirmationis. Pag. 53. col. 1. lin. 21. *Lege* canonis. Pag. 58. col. 1. lin. 26. *Lege* præsumat. Pag. 62. col. 2. lin. 4. *Lege* intelliget. Pag. 63. col 2. lin. 21. *Lege* si necesse. Pag. 72. col. 1. lin. 29. *Lege* Alcimus Avitus. Pag. 76. col 2. lin 13. *lege* licet. Pag. 86. col. 2. lin. 28. *Lege* summi.

J. MORINI

J. MORINI

ORATORII DOM. JESU PRESBYTERI.

LIBER

De Disciplinâ à Patribus observatâ in Expiatione Catechumenorum, & eorum ad Baptismi susceptionem præparatione.

CAPUT PRIMUM.

Varia referuntur SS. Patrum testimonia, quibus probari videtur, baptizandis, etiam in Vigiliâ Pentecostes, Pœnitentiam & laboriosa opera esse imponenda, eosque ratione peccatorum ab Ecclesiâ puniendos.

ECCLESIAM nullos labores, nulla opera pœnalia baptizandis imposuisse, dogma est, quod toto libro 3. nostri de pœnitentiâ commentarii asseruimus, & à quo pleraque emanant, quæ ibidem asserta sunt. Hujus antiquæ observationis præcipua causa fuit, peccatorum, quæcumque illa sint, ante baptismum perpetratorum levitas à patribus judicata, si cum peccatis post baptismum perpetratis comparentur: quod argumentum multis quoque eodem libro persecuti sumus. Ve-

rùm plurima ſanctorum Patrum teſtimonia huic doctrinæ videntur opponi, quæ non modo hoc in libro recenſere, ſed etiam explicare,non abs re viſum eſt. Eorum enim explicatio rationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa pœnitentiam non parùm illuſtrabit. Antiqui enim Patres,mirâ quâdam analogiâ & conformitate, Catechumenos & Pœnitentes expiarunt, & illos ad baptiſmum, hos verò ad reconciliationem præpararunt. Quapropter poſterius expiationis genus cum priore comparatum,lumen ab eo non obſcurum mutuabitur. Præterea cum Catechumenos, qui nomen dederant, peccantes caſtigaverit, licet leviſſimè; à propoſito noſtro minimè aliena eſt hujus rei tractatio, cum Eccleſiæ diſciplinam, autoritatem & regimen complectatur. Quidquid ſit, quem tædebit antiquitatis tam illuſtris, & ad intimam pœnitentiæ cognitionem meo judicio utiliſſimæ, fruatur ſuo judicio, huncque librum tranſiliat, & ſequentem in manus ſumat: eum ideò à præcedente diſtinximus, quanquàm utriuſque materia cohæreat. Quod igitùr initio libri præcedentis nobis quinto loco propoſuimus, aggredimur.

Teſtimoniorum duo genera nobis hoc capite opponemus. Prius ea ſpectat, quæ baptizandos ſive Catechumenos jubent pœnitentiam agere, aut pœnitentiæ nomine prætereo, iis injungunt opera laborioſa. Poſterius Catechumenos peccantes pœnis afficit. Si punit Eccleſia; ergo pœnitentiam imponit. Nam omnis infligendæ pœnæ autoritas, quæ Eccleſiæ per ſe convenit,&illi extrinſecùs non advenit,in pœnitentiæ ſivè pœnæ ſatisfactoriæ,& medicinalis impoſitione conſiſtit. Tertium teſtimoniorum genus, quod in eundem finem conſpirat, capite ſequenti enarrabimus.

Opponi primùm poteſt ſolenne iſtud D. Aug. effatum; triplicem eſſe pœnitentiam: unam ante baptiſmum, baptizandorum propriam; duplicem poſt baptiſmum, quotidianam peccatorum ſcilicèt levium, quæ oratione & eleemoſynis potiſſimùm agitur, & luctuoſam, quæ gravium eſt & mortalium peccatorum. Cum autem pœnitentia nominatur, (ſi vera ſit, non fucata) non modò reſipiſcentia, ſed etiam animi dolor, & tædium rei perperàm actæ, ſignificatur, quod tantum eſſe debet, & tàm ſolicitum,

ut propositum illud non amplius iterandi complectatur. Tres istas pœnitentias multis explicat S. Augustinus homil. 27. lib. 50. homiliarum. *Triplex consideratio agendæ pœnitentiæ in sacrâ Scripturâ invenitur. Nam neque ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam benè accedit, nisi agendo pœnitentiam de vitâ pristinâ. Nemo enim eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet. Hoc autem etiam autoritate divinorum librorum probare debemus, utrum baptizandi egerint pœnitentiam.* Probat hoc multo sermone, multisque allatis scripturæ testimoniis, quæ quisque legere potest. Homiliâ 50. ejusdem Libri elegantèr hanc pœnitentiam, illiusque necessitatem describit. *Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum vestra eruditio recognoscit, sunt enim usitata in Ecclesiâ Dei, & diligenter attendentibus notæ. Una est, quæ novum hominem parturit, donec per baptismum salutare, omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum, ut tanquàm puero nato, dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hâc pœnitentiâ, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes; nondum enim uti possunt libero arbitrio, &c.* Eadem, variis datis occasionibus, sæpiùs repetit S. August. ut Epist. 108. Lib. de Utilitate Pœnitentiæ. Lib. de medicinâ pœnitentiæ, cap. 2. & aliis locis. Pœnitentiam autem ante baptismum solennitèr primam nuncupatam fuisse, aliam verò secundam ex Pastoris lib. 2. Mandato 4. Clementis Alexand. lib. 2. Strom. ante medium, & Tertull. lib. de Pœnitentiâ, atque aliis autoribus evidenter constat. Denique S. Aug. nihil agit aliud totis tredecim primis capitibus libri de Fide & Operibus, quàm ut probet adversus nonnullos, qui id negabant, pœnitentiam ante baptismum agendam esse, nec alicui sano baptismum conferendum esse, qui pœnitentiam non egerit.

Quid videtur hoc ejusdem Sancti testimonio dilucidiùs, quod legitur initio lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos? *Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? quid est, quod hâc nocte circa vos actum est, quod præteritis noctibus actum non est, ut ex locis secretis singuli produ-*

ceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliatâ, quæ malè antea fuerat exaltata, in humilitate pedum, Cilicio substrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus. Similia & ad hoc probandum non minùs efficacia leguntur initio lib. 4. ejusdem symboli ad Catechumenos, & cap. 10. serm. 8. de diversis, qui ad Competentes habitus, sic illos hortatur. *Manducate nunc panem doloris; veniet tempus, quando post panem tristitiæ, panis vobis lætitiæ ministretur; sed meritum illius, hujus est tolerantia. Aversio & fuga tua panem luctûs commeruit, convertere, compungere, & redi ad Dominum tuum. Paratus est ille compuncto & redeunti panem gaudii erogare, si non dissimules, nec differas pro fugâ tuâ flebilitèr ærumnosus orare. In tantis ergo catervis molestantium induite vos Cilicio, & humiliamini in jejunio animarum vestrarum.* Concil. Carthag. 4. c. 85. idem decernit, quod fieri solere scribit S. Aug. Hunc canonem repetunt in decretis suis, Ivo, Burchard. & alii. *Baptizandi nomen suum dent, & diù sub abstinentiâ vini & carnium, ac manûs impositione, crebrâ examinatione baptismum percipiant.*

Adeò vigebat in Europâ istius abstinentiæ observatio; ut ab eâ etiam immunes non essent infantes, ut colligitur ex eo die, qui Capitilavium vulgò dicebatur. Erat ille dies Palmarum. Appellationis istius rationem reddit, causæ præsenti convenientem S. Isidorus lib. 1. de officiis Ecclesiast. c. 27. *Vulgus ideò eum diem Capitilavium vocat, quia tùnc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt; ne fortè observatione quadragesimæ sordidata, ad unctionem accederent.*

Alcuinus eadem habet in Officio ejusdem Dominicæ. Argumenta hæc sunt certissima abstinentiæ saltem quadragesimalis baptizandis imperatæ. Evidens insupèr est hujus rei testimonium, quod scribit idem August. in fine Epist. 48. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pænitentiâ posse transire. Sed nimis impudens error est, hinc velle calumniari Ecclesiam, quam tot divinis testimoniis constat esse Ecclesiam Christi, quòd alitèr tractat illos, qui eam deserunt, si hoc ipsum pænitendo corrigant, aliter illos, qui in eâ nondùm fuerunt, & tunc primùm ejus pacem accipiunt; illos amplius humiliando, istos leniùs suscipiendo.* Exploratum ergo

videtur peccatorum & ante & post baptismum commissorum, pœnitentiam seriò agendam esse, sed illa clementiùs ab Ecclesiâ vindicari, hæc severiùs. Quidquid sit, peccata in vetere homine commissa, contra quàm scripsimus, gratuitò & sine labore per baptismum non donari.

Sanctus Gregorius Nazianz. oratione 40. quæ est de baptismo, versus finem. De præparatione ad baptismum differens, ita Cathecumenum affatur. [a] *Magnum tibi ad ea, quæ cupis, assequenda & retinenda subsidium afferent vigiliæ, jejunia, Chameuniæ, orationes, lachrymæ, commiseratio pauperum, largitio.* Illis prætereà injungit varia misericordiæ opera, ut baptismi fructum consequantur. Idem ab Apostolis præceptum fuisse & usitatum, præter præceptum S. Petri. act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Et tam frequentèr allatam istius præcepti, eo sensu, à S. August. interpretationem, evidenter demonstratur ex initio cap. 6. Epist. ad Hebræos. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi Sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum.* Sanctus enim Chrysost. Theodoretus, Occumenius, & Theophylactus in hunc locum, atque ex Latinis S. Ambrosius & Beda eumdem locum commentantes, & S. August. lib. de Fide & operibus. c. 11. & ad finem expositionis Epist. ad Romanos, pœnitentiam interpretantur, quæ ante baptismum agitur; & alitèr intelligere, si antecedentibus consequentia respondere velimus, admodùm difficile videtur. Illa enim omnia, quæ ibi conjunguntur ab Apostolo, in baptismo fiunt, ut testatur S. Augustinus. Nullus igitùr dubitare posse videtur, quin Apostoli sanctique Patres ad pœnitentiam agendam baptizandos adegerint. Hoc adeò verum est, ut Tertullianus sex prioribus capitibus lib. de Pœnitentiâ, nihil aliud tractaverit, quam Audientium sive Catechumenorum pœnitentiam, septimoque demùm cap. baptizatorum pœnitentiam, expressâ transitione factâ, explicare aggressus fuerit. Ante

a Καλόν σοι βοήθημα πρὸς τὸ τυχεῖν ὧν ἐπιποθεῖς ἀγρυπνίαι, νηστεῖαι, χαμευνίαι, προσευχαὶ, δάκρυον, οἶκτος τῶν δεομένων, μεταδόσεις. n. 29.

Tertullianum quid hâc in causâ observaret Ecclesia nos docet Justinus Martyr Apolog. 2. [b] *Quicunque a nobis persuasi fuerint, & crediderint vera esse, quæ a nobis traduntur, ac vivere se ita posse receperint orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis unà cum illis orantibus & jejunantibus; deinde eò ducuntur à nobis, ubi est aqua, & regenerantur ad eum modum, quo & nos regenerati sumus.* Hinc deniquè emanasse videtur frequens istud antiquorum axioma, pœnitentiam, secundam esse post naufragium tabulam. Prima tabula baptismus est, quo post pœnitentiam in vetere homine actam Deo reconciliamur; secunda, absolutio, quâ similitèr post actam de novo homine amisso pœnitentiam, in gratiam cum Deo redimus. Idem præterea colligitur ex antiquâ Ecclesiæ praxi, quæ lucet in variis Gentilium baptizationibus. Ferè enim semper opera laboriosa ipsis ante baptismum injuncta commemorantur, ut in Actis S. Sylvestri de Constantino baptizando, in Clementis recognitionibus ad finem lib. 7. & 10. cùm Clementis Mater & Pater baptizandi essent: in orationibus funebribus Greg. Nazianz. in patrem & sororem, atque in omnibus ferè baptismi celebrationibus, quæ infrà referentur. Vix enim tanta unquam disciplinæ Ecclesiasticæ propter graves causas relaxatio, & remissio deprehenditur, quin aliquot jejuniorum dies ante baptismum ipsis præscribantur.

Posterioris testimoniorum generis, quod pœnarum propter crimina inflictionem spectat, antiqua non nulla sunt exempla. Magnum Concilium Nicænum. c. 14. Catechumenos Idololatras hâc censurâ ferit. [c] *De Catechumenis qui lapsi sunt, visum est sanctæ &*

---

b Ὅσοι ἂν πεισθῶσι, καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, καὶ λεγόμενα εἶναι καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων, καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀναγεννήθημεν ἀναγεννῶνται.

c Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων.

magna Synodo, ut tribus annis sint tantùm Audientes, posteà cum Catechumenis orent. Non modò tribus annis eorum baptisinus differtur, quod pœnæ magnæ genus est: Verum etiam cum Ecclesiam ingrederentur orationis causâ, ab eâ pelluntur, & ad portam subsistere jubentur. Ut hoc pœnæ genus veram esse pœnitentiam perspicuè videas, comparandus ille Canon cum iisqui, ex omnium confessione, baptizatis pœnitentiam indicunt, quales sunt in eodem Concilio can. 11. & 12. & in aliis Grçcorum Conciliis innumeri. Eâdem enim formulâ in citeriores pœnitentiæ stationes regradantur. Concilii Neocæsar. can. 5. idem demonstrat, & Nicęno adhuc evidentiùs. [d] *Catechumenus, si in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat, si genu quidem flectens, Audiat, non ampliùs peccans: Sin autèm etiàm Audiens adhùc peccet, extrudatur.* Quid clariùs? à loco Catechumenorum ad Audientes relegatur: iterum peccans, ab Ecclesiâ eliminatur. Eo modo & ordine in omnibus antiquis canonibus, ob peccata puniuntur laïci baptizati. Infrà, quâ ratione hæc fiant, docebimus, cum Catechumenorum varias species distinguemus.

Utrumque nos docet canon unicus Eliberitanus 73. *Delator si quis extiterit Fidelis, & per ejus delationem aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem.* Ita punitur baptizatus. Si Catechumenus idem crimen perpetraverit, audi quâ pœnâ mulctabatur. *Si Catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.* Eadem pœnæ forma, sed mitior. Verum Canone 68. gravis admodùm pœna Catechumenæ peccanti infligitur. *Catechumena, si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit in fine baptizari.* Si mulier Fidelis idem crimen perpetrasset, ne in fine quidem communio illi concedebatur, ut decernitur, Can. 63. Pœnitentiam igitur Catechumenus peccans ut Fidelis agebat: hoc solum inte-

---

d Κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς κυριακὸν, ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ, οὗτος δὲ ἁμαρτάνων, ἐὰν μὲν γόνυ κλίνων, ἀκροάσθω, μηκέτι ἁμαρτάνων. ἐὰν δὲ καὶ ἀκροώμενος ἔτι ἁμαρτάνῃ, ἐξωθείσθω.

reſſe videbatur, quod Catechumenus Fideli peccante longè mitiùs excipiatur.

Idem fieri ſolere non obſcurè innuit S. Auguſt. in fine lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos. *Vos autem dilectiſſimi, qui ab initio uberibus ſanctæ matris Eccleſiæ nutriti, uſque ad ſolidum cibum eſtis ab eâ perducti, manete in eâ. Si quis ejus vel diſciplinam, vel quamlibet admonitionem aſperè tulit, & iratus abſceſſit, agnoſcat matrem, redeat ad eam libentèr, & hæc ſuſcipit quæ requirit, gaudebit filium perditum fuiſſe converſum.* Occurrunt nonnulla alia ſanctorum Patrum teſtimonia, quibus opera laborioſa baptizandis ante baptiſmi ſuſceptionem præcipiuntur, quæ infrà locis ſuis referentur, cum ſcilicèt, quo ſenſu hæc omnia intelligenda ſint, explicabitur.

Interim quæri poteſt, an jejunia cæteraque opera laborioſa, baptizandis in ſolennitate Pentecoſtes imperarentur, ut baptizandis in Vigiliâ Paſchatis imponi ſolebant. Difficultatis cauſa eſt Paſchale tempus, quo jejuniis univerſa Eccleſia abſtinet. Intempeſtivum igitur videri poteſt eo tempore Competentes ad jejunium cogere. Id tamen docet S. Chryſoſt. homil. 1. in act. cum enim demonſtraſſet, hominem ante gratiam baptiſmatis aliquo tempore purgandum eſſe: Paulo non ſtatim datam eſſe gratiam, ſed triduùm interceſſiſſe, nec Apoſtolis ſtatim Spiritum Sanctum datum poſt Chriſti Aſcenſionem, objicit, c *Si quis dixerit, quare non & nos eodem tempore baptizamus? Illud ſanè reſpondere poſſumus, quod gratia quidem tum eſſet eadem quæ nunc eſt, cæterùm animus nunc fit ſublimior & excelſior, dum jejunio præparatur. Quanquam & Pentecoſtes tempus habet aliquam rationem haud quaquàm abſurdam. Quam tandem dicis? Exiſtimaverunt Patres ſatis idoneum mala cupiditati fræ-*

c Εἰ δὲ λέγοι τις, τίνος ἕνεκεν καὶ ἡμεῖς οὐκ ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ βαπτίζομεν; ἐκεῖνο ἂν εἴποιμεν, ὅτι ἡ μὲν χάρις ἡ αὐτὴ καὶ τότε καὶ νῦν, ἡ δὲ διάνοια ὑψηλοτέρα γίνεται νῦν, νηστείᾳ προπαρασκευαζομένη. καὶ ὁ τῆς πεντηκοστῆς δὲ καιρὸς ἔχει τινὰ λόγον οὐκ ἀπεικότα. ποῖον δὴ τοῦτον; ἀρκοῦντα ἐνόμισαν οἱ πατέρες εἶναι χαλινὸν ἐπιθυμίας πονηρᾶς, καὶ μεγάλην διδασκαλίαν τὸ βάπτισμα, ὥς τε καὶ ἐν καιρῷ τρυφῆς σωφρονεῖν.

num, magnamque doctrinam baptismum esse ad hoc, ut etiam tempore deliciarum sobrietatem tuerentur. In eamdem Sententiam referri possunt rationes omnes, quæ antiquos Patres moverunt, ut abstinentias illas baptizandis ante Pascha imperarent, quarum aliquas S. Chrysost. loco citato explicat & urget: par est enim utrobique ratio.

CAPUT SECUNDUM.

Baptizandos non modo generaliter confiteri solitos se esse peccatores, sed etiam specialem peccatorum omnium confessionem ante baptismum edidisse.

NOn modo pœnitentia Catechumenis ab Ecclesia præscripta fuisse videtur, verum etiam specialis peccatorum omnium confessio, ut multis antiquorum Patrum testimoniis demonstravit Josephus Vicecomes observationum Ecclesiasticarum de baptismo lib. 3. c. 5. sigillatim autem & κατὰ μέρος peccata sua confiteri, nemo est qui diffiteatur pœnitentiæ genus esse, non qualiscumque, sed gravis admodùm & laboriosæ. Quapropter in tertiam testimoniorum classem, quæ pœnitentiam Catechumenis impositam fuisse demonstrant, ea retulimus, quæ confessionem illis ante baptismum aliquando præscriptam fuisse probare videntur. Confessionis autem ejusmodi necessitas, vel ex iis, quæ capite præcedente demonstrata sunt, consequitur. Nam si pro peccatorum genere, pœnitentia illis imponitur, puniuntur, regradantur, ab Ecclesia pelluntur, peccatorum confessionem ante baptismum eos aliquando edidisse consequens videtur. Neque dictis satisfacit, qui asserit eos generaliter in omnium conspectu sese peccatores confiteri solitos, aut Idololatras, vel Hæreticos fuisse, quod nemo ignorabat. Talis enim confessio, ut omnibus Catechumenis communis, generalem & omnibus communem pœnitentiam exigebat, non autem singulis criminibus respondebat. Contrà tamen usurpatum fuisse ex capite antecedente colligi videtur. Dein-

dè ſpecialem criminum confeſſionem expoſtulare videntur, quæ ſequuntur teſtimonia.

Apoſtolicum fuiſſe præceptum non obſcurè colligitur ex verſu 18. c. 19. Act. *Multique credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus ſuos;* nam id de Catechumenis, non de baptizatis dictum fuiſſe, duo evidenter demonſtrant. Prius, omnino eſſe improbabile baptizatos illos ſtatim à baptiſmo ea crimina commiſiſſe, quæ pœnitentia publica & exomologeſi purgari neceſſe eſſet. Quod ſi forſan unus aut alter, id perpetravit, de multitudine verum eſſe non potuit. Deinde actio illa ut laudabilis à Luca enarratur. At quæ laus referre Neophytorum multitudinem vix aquis baptiſmalibus ablutam in peccatorum cœno ſeſe volutaſſe? Apud Corinthios inceſtuoſus unus inventus eſt; Conſidera, quibus lamentis hoc deploret S. Paulus, quam ſeverâ vindictâ ſcelus puniat. Quid hìc in tanta lapſorum multitudine conſentaneum erat illi facere? Hoc autem ad baptizandos refer, vix erit aliquid laudabilius, atque ad religionis Chriſtianæ virtutem demonſtrandam efficaciùs, Judæos Gentileſque aquis ſalutaribus expiandos ſcelerum confeſſionem non exhorruiſſe. Poſterius argumentum ex verſu ſequenti deſumitur. *Multi autem, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Quis credat Neophytos, adſtante & vidente Sancto Paulo, in tanta crimina lapſos? Deinde eadem recurrit ratio, ſanctum Lucam hæc Neophytorum laudi tribuiſſe: iſta igitur ante baptiſmum contigerant: aliàs laudanda non fuiſſent, ſed deploranda, ut ſemper cùm apud Chriſtianos contigerunt, à S. Paulo & Apoſtolis deplorata ſunt. Objici poteſt confeſſionem iſtam à multis Chriſtianis editam fuiſſe, non ab omnibus, quod factum oportuit, ſi fuit ad baptiſmum præparatio legitima; aut ſaltem fatendum confeſſionem illam ex traditione Apoſtolicâ tribuendam eſſe voluntati, non neceſſitati. Diſtinguenda confeſſio: alia fuit privata, alia publica. Hæc conſilii fuit, illa præcepti: hæc illam ſequitur & ſupponit. Confeſſio publica tribus primis ſæculis fre-

quentissima fuit. De duplici istâ confessione, quæ ad baptizatos spectat, multis lib. 2. de Pœnit. disseruimus.

Duplex illa confessio à baptizandis usurpata fuit, ut ex sequentibus demonstrabitur. Ideò igitur multis Christianis, non omnibus, hanc confessionem tribuit S. Lucas, quòd publicam non privatam intelligat.

Hæc omnia nos evidenter docet Tertullianus, l. de Baptismo c. 20. *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum, ut exponant etiam baptismum, Joannis: tingebantur, inquit, confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates & turpitudines nostras. Simul enim & de pristinis satisfacimus, conflictatione carnis & spiritus, & subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus.* Omnia quæ diximus pauca hæc verba complectuntur. 1. laboriosa opera ante bapismum suscipienda. 2. omnium delictorum confessionem specialem edendam [illegible] 3. publicam confession[illegible] non esse necessariam. *Nobis*, inquit, *gratulandum est, si non publicè confitemur, &c.* Denique confessionem secretam ex Ecclesiæ consuetudine & præcepto tùm fuisse necessariam. Nam si confessio omnium retrò delictorum necessaria est, & cum ea publicè non confitemur, nobis gratulandum; secretam semper adhibendam esse necessario colligitur.

Tertullianus, libri de pœnitentia plusquam mediam partem, in eo probando consumit: tandem enim urgente capitis 3. fine, de baptizandorum pœnitentia disputare incipiens, primùm peccata distinguit in spiritalia & corporalia, sive interna & externa, *quod*, ut ait, *delictum omne aut agitur, aut cogitatur, &c.* quæ postquam multis explicavit, concludit tandem pro utrisque pœnitentiam esse agendam. *Per quod ostenditur non facti solùm, verùm & voluntatis delicta vitanda & pænitentiâ purganda esse. Neque enim si mediocritas humana facti solùm judicat, quia voluntatis latebris par non est; ideò crimina ejus etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit.* & paulò post initio cap. 4. *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pæni-*

tentiam spopondit. Sed quomodo illa pœnitentia agenda est? An unicuique pro libitu? an ex Ecclesiæ imponentis jussu & præscripto, & consequenter revelatione peccatorum antecedente? Ex verbis jam allegatis clarum est, distinctionem pecatorum, propter eorum confessionem, tam studiosè explicatam fuisse. Quamobrem enim dixit, homines facta tantum, Deum autem voluntatem ipsam judicare, si de confessione, quæ soli Deo fit, verba faceret? præter Deum enim nemo voluntatis propriæ motus, arcanaque scrutatur. Itaque frustrà est illa oppositio, nisi alterum respiciat, cui, nobis tantum revelantibus, cordis nostri secreta patescunt, & quo dictante pœnitentia suscipiatur. Verba Tertulliani sequentia initio cap. 5. hunc sensum definiunt & confirmant. *Hoc enim dico, pænitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquàm posthac iteratione delicti resignari oportere.* & Cap. 6. ubi sic objicit & respondet. *Tunc opinor emendatos liquebit, cum absolvimur. Nullo pacto. Sed cum pendente veniâ, pæna prospicitur, cum adhuc liberari non meremur, ut possimus mereri: cum Deus comminatur, non cum ignoscit.* De pœnitentiâ igitur confessionem peccatorum subsequente disputare videtur, cum ea Catechumenis, pro ratione peccatorum quæ commiserunt, indicatur & præscribatur, & eâ peractâ absolvantur, hoc est baptizentur: baptismus enim, ut absolutio, peccatorum remissionem operatur.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 40. Ita Catechumenos hortatur, f *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per hujus vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias (nam hoc quoque sempiterni illius supplicij pars est) ac perspicuum facias te seriò atque ex animo peccatum odisse ac detestari, dum illud tanquam contumeliâ dignum traducis ac ludibrio exponis, atque de eo triumphum agis. Ne exorcismi Medicinam respuas, &c.*

con

f μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν. εἰδὼς ὅπως Ἰωάννης ἐβάπτιζεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν αἰσχύνην τῇ ἐνταῦθα φύγῃς. ἐπειδὴ μέρος καὶ τοῦτο τῆς ἐκεῖσε κολάσεως καὶ δείξῃς ὅτι τὴν ἁμαρτίαν ὄντως μεμίσηκας, παραδειγματίσας αὐτὴν, καὶ τριαμβεύσας, ὡς ἀξίαν ὕβρεως. μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμῦ θεραπείαν.

Confessionem vix expressiùs delineare poterat.

Sanctus Joannes Chrysostomus homilia 10. in Cap. 3. Matt. confessionem ante & post baptismum distinguit & utriusque necessitatem docet. g *Tempus confessionis aquè & lotis baptismate, & illotis, profanisque incumbit. Illis quidem, ut post patentia criminum vulnera, pœnitentiâ interveniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur; his verò ut ablutis in baptismo maculis ad Dominicam mensam, mundâ jam conscientiâ, accedant.* Et operis imperfecti in Matt. homil. 3. adhuc evidentiùs, cum de baptismo Joannis verba facit. *Qui timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri, qui autem erubescit, non timet: perfectus enim timor solvit pudorem omnem, &c. Ideo magis nos jubet Deus confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro pœnâ. Nam & hoc ipsum pars est judicii. O misericordia Dei, quem toties ad iracundiam excitavimus, sufficit ei solus pudor pro pœnâ!* Transfert ad Catechumenos baptizandos, quæ dicit Scriptura de confessione peccatorum ante baptismum Joannis. Et paulò post. *Quantum est in unâ horâ erubescere? justitias à nobis non quærit, nullum laborem nobis imponit, baptizamur & consequimur indulgentiam peccatorum.* Hæc de speciali confessione necessariò sunt intelligenda Quis enim generaliter se peccatorem erubescit confiteri? Postea subjicit. *Confessionem puta esse egestionem impuritatis & spurcitiæ quæ intùs erat inclusa; baptismum esse lotionem sordium egessarum. Numquid factâ egestione impuritatis, jam statim sanus factus es &c. Sic multa diligentia necessaria est homini post confessionem, ut vulnus ejus peccatorum, & confessionis apertura sanetur.* In textu pro egestione legitur digestio, sed legendum esse, egestio, contextus evidentissimè convincit S. Ambros. lib. 2. de Sacramentis. c. 2. *Quando dedisti nomen tuum, tulit lutum & linivit super oculos tuos. Quod significat, ut peccatum tuum fatereris, ut conscientiam tuam recognosceres, ut pœnitentiam ageres delictorum.* Et in cap. 6. Apocal. ante medium. *Per duos hœdos confessionem peccatorum populi*

g καὶ γὰρ ἐξομολογήσεως ὁ καιρὸς. καὶ τοῖς ἀμυήτοις καὶ τοῖς βαπτισθεῖσι. τοῖς μὲν ἵνα μετανοήσαντες τῶν ἱερῶν τύχωσι μυστηρίων, τοῖς δὲ ἵνα ἀπονιψάμενοι ἐν τῷ βαπτίσματι τὰς κηλῖδας καθαρῷ συνειδότι τῇ τραπέζῃ προσέλθωσιν.

Gentilis, & pœnitentiam intelligere debemus. Duos ergo hædos optimos Jacob matri obtulit, quia per confessionem peccatorum & pœnitentiam, quæ via est ad fidem euntibus, populus Gentilis ad eandem fidem properavit percipiendam. Qui hædi optimi dicuntur fuisse, quia valdè acceptabilis Deo est pœnitentia peccatoris, cum abrenunciatione vitiorum, sicut ipse Dominus noster dicit in Evangelio, Gaudium est in Cœlo, &c. Per unum peccatorem, populum Gentium; per nonaginta vero novem justos, Judæos intelligi volens.

Zeno Veronensis Episcopus auctor antiquus & eloquens, eidem Ecclesiasticæ consuetudini testimonium perhibet in sermonibus, quos diebus Paschalibus ad Neophytos habuit: Sermone enim 2. explicatis conscientiæ peccatricis stimulis addit. *In hoc reatu fratres usque nunc fuistis: sed fortiter examinati estis, sed ut indulgentiam perciperetis, pro vobis benè vigilastis, optimè estis auditi. Novum judicii genus, in quo reus, si excusaverit crimen, damnatur; absolvitur, si fatetur.* Et serm. seq. *At verò nostra (claves) acervatim absolvunt, quidquid invenerint, nec aliquid subcesivi esse patiuntur, sed pectorum aperiunt cuncta penetralia: diligenter universa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illò vel frivolum, inde quod excluditur, revertatur. Mira ratio; mira beatitudo. Salvo reo, punitur reatus in eo, integroque statu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde est quod nostra non habet necessaria tormenta confessio; quod sine sudore tortoris facinora sua sponte reus, ut fiat innocens, confitetur.* Eadem Serm. 7. repetuntur. Ista de confessione tantum intelligi possunt, quam paulò ante baptismum ediderant. Habitæ sunt enim conciones illæ unum aut alterum diem post Neophytorum baptismum. Verum hæc omnia evidentissimè non modò docet, sed inculcat S. Cyrill. Patriarcha Hierosolymitanus. Sic ille Catechesi 1. ad illuminandos. [h] *Tempus præsens, est tempus confessionis. Confitere quæ perpetrasti, sive verbo, sive opere, sive noctu, sive interdiù. Confitere tempore acceptabili, & in die salutis. Suscipe cælestem thesaurum, & in exocismis studiosè*

[h] Καιρὸς ἐξομολογήσεως ὁ παρών. ἐξομολόγησαι τὰ πεπραγμένα, τὰ ἐν λόγῳ, τὰ ἐν ἔργῳ, τὰ ἐν νυκτὶ, τὰ ἐν ἡμέρᾳ. ἐξομολόγησαι ἐν καιρῷ δεκτῷ καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας. Δέξαι τὸν ἐπουράνιον θησαυρόν. σχόλασον δὲ τοῖς ἐξορκισμοῖς. Παρέδρευε ταῖς κατηχήσεσι.

verseris, assistas Catechesibus, &c. In hujus rei faciendæ exhortatione, tota consistit Catechesis secunda: paucula excerpemus [l] *Benignus est Deus, & non parum benignus, non ergo dixeris, scortationem & adulterium commisi, gravia patravi scelera, idque non semel, sed frequentissime; numquid condonabit? Numquid obliviscetur? non vincunt tua peccata multitudinem miserationum Dei, &c.* Multis hoc probat exemplis, deinde ad mulieres transit. [l] *Verum enimverò & ex mulieribus, si fortè aliqua dicat, scortatione & adulterio polluta sum, fœdavi corpus meum omni genere luxuriæ, numquid erit salus? Aspice Raab ô mulier, & spera tu quoque salutem: nam si ea quæ apertè publiceque scortata est, salvata est per pœnitentiam, numquid quæ semel tantum fornicata est ante gratiam, per pœnitentiam & jejunium non servatur?* Si viri mulieresque potissimùm hæc peccata ante baptismum confitentur, eaque pœnitentiâ & jejunio purgant, quantò magis cætera, quæcumque sint. Et post multa. [m] *Vis cognoscere quantam vim habeat pœnitentia? Vis nosse hæc fortia salutis arma, & discere quàm multis prævaleat confessio?* Exemplo Ezechiæ hoc docet, deinde concludit, [n] *convertere & de te ipso ingemisce, claude januam, & supplica, ut tibi remittatur, ut flammas te urentes auferat. Poterit enim confessio etiam ignem extinguere, poterit & leones cicurare, &c.* Tandem proposito, & enarrato Nabuchodonosoris exemplo, infert, [o] *Quid igitur? Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus, quam primùm confessus est, peccata remisit, Re-*

---

[l] φιλάνθρωπος ὁ θεὸς, καὶ φιλάνθρωπος οὐκ ὀλίγον. Μὴ γὰρ εἴπῃς, ἐπόρνευσα, ἐμοίχευσα. τὰ δεινά μοι πέπρακται, καὶ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, ἆρα συγχωρήσει; ἆρα παρέξει τὴν ἀμνηστίαν. οὐ νικᾷ σου τὰ συναχθέντα ἁμαρτήματα τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ.

[l] Καὶ ἐν γυναιξὶν ἐρεῖ τις. ἐπόρνευσα ἐμοίχευσα, ἐμίανα τὸ σῶμα πάσαις ἀκολασίαις. ἆρ' ἔστι σωτηρία; ἀπόβλεψον ὦ γύναι εἰς τὴν Ῥαὰβ καὶ προσδόκα καὶ σὺ τὴν σωτηρίαν. Εἰ γὰρ ἡ φανερῶς καὶ δημοσίᾳ πορνεύσασα, διὰ μετανοίας ἐσώθη, ἆρα ἡ ἅπαξ ποτὲ πορνεύσασα, πρὸ τῆς χάριτος διὰ μετανοίας καὶ νηστείας οὐ σώζεται;

[m] Βούλει γνῶναι πόσον ἰσχύει μετάνοια; θέλεις γνῶναι τὸ καρτερὸν τῆς σωτηρίας ὅπλον; καὶ μαθεῖν πόσον ἐξομολόγησις ἰσχύει.

[n] Ἀπόστρεψον, καὶ στέναξον σεαυτὸν, ἀπόκλεισον τὴν θύραν, καὶ προσεῦξαι, ἵνα σοι ἀφεθῇ, ἵνα σου περιέλῃ τὰς φλόγας τὰς καυστικάς. ἰσχύει γὰρ ἐξομολόγησις καὶ πῦρ σβέσαι, καὶ πῦρ ἰσχύει καὶ λέοντας ἡμερῶσαι.

[o] Τί οὖν; τῷ μὲν Ναβουχοδονόσορ τοιαῦτα διαπραξαμένῳ καὶ ἐξομολογησαμένῳ δέδωκε τὴν συγχώρησιν, καὶ τὴν βασιλείαν σοὶ δὲ μετανοοῦντι οὐ δίδωσι τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν ἐὰν ἐπαξίως πολιτεύσῃ.

gnumque restituit: tibi vero agenti pœnitentiam, non remittet? Vides pœnitentiam cum confessione conjungere, unumque altero propter necessariam conjunctionem permutare. Plura ex hoc autore afferri possunt, sed hæc cum sint evidentissima, sufficiunt.

Philo S. Epiphanii Diaconus, & postea Carpathiorum Episcopus, commentario in Cantica, hæc verba interpretans, Dentes tui sicut greges Lotarum. *Hæc* inquit, *Salomon addit, ut ex verâ confessione scelerum, in ipso lavacro regenerationis toti mundati sint, & nive candidiores facti, veterem hominem cum malefactis suis omnibus exuti, atque cupiditatibus, jamque interiori mentis cogitatu atque acie divinarum rerum salutares cibos, & arcana mysteriorum pabula sibimetipsis conterunt, ac mandunt.* Et paulò post: *Verè duplici fœtu omnis fidelis anima decoratur à sponso, postquam omnium delictorum labe, per salutarem confessionem atque baptisma, vel pœnitentiam purgata est & lota.* Peccatorum confessionem in baptizandis urget, ut ex vulgatâ Ecclesiæ praxi, necessariam & baptismati & pœnitentiæ præmittendam. Anastasius Nicænus Episcopus, q. 6. idem docet, respondensque quæstioni propositæ, an sit bonum confiteri peccata viris spiritualibus, promiscuè & de peccatis ante baptismum, verba facit. *Necessè est ergo confiteri peccata iis quibus credita fuit dispensatio. Scriptum est enim in Evangelio quod, qui baptizabantur baptismo Joannis, confitebantur peccata sua: In Actibus autem Apostolorum, quod, qui ab eis baptizabantur, confitebantur actus suos.* Idem asserit S. Isidorus ab eodem Anastasio citatus: *Maximè quidem demus operam ut non peccemus, si autem peccaverimus, ne per negationem & morbi occultationem, causam nostram reddamus graviorem. Ne dedigneris confiteri peccatum tuum, sciens quemadmodum baptizavit Joannes, &c.*

Hujus confessionis ut potè apud omnes Ecclesias usitatæ, plura occurrunt exempla, ut Historiæ Tripartitæ, l. 9. c. 29. *In Alexandrinâ civitate plurimi ad baptismum festinabant, & peccata confitentes baptizabantur.* In vitâ sanctæ Pelagiæ Nonnus Episcopus baptismum suscepturæ præcipit, *priùs confitere omnia peccata tua.* Vitæ S. Sylvestri autor sic inducit, hunc Pontificem hortantem

tantem

infortunia, quæ differentibus baptiſmum contingere ſolent, Hoc enumerat, quod vix confiteri poſſint, [p] *Quid expectas beneficio febris baptiZari, quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris &c. non ſecurè confiteri* ἐν ὁμολογοῦσιν ἀσφαλῶς οὐχὶ συνθέσθαι θεῷ. *non cum Deo paciſci, &c.*

CAPUT TERTIUM.

Quid ſignificent Ethnicis & Chriſtianis κατηχεῖν, κατηχεῖσθαι & κατηχούμενος *Chriſtiana Catechumenorum, &,* κατηχεῖσθαι *ſignificatio Ethnicis inſolita; ab Apoſtolis primùm uſurpata, & quamobrem? quid* μυεῖν, μυεῖσθαι, μύσται & ἐπόπται, *& quid in diſciplinâ Chriſtianâ his reſpondeat. Tyrones Religionis Chriſtianæ antiquis Latinis Catechumeni promiſcuè & audientes dicti, ſed Græcis audientes ſive* ἀκροώμενοι, *à Catechumenis ſemper, & quâ ratione diſtincti.*

QUÆ duobus præcedentibus Capitibus de pœnitentiâ & confeſſione Catechumenorum demonſtrata ſunt, funditùs evertere videntur quæcumque diximus de differentiâ peccatorum ante & poſt baptiſmum confeſſorum. l. 3. de pœnit. c. 1. & ſequent. Nam ſi baptiſmo ritè ſuſcipiendo neceſſaria eſt adultis pœnitentia ſimul & confeſſio, concidit quidquid à nobis baptiſmatis virtuti ex antiquorum Patrum mente adſtructum eſt, omnia ſcilicet peccata, omnemque pœnam remittere, nullam baptizandis ab Eccleſiâ pœnam, nullos labores injungi. Concidit quidquid dictum eſt de præclaris illis & religioſis rationibus quibus commoti ſeveriſſimâ pœnitentiâ vindicarunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, nullâ verò quæ ante baptiſmum. Quid enim ſeveriùs, imò duriùs quam baptiſmi candidatos ad minutam peccatorum confeſſionem &

[p] τί ἀναμένεις πυρετοῦ σοι δῶρον γενέσθαι τὸ βάπτισμα; ὅτε οὐδὲ φθέγξασθαι δυνήσῃ τὰ σωτήρια ῥήματα, τάχα δὲ οὐδὲ ἀκοῦσαι σαφῶς.

longam de istis peccatis pœnitentiam cogere? Itaque nullo discrimine habito, peccata sive ante sive post baptismum perpetrata ex æquo punienda erant; quo nihil fingi potest S S. Patrum menti & Ecclesiæ praxi magis contrarium. Neque difficultati satisfacit, si quis dicat peccata post baptismum graviori pœnitentiâ, ante baptismum leviore puniri. Capite enim speciali 3. l. 3. de Pœnit. nullâ puniri demonstratum est. Deinde cum tot rationibus, quas adducunt Patres discriminis inter ista peccata, non conveniunt quæ de pœnitentiâ & confessione Catechumenorum diximus: ita enim utramque testimonia citata describunt, ut illis rationibus, aut nullus locus, aut certè vix locus esse videatur.

Difficultas ista penitùs discuti & explicari non potest, nisi antiquam Ecclesiæ disciplinam in Catechumenis non modo purgandis, sed etiam erudiendis & castigandis enarraverimus, illius fundamenta, rationes, ordinem & scopum aperuerimus, quod initio hujus libri 1°. loco nobis inquirendum & explicandum suscepimus. Proposito nostro apprimè convenit iste sermo, non tantum ex eo, quod pœnitentiæ natura visque penitiùs introspicitur & aperitur, sed etiam quod ad institutum nostrum peculiariter pertinet, quidquid Ecclesiæ disciplinam & autoritatem in criminum expiatione & castigatione spectat. Quapropter longiùs hanc de Ecclesiæ in Catechumenos autoritate & disciplinâ dissertationem non duximus differendam. Quæcumque respiciunt baptismi formam & materiam, ceremonias quoque quibus & nunc & antiquitùs celebrabatur prætermittimus: Ea enim alij occuparunt, & ab instituto nostro prorsus aliena sunt, nulloque cum antecedentibus necessitatis vinculo connectuntur. His igitur omissis disciplinam & jurisdictionem ab Ecclesiâ in Catechumenos exercitam, explicare aggrediamur. Catechumenorum tria genera sive gradus apud Antiquos commemorantur, de quibus sigillatim differemus, si priùs de nominis notione aliqua delibaverimus.

Catechumenus Græca dictio est ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν formata, quod sonare significat;

μεταβατικῶς quoque ſumitur pro inſonare aliquid, unde Chriſtianis familiare fuit κατηχῶ κατηχεῖσθαι atque etiam κατηχίζειν uſurpare pro docere rudimenta religionis Chriſtianæ, & Catechumeni, qui religionis Chriſtianæ elementa docentur; metaphorâ ſumptâ à frequenti repetitione documentorum ſcientiæ tyronibus fieri ſolita. κατηχεῖν igitur eſt docere, quaſi diceres aliquid inſonare: κατηχούμενος cui aliquid inſonatur, qui eruditur. Scientiarum enim elementa tyronibus ſæpiùs ingeminanda ſunt, & repetenda, ideo Clemens Alexandrinus initio libri 6. ſtromatum, inſtitutionem, quæ pueris datur, Catechesim vocat. Sic quoque Catechesim definit Gregorius Nazianzenus in fine Iambici 15. Hoc docent nonnulli patres præclarâ lactis metaphorâ; ut S. Cyrillus in Eſaiæ verba: Lætare Jeruſalem, & conventum facite &c, ad finem commentarij, ubi hæc Canticorum verba interpretatur, meliora ſunt ubera tua vino, q *Primus*, inquit, *cibus infantibus conveniens, admittentibus fidem in Deum noſtrum Jeſum Chriſtum porrigitur, ideſt, tener & ſimplex ſermo catecheſeos. Sic enim Paulus quoſdam alloquens ait, Lac vobis ad potandum dedi non cibum. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Quod autem non ſemper Infantes & eſſe & videri conveniat eos, qui ſemel Catecheſeos ſermonem imbibunt &c. Ita quoque S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4.* r *Patienter ferant ij, qui in hoc cœtu perfectiores ſunt, & doctiores jam exercitatos habentes & animi habitum & ſenſus ad boni malique diſcretionem ſi pueriliorem audiant, & quaſi lacteam inſtitutionem, ut ſimul & qui catecheſi opus habent, proficiant, & qui notionem habent, de quibus jam ante ſunt*

q Πρῶτον δὲ πάντως τοῖς τὴν πίστιν παραδεχομένοις τὴν εἰς τὸν θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν χριστὸν νηπιοπρεπὴς προσάγεται τροφή, τουτέστιν ὁ τροφερὸς καὶ ἁπλοῦς τῆς κατηχήσεως λόγος. οὕτω γὰρ που καὶ ὁ Παῦλος προσλαλεῖ τισὶν φησί. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα. οὔπω γὰρ ἐδύνασθε ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε. ὅτι δὲ οὐκ ἀεὶ νηπίους τε εἶναι, καὶ ὁρᾶσθαι πρέπει τοὺς ἅπαξ ὅλως τὸν τῆς κατηχήσεως ἐκπίουσι λόγον.

r Ἀνεχέσθωσαν δὲ τῶν παραγγέλων οἱ τελειότεροι, τὴν ἕξιν καὶ τὰ αἰσθητήρια ἤδη γεγυμνασμένα ἔχοντες πρὸς διάκρισιν ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ, νηπιωδεστέρας ἀκούοντες καὶ τῆς γαλακτώδους εἰσαγωγῆς, ἵνα ἅμα καὶ οἱ τῆς κατηχήσεως χρείαν ἔχοντες ὠφεληθῶσι: καὶ οἱ τὴν γνῶσιν ἔχοντες, περὶ ὧν προεγινώσκετε ἤδη, τὴν μνήμην ἀναζωπυρηθῶσι.

instructi, *memoriam renovent*. Eodem prorsùs argumento fideles hortatur Chrysologus serm. 62. symbolum baptizandis explicaturus. Sed eamdem metaphoram latè prosequitur Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. c. 6. atque de catechesi interpretatur, quod scribit S. Paulus. 1.Cor. 3. Lac vobis potum dedi, tanquam infantibus, carnalesque ibidem intelligi τοὺς νεωστὶ κατηχουμένους, καὶ νηπίους ἔτι ἐν Χριστῷ. eodem spectat quod docet lib. 6. stromatum post medium, ubi quatuor explicat insitionum genera, quorum primum catechesi comparat. [s] *Aiunt*, inquit, *insitionem fieri quatuor modis. Vno quidem, quo inter lignum & corticem oportet id adaptare quod inseritur; quo quidem modo Catechismum suscipiunt qui sunt ex Gentibus Idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie &c.* Eodem sensu scribit Hieronymus ad Domnionem Ep. 51. se in scripturis sanctis addiscendis Gregorium Nazianzenum, Didymum Alexandrinum catechistas habuisse. Commentarius in Marcum S. Hieronymo tributus c. 1. Catechumenum interpretatur, instructum, ut & Eucherius Lugdunensis. Magìs appositè interpretati fuissent, qui instruitur, nam in præterito Neophytum & fidelem sonat. Frustrà in re clarâ exponendâ, & perpetuâ Ecclesiæ in hunc usque diem consuetudine notissimâ diutius immoramur.

Vix dictio ista eo sensu apud autores Ethnicos antiquos deprehendetur. Eam quidem usurpat Lucianus in Dialogo philopatris, sed à Christianis mutuatus, quorum ibi ceremonias ridet. Affertur ex Porphyrio: κατηχεῖν pro rudimentorum alicujus scientiæ traditione, verùm hoc ex Christianâ disciplinâ & familiaritate desumptum. Ethnici rem eamdem dicebant usitatissimâ dictione μυεῖν ut ἐμυήθη μόνος βαρβάρων Ἀνάχαρσις, ὄργια μεμύηνται, ἐμύησε τοὺς Ἕλληνας, & innumera ejusmodi quæ significant res sacras docere, aut passivè ab aliis edoceri. Qui mysteria illa discebant μύστας appellabant, qui edocti erant ἐπόπται. Suidas in voce ἐπόπτης scribit. οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύσται.

[s] Φασὶ δὲ οὖν γίνεσθαι τὸν ἐγκεντρισμὸν κατὰ τρόπους τέσσαρας. ἵνα μὲν καθ' ὃν μεταξὺ τοῦ ξύλου καὶ τοῦ φλοιοῦ ἐναρμόζειν δεῖ τὸ ἐγκεντριζόμενον. ὡς κατηχοῦνται οἱ ἐξ ἐθνῶν ἰδιῶται ἐξ ἐπιπολῆς δεχόμενοι τὸν λόγον.

κατ' ἐνιαυτὸν δ' ἐπόπται καὶ ἔφορα. Itaque Mystæ iidem Ethnicis erant, qui Christianis κατηχούμενοι; & ἐπόπται qui, πιστοὶ, fideles mysteriorum inspectores, & μυεῖν quod κατηχεῖν, sive κατηχεῖσθαι, fere enim semper passivâ formâ activè sumptâ utuntur. Mystæ, ut scribit Suidas, annum integrum erant, quo elapso velut acto tyrocinio aperta mysteria conspiciebant, dicebanturque ἐπόπται. Hujus rei insigne exemplum legitur apud Plutarchum in Demetrio, Athenas, inquit, proficiscens Demetrius ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. *Scripsit se velle, cum primùm adventaret, mysteriis initiari, & sacros ritus omnes à parvis ad usque Epoptica sibi tradi.* Quod timore perculsi Athenienses permisere, τοῦτο δ' οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ γεγονὸς πρότερον. ἀλλὰ τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλείποντες. *Quod,* inquit Plutarchus, *nefas erat, & antea factum non fuerat; sed parva Anthesterione mense perficiebantur, magna vero Boemedrione. Anni igitur spatio minimorum & magnorum inspectores erant.* Itaque eorum mystagogia sive Catechumenatus anni spatio definiebatur.

Primis Religionis Christianæ fundatoribus Idololatrarum nomen alio commutare visum est, ne mysteriis suis aliquid Idololatricum subesse suspicio suboriretur. Primis dico, cum hujus commutationis Autores fuerint Apostoli. Primi enim in eâ significatione hoc verbo usi sunt S. Paulus manifestissimè cap. 6. Epist. ad Galatas. vers. 9. κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς quod antiquus interpres optimè ex usu Ecclesiæ vertit *Communicet autem is, qui Catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Sanctus Lucas initio Evangelij, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν Rectè iterùm interpres, *ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem*, legit ἐδιδάχθης sed hoc nihil ad rem nostram. Ex quo loco colligi potest, de quibus rebus erudiri & informari debebant

a Melius vertit Xylander: Recondita inspiciebant interjecto à magnis ut minimum, anno uno anni unius ut minimum spatio. Sæpè enim spatium illud anno longius erat.

CAPUT QUARTUM.

Prima Catechumenorum Classis seu statio explicatur.

CATECHUMENORUM stationes, & quibus pietatis officiis unaquæque lustrabatur, nobis nunc est explicandum. Prima Catechumenorum statio duo hominum genera in sinu suo complectebatur. Prius eorum erat, qui Episcoporum & Presbyterorum sermones cum aliquo ergà religionem Christianam affectu frequentabant; & verbis eam profiteri, vitamque Christiano more agere se velle testabantur; id tamen nondum Ecclesiæ promiserant, quia de Baptismo aliquando suscipiendo nondum apud se decreverant: se velle instrui tantùm præsefetebant, atque ideo Christianorum synaxes audiendi causa sæpè adibant, cum iis libenter versabantur, & de Religionis mysteriis discendi causa colloquebantur, Idolorumque cultum se horrere palàm profitebantur. Talis Catechumenus erat S. Augustinus, cum Manichæorum secta illi vilescere cœpit, atque hanc inter & religionem Christianam fluctuare, ut ex illius verbis colligitur in fine lib. 5. Confessionum; *Statui ergo tamdiù esse Catechumenus in Catholicâ Ecclesiâ mihi a Parentibus commendatâ, donec certi aliquid eluceret.* Frequentabat Ecclesiam, sanctique Ambrosii Sermones, sed de iis variè & humanitùs judicans, ut ex iis, quæ antecedunt, elucet. Tales erant primis quatuor sæculis penè innumeri: quotquot scilicet Baptismum ad finem usque vitæ differebant; ut liberè voluptatibus indulgerent; veniæ integræ per baptismum obtinendæ securi, qui, ut scribit Tertullianus, *Certi indubitata venia delictorũ, medium tempus interim furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* Homines isti ut ab Ethnicis, hæreticis & Judæis distinguerentur, vocabantur Audientes, atque etiam Catechumeni, eo quod se rudimenta fidei Christianæ edoceri non gravatè ferebant, imò

imò sæpiùs maximo studio iis edifcendis incumbebant.

Ejufmodi Cathechumeni caduco & fragili admodum vinculo cum Ecclefiâ devinciebantur, ut res ipfa, fanctique Auguftini verba demonftrant. Idem enim quod licebat ipfis, licebat & Gentilibus, & Judæis, & hæreticis, ut ftatuit Concil. Cartag. 4. c. 84. *Epifcopus nullum prohibeat Ecclefiam ingredi, & audire verbum Dei, five Gentilem, five Hæreticum, five Judæum, ufque ad Miffam Catechumenorum.* Hoc decretum renovat Concilium Valentinum Hifpaniæ c. 1. rationibus additis, quas Lector eo loco confulere poterit. Ideo nullis precibus, nullâ facrâ expiatione ejufmodi Catechumenos dignabatur Ecclefia, fed auditis facrarum Scripturarum lectionibus, & Epifcoporum, feu Presbyterorum fermonibus, fi qui habebantur, antequam Miffa feu Officium Catechumenorum proprium celebraretur, non fecùs ac Gentiles & Judæi foras mittebantur. Eodem modo erga eos fefe gerebat Ecclefia, quo circa pœnitentes à Græcis potiffimum audientes dictos, de quibus Concilium Ilerdenfe c. 4. *Qui fe inceftus pollutione commaculant, & in peccato perfeverant, ufque ad Miffam tantùm Catechumenorum in Ecclefiâ admittantur.* Canonem hunc repetunt Rabanus c. 2. de Pœnitentiâ, & Burchard. l. 7. c. 3. Ideo in iftos Catechumenos nullam fibi Ecclefia arrogabat autoritatem: Nihil enim Ecclefiæ promiferant, nulloque facto ritu, quo privari poffent, ab eâ purgabantur. Omnis pœna Ecclefiaftica in aliquâ excommunicatione feu ἀφορισμῷ confiftit, hoc eft in privatione alicujus rei, quam cum aliis communicat. Sed cum his Catechumenis nihildum communicat, quod cum puris putis Ethnicis non communicaret. Quapropter eorum vita morefque Ecclefiafticæ admonitioni, nec Cenfuræ obnoxii funt. Dicebantur tamen ex ufu Ecclefiæ Catechumeni; ita enim fe talem profitetur S. Auguftinus, cum in eo ftatu effet, quem defcripfimus. Sic & Pollentius atque ipfe Auguftinus in fine Libri primi de adulterin. conjugiis, Catechumenum vocant eum ethnicum, qui non modò adulter eft publicus, fed concubinam fæpiùs monitus deferere non vult. Suadet morientem baptizari, quia Catechumenus eft, licet concubinam

Gentilis, & pœnitentiam intelligere debemus. Duos ergo hædos optimos Iacob matri obtulit, quia per confessionem peccatorum & pœnitentiam, quæ via est ad fidem euntibus, populus Gentilis ad eandem fidem properavit percipiendam. Qui hædi optimi dicuntur fuisse, quia valdè acceptabilis Deo est pœnitentia peccatoris, cum abrenunciatione vitiorum, sicut ipse Dominus noster dicit in Evangelio, Gaudium est in Cœlo, &c. Per unum peccatorem, populum Gentium; per nonaginta vero novem iustos, Iudæos intelligi volens.

Zeno Veronensis Episcopus auctor antiquus & eloquens, eidem Ecclesiasticæ consuetudini testimonium perhibet in sermonibus, quos diebus Paschalibus ad Neophytos habuit: Sermone enim 2. explicatis conscientiæ peccatricis stimulis addit. *In hoc reatu fratres usque nunc fuistis: sed fortiter examinati estis, sed ut indulgentiam perciperetis, pro vobis benè vigilastis, optimè estis auditi. Novum iudicii genus, in quo reus, si excusaverit crimen, damnatur; absolvitur, si fatetur.* Et serm. seq. *At verò nostra (claves) acervatim absolvunt, quidquid invenerint, nec aliquid subcesivi esse patiuntur, sed pectorum aperiunt cuncta penetralia: diligenter universa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illò vel frivolum, inde quod excluditur, revertatur. Mira ratio; mira beatitudo. Salvo reo, punitur reatus in eo, integroque statu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde est quod nostra non habet necessaria tormenta confessio; quod sine sudore tortoris facinora sua sponte reus, ut fiat innocens, confitetur.* Eadem Serm. 7. repetuntur. Ista de confessione tantum intelligi possunt, quam paulò ante baptismum ediderant. Habitæ sunt enim conciones illæ unum aut alterum diem post Neophytorum baptismum. Verum hæc omnia evidentissimè non modò docet, sed inculcat S. Cyrill. Patriarcha Hierosolymitanus. Sic ille Catechesi 1. ad illuminandos. [h] *Tempus præsens, est tempus confessionis. Confitere quæ perpetrasti, sive verbo, sive opere, sive noctu, sive interdiu. Confitere tempore acceptabili, & in die salutis. Suscipe cælestem thesaurum, & in exocismis studiosè*

[h] Καιρὸς ἐξομολογήσεως ὁ παρών. ἐξομολόγησαι τὰ πεπραγμένα, τὰ ἐν λόγῳ, τὰ ἐν ἔργῳ, τὰ ἐν νυκτὶ, τὰ ἐν ἡμέρᾳ. ἐξομολόγησαι ἐν καιρῷ δεκτῷ καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας. Δέξαι τὸν ἐπουράνιον θησαυρόν. σχόλασον εἰς τοὺς ἐξορκισμούς. Παρέδρευε ταῖς κατηχήσεσι.

verseris, assistas Catechesibus, &c. In hujus rei faciendæ exhortatione, tota consistit Catechesis secunda: paucula excerpemus [l] *Benignus est Deus, & non parum benignus, non ergo dixeris, scortationem & adulterium commisi, gravia patravi scelera, idque non semel, sed frequentissime; numquid condonabit? Numquid obliviscetur? non vincunt tua peccata multitudinem miserationum Dei, &c.* Multis hoc probat exemplis, deinde ad mulieres transit. [l] *Verum enimverò & ex mulieribus, si fortè aliqua dicat, scortatione & adulterio polluta sum, fœdavi corpus meum omni genere luxuriæ, numquid erit salus? Aspice Raab ô mulier, & spera tu quoque salutem: nam si ea quæ apertè publiceque scortata est, salvata est per pœnitentiam, numquid quæ semel tantum fornicata est ante gratiam, per pœnitentiam & jejunium non servatur?* Si viri mulieresque potissimùm hæc peccata ante baptismum confitentur, eaque pœnitentiâ & jejunio purgant, quantò magis cætera, quæcumque sint. Et post multa. [m] *Vis cognoscere quantam vim habeat pœnitentia? Vis nosse hæc fortia salutis arma, & discere quàm multis prævaleat confessio?* Exemplo Ezechiæ hoc docet, deinde concludit, [n] *convertere & de te ipso ingemisce, claude januam, & supplica, ut tibi remittatur, ut flammas te urentes auferat. Poterit enim confessio etiam ignem extinguere, poterit & leones cicurare, &c.* Tandem proposito, & enarrato Nabuchodonosoris exemplo, infert, [o] *Quid igitur? Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus, quam primùm confessus est, peccata remisit, Re-*

---

[l] φιλάνθρωπος ὁ θεὸς, καὶ φιλάνθρωπος οὐκ ὀλίγον. Μὴ γὰρ εἴπῃς, ἐπόρνευσα, ἐμοίχευσα. τὰ δεινά μοι πέπρακται, καὶ οὐκ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, ἆρα συγχωρήσει; ἆρα παρέξει τὴν ἀμνηστίαν. οὐ νικᾷ σου τὰ συναχθέντα ἁμαρτήματα τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ.

[l] Καὶ ἐν γυναιξὶν ἐρεῖ τις. ἐπόρνευσα ἐμοίχευσα, ἐμόλυνα τὸ σῶμα παντοίαις ἀκολασίαις. ἆρ᾽ ἔστι σωτηρία; ἀπόβλεψον ὦ γύναι εἰς τὴν Ραὰβ καὶ προσδόκα καὶ σὺ τὴν σωτηρίαν. Εἰ γὰρ ἡ φανερῶς καὶ δημοσίᾳ πορνεύσασα, διὰ μετανοίας ἐσώθη, ἆρα ἡ ἅπαξ ποτὲ πορνεύσασα, πρὸ τῆς χάριτος διὰ μετανοίας καὶ νηστείας οὐ σώζεται;

[m] Βούλει γνῶναι πόσον ἰσχύει μετάνοια; θέλεις γνῶναι τὸ καρτερὸν τῆς σωτηρίας ὅπλον, καὶ μαθεῖν πόσον ἐξομολόγησις ἰσχύει.

[n] Ἀπόστρεψον, καὶ στέναξον σεαυτὸν, ἀπόκλεισον τὴν θύραν, καὶ προσεῦξαι, ἵνα σοι ἀφεθῇ, ἵνα σου περιέλῃ τὰς φλόγας τὰς καυστικάς. ἰσχύει γὰρ ἐξομολόγησις καὶ πῦρ ἰσχύει καὶ λέοντας ἡμερῶσαι.

[o] Τί οὖν; τῷ μὲν Ναβουχοδονόσορ τοιαῦτα διαπραξαμένῳ καὶ ἐξομολογησαμένῳ δίδωσι τὴν συγχώρησιν, καὶ τὴν βασιλείαν σοὶ δὲ μετανοοῦντι οὐ δίδωσι τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν ἐὰν ἀξίως πολιτεύσῃ.

gnumque restituit: tibi vero agenti pœnitentiam, non remittet? Vides pœnitentiam cum confessione conjungere, unumque altero propter necessariam conjunctionem permutare. Plura ex hoc autore afferri possunt, sed hæc cum sint evidentissima, sufficiunt.

Philo S. Epiphanii Diaconus, & postea Carpathiorum Episcopus, commentario in Cantica, hæc verba interpretans, Dentes tui sicut greges Lotarum. *Hæc* inquit, *Salomon addit, ut ex verâ confessione scelerum, in ipso lavacro regenerationis toti mundati sint, & nive candidiores facti, veterem hominem cum malefactis suis omnibus exuti, atque cupiditatibus, jamque interiori mentis cogitatu atque acie divinarum rerum salutares cibos, & arcana mysteriorum pabula sibimetipsis conterunt, ac mandunt.* Et paulò post: *Verè duplici fœtu omnis fidelis anima decoratur à sponso, postquam omnium delictorum labe, per salutarem confessionem atque baptisma, vel pœnitentiam purgata est & lota.* Peccatorum confessionem in baptizandis urget, ut ex vulgatâ Ecclesiæ praxi, necessariam & baptismati & pœnitentiæ præmittendam. Anastasius Nicænus Episcopus, q. 6. idem docet, respondensque quæstioni propositæ, an sit bonum confiteri peccata viris spiritualibus, promiscuè & de peccatis ante baptismum, verba facit. *Necessé est ergo confiteri peccata iis quibus credita fuit dispensatio. Scriptum est enim in Evangelio quod, qui baptizabantur baptismo Joannis, confitebantur peccata sua: In Actibus autem Apostolorum, quod, qui ab eis baptizabantur, confitebantur actus suos.* Idem asserit S. Isidorus ab eodem Anastasio citatus: *Maximè quidem demus operam ut non peccemus, si autem peccaverimus, ne per negationem & morbi occultationem, causam nostram reddamus graviorem. Ne dedigneris confiteri peccatum tuum, sciens quemadmodum baptizavit Joannes, &c.*

Hujus confessionis ut porè apud omnes Ecclesias usitatæ, plura occurrunt exempla, ut Historiæ Tripartitæ, l. 9. c. 29. *In Alexandrinâ civitate plurimi ad baptismum festinabant, & peccata confitentes baptizabantur.* In vitâ sanctæ Pelagiæ Nonnus Episcopus baptismum suscepturæ præcipit, *priùs confitere omnia peccata tua.* Vitæ S. Sylvestri autor sic inducit, hunc Pontificem hortantem

infortunia, quæ differentibus baptiſmum contingere ſolent, Hoc enumerat, quod vix confiteri poſſint, p *Quid exſpectas beneficio febris baptizari, quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris &c. non ſecurè confiteri* ἐν ὁμολογῆσαι ἀσφαλῶς οὐχὶ συνθέσθαι θεῷ. *non cum Deo paciſci, &c.*

CAPUT TERTIUM.

Quid ſignificent Ethnicis & Chriſtianis κατηχεῖν, κατηχεῖσθαι *&* κατηχούμενος *Chriſtiana Catechumenorum, &,* κατηχεῖσθαι *ſignificatio Ethnicis inſolita; ab Apoſtolis primùm uſurpata, & quamobrem? quid* μυεῖν, μυεῖσθαι; μύσται *&* ἐπόπται, *& quid in diſciplinâ Chriſtianâ his reſpondeat. Tyrones Religionis Chriſtianæ antiquis Latinis Catechumeni promiſcuè & audientes dicti, ſed Græcis audientes ſive* ἀκροώμενοι, *à Catechumenis ſemper, & quâ ratione diſtincti.*

QUÆ duobus præcedentibus Capitibus de pœnitentiâ & confeſſione Catechumenorum demonſtrata ſunt, funditùs evertere videntur quæcumque diximus de differentiâ peccatorum ante & poſt baptiſmum confeſſorum. l. 3. de pœnit. c. 1. & ſequent. Nam ſi baptiſmo ritè ſuſcipiendo neceſſaria eſt adultis pœnitentia ſimul & confeſſio, concidit quidquid à nobis baptiſmatis virtuti ex antiquorum Patrum mente adſtructum eſt, omnia ſcilicet peccata, omnemque pœnam remittere, nullam baptizandis ab Eccleſiâ pœnam, nullos labores injungi. Concidit quidquid dictum eſt de præclaris illis & religioſis rationibus quibus commoti ſeveriſſimâ pœnitentiâ vindicarunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, nullâ verò quæ ante baptiſmum. Quid enim ſeveriùs, imò duriùs quam baptiſmi candidatos ad minutam peccatorum confeſſionem &

---

p τί ἀναμένεις πυρετῷ σοι δῶρον γενέσθαι τὸ βάπτισμα; ὅτε οὐδὲ φθέγξασθαι δυνήσῃ τὰ σωτήρια ῥήματα, τάχα δὲ οὐδὲ ἀκοῦσαι καθαρῶς.

longam de istis peccatis pœnitentiam cogere ? Itaque nullo discrimine habito, peccata sive ante sive post baptismum perpetrata ex æquo punienda erant ; quo nihil fingi potest S S. Patrum menti & Ecclesiæ praxi magis contrarium. Neque difficultati satisfacit, si quis dicat peccata post baptismum graviori pœnitentiâ, ante baptismum leviore puniri. Capite enim speciali 3. l. 3. de Pœnit. nullâ puniri demonstratum est. Deinde cum tot rationibus, quas adducunt Patres discriminis inter ista peccata, non conveniunt quæ de pœnitentiâ & confessione Catechumenorum diximus : ita enim utramque testimonia citata describunt, ut illis rationibus, aut nullus locus, aut certè vix locus esse videatur.

Difficultas ista penitùs discuti & explicari non potest, nisi antiquam Ecclesiæ disciplinam in Catechumenis non modo purgandis, sed etiam erudiendis & castigandis enarraverimus, illius fundamenta, rationes, ordinem & scopum aperuerimus, quod initio hujus libri 1°. loco nobis inquirendum & explicandum suscepimus. Proposito nostro apprimè convenit iste sermo, non tantum ex eo, quod pœnitentiæ natura visque penitiùs introspicitur & aperitur, sed etiam quod ad institutum nostrum peculiariter pertinet, quidquid Ecclesiæ disciplinam & autoritatem in criminum expiatione & castigatione spectat. Quapropter longiùs hanc de Ecclesiæ in Catechumenos autoritate & disciplinâ dissertationem non duximus differendam. Quæcumque respiciunt baptismi formam & materiam, ceremonias quoque quibus & nunc & antiquitùs celebrabatur prætermittimus: Ea enim alij occuparunt, & ab instituto nostro prorsus aliena sunt, nulloque cum antecedentibus necessitatis vinculo connectuntur. His igitur omissis disciplinam & jurisdictionem ab Ecclesiâ in Catechumenos exercitam, explicare aggrediamur. Catechumenorum tria genera sive gradus apud Antiquos commemorantur, de quibus sigillatim differemus, si priùs de nominis notione aliqua delibaverimus.

Catechumenus Græca dictio est ἀπὸ τῦ κατηχεῖν formata, quod sonare significat ;

μιμητικῶς quoque sumitur pro insonare aliquid, unde Christianis familiare fuit κατηχεῖν κατηχεῖσθαι atque etiam κατηχίζειν usurpare pro docere rudimenta religionis Christianæ, & Catechumeni, qui religionis Christianæ elementa docentur; metaphorâ sumptâ à frequenti repetitione documentorum scientiæ tyronibus fieri solita. κατηχεῖν igitur est docere, quasi diceres aliquid insonare: κατηχούμενος cui aliquid insonatur, qui eruditur. Scientiarum enim elementa tyronibus sæpiùs ingeminanda sunt, & repetenda, ideo Clemens Alexandrinus initio libri 6. stromatum, institutionem, quæ pueris datur, Catechesim vocat. Sic quoque Catechesim definit Gregorius Nazianzenus in fine Iambici 15. Hoc docent nonnulli patres præclarâ lactis metaphorâ; ut S. Cyrillus in Esaiæ verba: Lætare Jerusalem, & conventum facite &c, ad finem commentarij, ubi hæc Canticorum verba interpretatur, meliora sunt ubera tua vino, [q] *Primus*, inquit, *cibus infantibus conveniens, admittentibus fidem in Deum nostrum Jesum Christum porrigitur, idest, tener & simplex sermo catecheseos. Sic enim Paulus quosdam alloquens ait, Lac vobis ad potandum dedi non cibum. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Quod autem non semper Infantes & esse & videri conveniat eos, qui semel Catecheseos sermonem imbibunt &c. Ita quoque S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4.* [r] *Patienter ferant ij, qui in hoc cœtu perfectiores sunt, & doctiores jam exercitatos habentes & animi habitum & sensus ad boni malique discretionem si pueriliorem audiant, & quasi lacteam institutionem, ut simul & qui catechesi opus habent, proficiant, & qui notionem habent, de quibus jam ante sunt*

q Πρώτη δὲ πάντως τοῖς τὴν πίστιν προσιεμένοις τὴν εἰς τὸν θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν χριστὸν νηπιοπρεπὴς προσάγεται τροφή, τουτέστιν ὁ τρυφερὸς καὶ ἁπλοῦς τῆς κατηχήσεως λόγος. οὕτω γὰρ που καὶ ὁ Παῦλος προσφωνεῖ τισιν ἐκπιεῖν. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα. οὔπω γὰρ ἐδύνασθε· ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε. ὅτι δὲ οὐκ ἀεὶ νηπίους τε εἶναι, καὶ ὁρᾶσθαι πρέπει τοὺς ὅπερ ἅπαξ τὸν τῆς κατηχήσεως ἐκπίνουσι λόγον.

r Ἀνεχέσθωσαν δὲ τῶν παραγγέλων οἱ τελειότεροι, τὴν ἕξιν καὶ τὰ αἰσθητήρια ἤδη γεγυμνασμένα ἔχοντες πρὸς διάκρισιν ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ, νηπιωδεστέρας ἀκούοντες καὶ τῆς γαλακτώδους εἰσαγωγῆς, ἵνα ἅμα καὶ οἱ τῆς κατηχήσεως χρείαν ἔχοντες ὠφεληθῶσι· καὶ οἱ τὴν γνῶσιν ἔχοντες, περὶ ὧν προεγνώκασιν ἤδη, τὴν μνήμην ἀναζωπυρῶσι.

instructi, *memoriam renovent*. Eodem prorsùs argumento fideles hortatur Chrysologus serm. 62. symbolum baptizandis explicaturus. Sed eamdem metaphoram latè prosequitur Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. c. 6. atque de catechesi interpretatur, quod scribit S. Paulus. 1. Cor. 3. Lac vobis potum dedi, tanquam infantibus, carnalesque ibidem intelligi τοὺς νεωστὶ κατηχουμένους, καὶ νηπίους ἔτι ἐν Χριστῷ. eodem spectat quod docet lib. 6. stromatum post medium, ubi quatuor explicat insitionum genera, quorum primum catechesi comparat. [s] *Aiunt*, inquit, *insitionem fieri quatuor modis. Uno quidem, quo inter lignum & corticem oportet id adaptare quod inseritur; quo quidem modo Catechismum suscipiunt qui sunt ex Gentibus Idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie &c.* Eodem sensu scribit Hieronymus ad Domnionem Ep. 51. se in scripturis sanctis addiscendis Gregorium Nazianzenum, Didymum Alexandrinum catechistas habuisse. Commentarius in Marcum S. Hieronymo tributus c. 1. Catechumenum interpretatur, instructum, ut & Eucherius Lugdunensis. Magìs appositè interpretati fuissent, qui instruitur, nam in præterito Neophytum & fidelem sonat. Frustrà in re clarâ exponendâ, & perpetuâ Ecclesiæ in hunc usque diem consuerudine notissimâ diutius immoramur.

Vix dictio ista eo sensu apud autores Ethnicos antiquos deprehenderur. Eam quidem usurpat Lucianus in Dialogo philopatris, sed à Christianis mutuatus, quorum ibi ceremonias ridet. Affertur ex Porphyrio : κατήχησις pro rudimentorum alicujus scientiæ traditione, verùm hoc ex Christianâ disciplinâ & familiaritate desumptum. Erhnici rem eamdem dicebant usitatissimâ dictione μυεῖν ut ἐμυήθη μόνος βαρβάρων ἀνάχαρσις, ὄργια μεμύηται, ἐμύησε τοὺς Ἕλληνας, & innumera ejusmodi quæ significanr res sacras docere, aut passivè ab aliis edoceri. Qui mysteria illa discebant μύστας appellabant, qui edocti erant ἐπόπτας. Suidas in voce ἐπόπτης scribit. οἱ τὰ μυστήρια παραλαβόντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύσται.

[s] Φασὶ δὲ οὖν γίνεσθαι τὸν ἐγκεντρισμὸν κατὰ τρόπους τέσσαρας. ἕνα μὲν καθ' ὃν μεταξὺ τοῦ ξύλου καὶ τοῦ φλοιοῦ ἐναρμόζειν δεῖ τὸ ἐγκεντριζόμενον. ὡς κατηχοῦνται οἱ ἐξ ἐθνῶν ἰδιῶται ἐξ ἐπιπολῆς δεχόμενοι τὸν λόγον.

μετ᾽ ἐνιαυτὸν δὲ ἐπόπται ἢ ἔφοροι. Itaque Mystæ iidem Ethnicis erant, qui Christianis κατηχούμενοι, & ἐπόπται qui, πιστοὶ, fideles mysteriorum inspectores, & μυεῖν quod κατηχεῖν, sive κατηχεῖσθαι, fere enim semper passivâ formâ activè sumptâ utuntur. Mystæ, ut scribit Suidas, annum integrum erant, quo elapso velut acto tyrocinio aperta mysteria conspiciebant, dicebanturque ἐπόπται. Hujus rei insigne exemplum legitur apud Plutarchum in Demetrio, Athenas, inquit, proficiscens Demetrius ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. *Scripsit se velle, cum primùm adventaret, mysteriis initiari, & sacros ritus omnes à parvis ad usque Epoptica sibi tradi.* Quod timore perculsi Athenienses permisere, τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ γεγονὸς πρότερον. ἀλλὰ τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλείποντες. *Quod*, inquit Plutarchus, *nefas erat, & antea factum non fuerat; sed parva Anthesterione mense perficiebantur, magna vero Boedromione. Anni igitur spatio minimorum & magnorum inspectores erant.* Itaque eorum mystagogia sive Catechumenatus anni spatio definiebatur.

Primis Religionis Christianæ fundatoribus Idololatrarum nomen alio commutare visum est, ne mysteriis suis aliquid Idololatricum subesse suspicio suboriretur. Primis dico, cum hujus commutationis Autores fuerint Apostoli. Primi enim in eâ significatione hoc verbo usi sunt S. Paulus manifestissimè cap. 6. Epist. ad Galatas. vers. 9. κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς quod antiquus interpres optimè ex usu Ecclesiæ vertit *Communicet autem is, qui Catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Sanctus Lucas initio Evangelij, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν Rectè iterùm interpres, *ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem*, legit ἀλήθειαν sed hoc nihil ad rem nostram. Ex quo loco colligi potest, de quibus rebus erudiri & informari debebant

a Melius vertit Xylander, Recondita inspiciebant interjecto à magnis ut minimum, anno uno anni unius ut minimum spatio. Sæpè enim spatium illud anno longius erat.

Catechumeni, sed de hoc, capite sequenti. Iterum Actuum 18. vers. 25. οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου Interpres, *hic erat edoctus viam Domini*. S. Paulus denique 1. Cor. 14. v. 19. ἵνα καὶ τοὺς ἄλλους κατηχήσω, *ut & alios instruam*. Cum igitur Apostoli Græcorum primi hanc dictionem instructioni consecraverint Christianæ Religionis candidatorum, quid mirum si universæ eos sequutæ sunt Ecclesiæ, Orientemque & Occidentem pervasit hæc sacra dictio? Ideo nonnihil miror, cur voce hac nunquam fuerit usus Dionysius, sed frequentissimè τὸ μυεῖν & ejus derivata usurpaverit; ter verò aut quater tantùm in uno Capite κατηχουμένους dixerit, quia tum alitèr à Lectoribus Christianis intelligi non potuisset.

Quæstio enim erat de iis, qui à sacrâ synaxi pelluntur, Catechumenis, Energumenis, & Pœnitentibus si τοῖς ἐνεργουμένοις, καὶ ἐν μετανοίᾳ οὖσιν ἀμυήτοις. junxisset, quis è vulgo Christianus istius nominis sensum intellexisset? quem verò intelligentem ea novitas non perculisset? Isidorus, Alcuinus, Amalarius, & alii Catechumenos interpretantur audientes, & nonnulli auditores, sed Autoribus istis in iis, quæ Grammaticam Græcam spectant, parva fides adhibenda. Multò sanè meliùs vim dictionis intellexit Tertullianus cum cap. 41. lib. de Præscriptionibus exprobravit, *omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti*.

Antiquissimi Latini Catechumenos vocabant quoque audientes. Ita Tertullianus eos ter vocat cap. 6. lib. de Pœnitentiâ, & semel Auditores, atque iterum semel c. 7. S. quoque Cyprianus Epist. 13. & 24. ex quibus apparet iis sæculis audientium nomine à Latinis Catechumenos vocari solitos. Non erat tamen illis ipsis Catechumeni appellatio inusitata. Ita enim eos vocat Cyprianus Epist. 13. & Tertullianus lib. de Coronâ Militis c. 2. *Omnes ita observant à Catechumenis usque ad Confessores & Martyres* Et c. 41. libri de Præscriptionibus, *in primis quis Catechumenus, quis fidelis incertum est, Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. Ex quibus manifestè colligitur vulgatam quoque fuisse eo tempore Cathechumeni appellationem, & consequentèr antiquitùs à

Latinis promiscuè dictos, Audientes & Catechumenos. Sancti Augustini sæculo nondum erat obsoleta Audientium pro Catechumenis usurpatio; Sermone enim 46. de Verbis Domini, Catechumenos sæpiùs audientes appellat. Ea fortè ratio Isidorum, & alios posteriores induxit ut crederent idem significare ex etymo suo Catechumenum & Audientem.

Obiter notabit Lector Audientes posterioribus Latinis, sed Græcis potissimùm tàm posterioribus quàm antiquioribus à Catechumenis fuisse longè diversos. Audientes enim ἀκροώμενοι pœnitentium genus erant, & auditio ἀκρόασις pœnitentiæ statio, ad quam ablegabantur gravissimorum peccatorum rei, sic dicta, quod qui ibi starent, solâ scripturarum & prædicationum auditione fruerentur, nullâ oratione, aut aliò sacro ritu imbuti. Statio ista cum Pœnitentibus illis continebat quosvis Ethnicos & Judæos atque etiam primos Catechumenos. Itaque, cum passim ἀκροωμένους & Audientes in Canonibus legis, cave ne Catechumenos intelligas, aut ἀκρόασιν Catechumenatum; semper enim pœnitentes intelliguntur. Ante tamen Pœnitentiæ gradus constitutos, audientes promiscuè significabant, quotquot non erant sacrorum participes, sed de his postea. Notabit insuper Catechumenos à Tertulliano c. 6. de Pœnitentiâ vocari Novitiolos, & Catulos infantiæ adhuc recentis, qui nondum perfectis luminibus incerta reptant, Catechumenatum vocari Auditorum tyrocinium & tyrocinium absolutè à S. Hieronymo Epist. 1. sed hæc fuerunt Epitheta ingeniosè & eleganter à Tertulliano excogitata, non ordinariæ & Ecclesiasticæ Catechumenorum denominationes. Hæc de nominis notione delibata sunto.

CAPUT QUARTUM.

Prima Catechumenorum Classis seu statio explicatur.

CATECHUMENORUM stationes, & quibus pietatis officiis unaquæque lustrabatur, nobis nunc est explicandum. Prima Catechumenorum statio duo hominum genera in sinu suo complectebatur. Prius eorum erat, qui Episcoporum & Presbyterorum sermones cum aliquo ergà religionem Christianam affectu frequentabant; & verbis eam profiteri, vitamque Christiano more agere se velle testabantur; id tamen nondum Ecclesiæ promiserant; quia de Baptismo aliquando suscipiendo nondum apud se decreverant: se velle instrui tantùm præseferebant, atque ideo Christianorum synaxes audiendi causa sæpè adibant, cum iis libenter versabantur, & de Religionis mysteriis discendi causa colloquebantur, Idolorumque cultum se horrere palàm profitebantur. Talis Catechumenus erat S. Augustinus, cum Manichæorum secta illi vilescere cœpit, atque hanc inter & religionem Christianam fluctuare, ut ex illius verbis colligitur in fine lib. 5. Confessionum; *Statui ergo tamdiù esse Catechumenus in Catholicâ Ecclesiâ mihi a Parentibus commendatâ, donec certi aliquid eluceret.* Frequentabat Ecclesiam, sanctique Ambrosii Sermones, sed de iis variè & humanitùs judicans, ut ex iis, quæ antecedunt, elucet. Tales erant primis quatuor sæculis penè innumeri: quotquot scilicet Baptismum ad finem usque vitæ differebant; ut liberè voluptatibus indulgerent; veniæ integræ per baptismum obtinendæ securi, qui, ut scribit Tertullianus; *Certi indubitata venia delictorũ, medium tempus interim furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* Homines isti ut ab Ethnicis, hæreticis & Judæis distinguerentur, vocabantur Audientes, atque etiam Catechumeni, eo quod se rudimenta fidei Christianæ edoceri non gravatè ferebant, imò

imò sæpiùs maximo studio iis edificendis incumbebant.

Ejusmodi Cathechumeni caduco & fragili admodum vinculo cum Ecclesiâ devinciebantur, ut res ipsa, sanctique Augustini verba demonstrant. Idem enim quod licebat ipsis, licebat & Gentilibus, & Judæis, & hæreticis, ut statuit Concil. Cartag. 4. c. 84. *Episcopus nullum prohibeat Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* Hoc decretum renovat Concilium Valentinum Hispaniæ c. 1. rationibus additis, quas Lector eo loco consulere poterit. Ideo nullis precibus, nullâ sacrâ expiatione ejusmodi Catechumenos dignabatur Ecclesia, sed auditis sacratum Scripturarum lectionibus, & Episcoporum, seu Presbyterorum sermonibus, si qui habebantur, antequam Missa seu Officium Catechumenorum proprium celebraretur, non secùs ac Gentiles & Judæi foras mittebantur. Eodem modo erga eos sese gerebat Ecclesia, quo circa pœnitentes à Græcis potissimum audientes dictos, de quibus Concilium Ilerdense c. 4. *Qui se incestus pollutione commaculant, & in peccato perseverant, usque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesiâ admittantur.* Canonem hunc repetunt Rabanus c. 2. de Pœnitentiâ, & Burchard. l. 7. c. 3. Ideo in istos Catechumenos nullam sibi Ecclesia arrogabat autoritatem: Nihil enim Ecclesiæ promiserant, nulloque sacro ritu, quo privari possent, ab eâ purgabantur. Omnis pœna Ecclesiastica in aliquâ excommunicatione seu ἀφορισμῷ consistit, hoc est in privatione alicujus rei, quam cum aliis communicat. Sed cum his Catechumenis nihildum communicat, quod cum puris putis Ethnicis non communicaret. Quapropter eorum vita moresque Ecclesiasticæ admonitioni, nec Censuræ obnoxii sunt. Dicebantur tamen ex usu Ecclesiæ Catechumeni; ita enim se talem profitetur S. Augustinus, cum in eo statu esset, quem descripsimus. Sic & Pollentius atque ipse Augustinus in fine Libri primi de adulterin. conjugiis, Catechumenum vocant eum ethnicum, qui non modò adulter est publicus, sed concubinam sæpiùs monitus deserere non vult. Suadet morientem baptizari, quia Catechumenus est, licet concubinam

tere aliamque & aliam personam induere. Deinde c. 25. multis cum exhortandum docet, ut pristinos mores deserat, malos Christianos non imitetur, virtuti studeat, bonis operibus incumbat. Denique cap. 26. *His dictis interrogandus est, an hæc credat, atque observare desideret, quod cum responderit, solemniter utique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus.* Vides quomodo diligenti examine facto tandem initietur. Idem argumentum multis quoque persequitur, in Libro de Fide & Operibus toto capite 6. & aliis antecedentibus & consequentibus; unde tamen hoc tantùm depromemus. *Quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesiâ salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes, Catechumenorum gradus accipiant. Hoc fit multò diligentiùs & instantius his diebus quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismа sua nomina jam dederunt.* His verbis tria Lectori notanda sunt: Primum, non esse in cujuslibet potestate Catechumenum sese facere, sed gradum esse quemdam Ethnico ab Ecclesiâ suscipiendum. Secundum, postquam gradum illum susceperint, ab Ecclesiâ semper doceri & purgari, sed potissimùm postquam Competentium numero sunt adscripti. Tertium semper Catechumenis aliquem posse allegi, competentibus verò nequaquam. Infrà hæc tempora distinguemus. Eadem examinis consuetudo & forma ex plerisque testimoniis etiam hoc capite referendis colligetur.

Examine igitur facto, & vitæ melioris, & secundùm Christianam disciplinam agendæ pollicitatione datâ, statim in Catechumenum signo crucis solemnitèr inauguratur, & Ecclesiæ more tractatur. ut ex S. August. jam ostendimus, & ex multis aliis locis colligitur. serm. 3. c. 4. de diversis. & tract. 11. in. Joan. *Crucis characterem accipit Christianus, etiam cum sit Catechumenus, portatque in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui* & in Psal. 141. part. 2. serm. 1. *Ne dubitares, ne erubesceres, quando primùm credidisti, signum crucis in fronte, tanquam in domo pudoris accepisti, recole frontem tuam, ne signa expavescas aliena.* Ideo S. Augustinus cap. 20. de Catechizandis rudibus, in exhortatione ad Catechumenum faciendum præviâ sic

gari, atque inter audientes tolerari. Quod si iterum peccent, ab Ecclesiâ prorsùs expelli. Catechumenorum igitur secundam speciem continebat prima statio, sed qui propter crimina secundâ statione exciderant.

Zonaræ Commentarius in hunc canonem hanc doctrinam consuetudinemque egregiè explicat, & utrosque Catechumenos à se invicem distinguit. [u] *Duo Cathecumenorum olim erant ordines; alii quidem amplexi fidem, sed qui baptismum differrent, cum Catechumenis adstabant, dumque preces super Catechumenos recitabantur, genua flectebant, & postquam illud*, Catechumeni procedite, ***de more pronuntiatum esset, ingrediebantur. Alii primùm accedentes***, *minusque perfecti, scripturas audiebant, evangelioque recitato dimittebantur.* Eadem & evidentiùs Balsamon, & Aristæus in hunc Canonem. Catechumenos enim in perfectiores distingunt, & imperfectiores: Imperfectiores audiisse solas Scripturas, iis lectis, ad preces, quæ super Catechumenos fundebantur, non esse admissos, sed ab Ecclesiâ secedere jussos; perfectiores autem iis omnibus communicasse, nec secessisse, nisi Missâ Catechumenorum peractâ; atque equidem merito, cum propter ipsos hæc omnia peragerentur.

Hoc confirmat Concilii Nicæni Canon. 13. Jubet enim Catechumenos lapsos, hoc est Idololatriâ contaminatos, tribus annis audire, postea cum Catechumenis orare. [x] *De Catechumenis lapsis sancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes tantummodo: post hæc autem cum Catechumenis orent.* Erant igitur Catechumeni illi audientibus mixti, quibus cum orationes non communicabat Ecclesia. Appositissimè in hunc Canonem sic commen-

---

u Δύο τάξεις ἦσαν τῶν κατηχουμένων τὸ παλαιὸν, οἱ μὲν γὰρ πιστοὶ ὄντες, ὑπερτιθέμενοι δὲ τὸ βάπτισμα μετὰ τῶν κατηχουμένων ἵσταντο, καὶ δὴ ἐπὶ τοῖς κατηχουμένοις εὐχῶν λεγομένων ἔκλινον τὸ γόνυ ἐπεὶ δὲ ἐξεφωνήθη τὸ, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, τότε εἰσήρχοντο οἱ δὲ ἄρτι προσελθόντες καὶ ἀτελέστεροι ὄντες, τῶν ἁγίων γραφῶν ἤκουον καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ εὐαγγελίου ἀπελύοντο.

x Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων

tatur Ariſtænus. [y] *Duæ ſunt Catechumenorum ſpecies, alij enim recens advenerunt, alij perfectiores evaſerunt, quantum fieri potuit fidei myſteriis initiati. Perfectior igitur Catechumenus in peccatum incidens, non dimittitur impunitus, licet ſanctum baptiſma omnes animæ ſordes poſſit eluere ſed cum audientibus collocatur, trienniōq; exacto iterum cum Catechumenis precatur.*

CAPUT QUINTUM.

Secunda Catechumenorum ſtatio explicatur. Examen prævium, ſolemneſque ritus tàm Græcorum, quàm Latinorum, quibus huic ſtationi primùm adſcribebantur, & Catechumenatui initiabantur, ex antiquis monumentis editis & nondum editis eruuntur. Per ſignum crucis in utero Eccleſiæ concipiuntur; ſalis traditio Latinorum, non Græcorum ritus. Cur per manûs impoſitionem Chriſtiani aliquando fieri dicuntur.

EX ſecundæ Catechumenorum ſtationis deſcriptione, qualis prima fuerit innoteſcet. Secundæ huic ſtationi non quilibet adſcribebantur, ſed ii tantùm, quos, diligenti examine facto, conſtabat velle eſſe Chriſtianos, & ſincero initiationis deſiderio teneri, quocumque tandem modo pius ille animi motus in eos illapſus fuiſſet, ſive Chriſtiani alicujus admonitionibus, ſive ipſi ſola librorum Chriſtianorum lectione commoti fuiſſent, ſive præſens & immediata Spiritus ſancti inſpiratio eorum animum pupugiſſet, eique Idololatriæ & vitiorum odium infudiſſet.

[y] *Δύο εἴδη τῶν κατηχουμένων, οἱ μὲν γὰρ ἄρτι προσέρχονται, οἱ δὲ γεγόνασι τελειότεροι, ἐφ' ἱκανὸν τὸ τῆς πίστεως μυηθέντες. ὁ γοῦν τελειότερος κατηχούμενος παραπεσὼν, ἁμαρτάνων οὐκ ἀνεπιτιμήτως ἀφίεται, κἂν καὶ τὸ ἅγιον βάπτισμα ἱκανόν ἐστι πάντα ῥύπον ψυχικὸν ἀποπλῦναι. ἀλλὰ μετὰ τῶν ἀκροωμένων κατατάττεται καὶ μετὰ τριετίαν μετὰ τῶν κατηχουμένων αὖθις συνεύχεται.*

non deseruerit, & propter morbi violentiam, quâ obstupuit, se deserturum promittere non possit. Tales erant eorum plerique qui baptismum differebant, adversus quos agunt Tertullianus, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, & alii. Ideo enim differebant, ut aiunt illi Patres, ut securi integræ per baptismum salutis adipiscendæ, voluptatibus liberiùs sese dederent.

Origenes Lib. 3. in Celsum post medium, non inevidenter mihi videtur tres illos Catechumenorum ordines indicare: Ita scribit, ut hæc ipsius verba Interpretati sumus. n *Christiani quantâ possunt diligentiâ experiuntur & examinant animos eorum, qui ipsos audire cupiunt, & privatim dogmata sua illis priùs inculcant, ut, cum sufficienter eos audiisse, & in honesta vitæ voluntate profecisse judicaverint, publicum postea cœtum ingredi permittant, tuncque demùm in duos ordines separatos introducant; unum, recèns incipientium & admissorum, qui nondùm symbolum, quo purificentur, acceperunt. Alterum, eorum qui pro virili demonstraverunt voluntatem suam, seque nihil aliud velle, quam quæ Christianis placent: Apud quos nonnulli præpositi sunt, qui vitam moresque accedentium inquirant, ut qui vituperanda committunt, aditu ad cœtum communem prohibeant, eos verò, qui tales non sunt, amplectentes ut meliores quotidie evadant, procurent.* Perspicuè mihi videtur tres Catechumenorum Ordines descripsisse Primus eorum est, quos hic enarramus, qui privatim erudiuntur, nondum tamen Ca-

n Χριστιανοὶ δὲ, κατὰ τὸ δυνατὸν αὐτοῖς, προβασανίσαντες τῶν ἀκούειν σφῶν βουλομένων τὰς ψυχὰς, καὶ κατ' ἰδίαν αὐτοὺς προγυμνάσαντες, ἐπὰν δοκῶσιν αὐτάρκως οἱ ἀκροαταὶ, πρὶν εἰς τὸ κοινὸν εἰσελθεῖν, ἐπιδεδωκέναι πρὸς τὸ θέλειν καλῶς βιοῦν τὸ τηνικάδε αὐτοὺς εἰσάγουσιν, ἰδίᾳ μὲν ποιήσαντες τάγμα τῶν ἄρτι ἀρχομένων, καὶ εἰσαγομένων, καὶ οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκαθάρθαι ἀνειληφότων. Ἕτερον δὲ τὸ τῶν κατὰ τὸ δυνατὸν παραστησάντων ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι, ἢ τὰ Χριστιανοῖς δοκοῦντα παρ' οἷς εἰσί τινες τεταγμένοι πρὸς τὸ φιλοπυστεῖν τοὺς βίους, καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων ἵνα τοὺς μὲν τὰ ἐπίρρητα πράττοντας ἀποκωλύσωσιν ἥκειν ἐπὶ τὸν κοινὸν αὐτῶν σύλλογον τοὺς δὲ μὴ τοιούτους ὅλῃ ψυχῇ ἀποδεχόμενοι, βελτίους ὁσημέραι κατασκευάζωσιν.

Fallitur hic Morinus προσιόντες enim sive Accedentes, fideles sunt, in quibus non nulli reperiuntur qui post baptismum lapsi sunt & à cœtu communi prohibentur. Clarus est Origenis locus.

techumenorum Missæ, hoc est, orationibus, manuumque impositionibus adsunt, sed non secus ac Gentiles & Judæi solis Episcoporum sermonibus & Homiliis, donec voluntate eorum per varias Catecheses privatas confirmatâ, secundo ordini adscribantur. Difficile forsan alicui videbitur, quod eruditi in primo ordine auditores, in duas classes distribuantur, cum omnes ad secundum ordinem mitti debeant, ut per secundum ad tertium perveniant. Sed diligenter attendenti nihil est in hâc disciplinâ singulare Non enim omnium est idem in eodem ordine profectus. Deinde voluntas & Religionis propositum maximè spectantur. Ideo quibus est constans religionem Christianam amplectendi voluntas, facilè à primo ordine, transulto secundo, ad tertium evehuntur. Alii vero in secundo, aut etiam in tertio tamdiù detinentur, quamdiù vitæ pristinæ seriò deserendæ, & in religionem sinceræ propensionis, & affectus argumenta non dederint.

Posterius hominum genus, quod Catechumenica illa statio continet, Catechumenorum est secundæ stationis, qui propter peccata ad hanc stationem pulsi sunt. Ex quo insuper colligitur istius stationis à secundâ distinctio. Hoc nos docet Canon 5. Concil. Neocæsariensis. [t] *Catechumenus si in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit; is autem peccat, si genu quidem flectens, audiat non amplius peccans. Sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur.* Duo Catechumenorum gradus sive stationes evidentissimè commemorantur: audientium simpliciter, & genu flectentium. Priores illi sunt, dequibus nunc agimus, qui ad dominici, sive Ecclesiæ portam subsistunt, hoc est, cum audientibus, & consequenter nullâ oratione super eos factâ, ante omnem expiationis ritum dimittebantur: hinc est quod à genu flecten tibus distinguantur. Posteriores, si peccant, jubet Concilium ad priorum classem able-

[t] Κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς κυριακὸν ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ, οὗτος δὲ ἁμαρτάνων· ἐὰν μὲν γόνυ κλίνων, ἀκροάσθω μηκέτι ἁμαρτάνων. ἐὰν δὲ καὶ ἀκροώμενος ἔτι ἁμαρτάνῃ, ἐξωθείσθω. Conc. Neocæsar. Can, 5.

ejus capiti admovet, eoque signo crucis signato, sacerdotibus imperat, ut viri atque sponsoris nomina præscribat. S. [c] Clemens Lib. 7. c. 40. enarratis præcipuis doctrinæ capitibus, quibus ad religionem christianam accedens, erat ante baptismum informandus, subdit. [b] *Hæc & alia consequentia discat in Catechesi, qui accedit, qui verò manus imponit Catechumeno, gratias agat omnipotenti rerum Domino &c. post hanc actionem gratiarum doceat Catechumenum de Incarnatione Domini, de Passione ejus &c. cum autem advenerit tempus baptismi, discat qui Catechizatus est, quæ de renuntiando diabolo, & adscribendo se Christo. &c.* postea persequitur recitationem Symboli, olei benedictionem &c. unde manifestum est illam manûs impositionem, & crucis signationem, non modo in decursu Catechumenatus sed etiam in ipso institutionis, seu Catechismi initio, ut vult S. Augustinus, factam fuisse. Sulpitius Severus c. 11. vitæ S. Martini de Paganorum multitudine ob miraculum à S. Martino factum obstupescente sic scribit: *Nemo fere ex illâ immani multitudine Gentilium fuit, qui non impositione manus desideratâ Dominum Jesum relicto impietatis errore crediderit.* Impositionem manus suscipere, pro Catechumenatum inire posuit. Clariùs adhuc in lib. de virtutibus S. Martini. Explicato enim Gentilium de vitâ Christianâ amplectendâ proposito, addit: *Nec cunctatus, in medio, ut erat, campo, cunctos impositâ universis manu Catechumenos fecit: cum quidam ad nos conversus diceret, non irrationabiliter Catechumenos in campo fieri, ubi solerent Martyres consecrari.* In vita quoque S. [d] Alexandri Papæ, exhortatione ab eo factá legitur: *Cum autem omnes se credere affirmarent, præcepit Eventio & Theodulo, ut eis manus imponerent, facerentque Christia-*

μετὰ τὴν ὁμολογίαν ἐπιτιθέασιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας, καὶ σφραγισάμενοι, ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον.

Probat alibi Morinus ipse librum hunc de Hierarchia S. Dionysii Areopagitæ non esse.

b Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα μανθανέτω ἐν τῇ κατηχήσει ὁ προσιών, προσευχέσθω δὲ ὁ χειροθετῶν αὐτὸν τὸν θεὸν τὸν τῶν ὅλων δεσπότην εὐχαριστῶν ὑπὲρ τοῦ πλάσματος &c. καὶ μετὰ τὴν εὐχαριστίαν ταύτην παιδευέτω αὐτὸν τὰ περὶ τῆς κυρίου ἐνανθρωπήσεως, τά τε περὶ τοῦ πάθους αὐτοῦ &c. καὶ ὅταν ᾖ πρὸς αὐτῷ λοιπὸν τὸ βαπτισθῆναι ὁ κατηχηθεὶς μανθανέτω τὰ περὶ τῆς ἀποταγῆς τοῦ διαβόλου, καὶ τὰ περὶ τῆς συνταγῆς τοῦ χριστοῦ.

c S. Clementis non sunt libri Const. Apost. sed alicujus fortè, qui privatis cujusdam Ecclesiæ ritibus Apostolicam voluit addere autoritatem, quinto ferè sæculo.

d Nec certa, nec vetusti autoris est vita Alexandri Papæ.

nos. Ita legitur S. Amandus vltrajectensis Episcopus Dagoberti Regis filium dies. 40. vix natum, in manibus accepisse, benedixisse & Catechumenum fecisse. Et in Passione S. Pauli apud [e] Linum, spiculatoribus à sanctis Lucâ & Timotheo baptismum petentibus manus impositio facta est, sed baptismus dilatus. Licet signi crucis mentionem non faciant autores illi, adhibitum tamen fuisse dubitandum non est, sicut nec apud S. Augustinum manûs impositionem, licet eam non commemoret. Reliquas autem ceremonias propter hominum multitudinem, & loci circumstantias, omissas fuisse videtur probabile. Solemnẽ fuisse ad Catechumenatũ initiationem docet Gregorius l. 7. registri indict. 1. Ep. 24. Monitus enim judæos multos converti velle, mandat monitori, quod si longum nimis & tædiosum illis est, expectare Pascha, ut Episcopo consulto, quadraginta dierum observatâ abstinentiâ, occurrente aliquâ festivitate baptizentur. *si verò*, inquit, *sanctum Pascha elegerint expectare, iterum cum episcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque solicitudinem &c.* Ritus initiationis non enarrat; hoc enim ibi præposterum fuisset, sed omnes paucis verbis in Sacramentario suo refert titulo *ad Catechumenum ex Pagano faciendum*, his verbis*: *Gentilem hominem cum susceperis, primò catechizes eum divinis sermonibus, & des ei monita, quemadmodum post cognitam veritatem vivere debeat. Post hæc facies eum catechumenum, & exsuffles in faciem ejus, & facias ei crucem in fronte, & ponas manum super caput ejus his verbis: Accipe signum crucis tàm in fronte quàm in corde; sume fidem cœlestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis, & ingressus Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce: horresce idola, respue simulachra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum filium ejus, qui vivit, &c.* Postea super ipsum funditur Oratio, quâ finitâ, textus habet: *Inde verò postquam gustaverit medicinam salis, & ipse se signaverit, benedices eum his verbis, Domine sancte Pater &c.* Quinque igitur præcipuis partibus constat ritus faciendi Catechumenum: Explicantur illi nonnulla fidei mysteria, & vitæ perperam actæ corrigendæ necessitas illi indicatur, crediturum se, & vitam mutaturum promittit. Secundò in faciem ejus

e Apocryphus est Linus iste.

exsufflatur. Tertiò signo crucis in fronte signatur. Quartò manus imponitur capiti, & solemnia verba proferuntur. Quintò sal illi degustandum præbetur, & se ipsum signare jubetur. Denique benedictione ab Episcopo acceptâ dimittitur. Eadem leguntur in antiquo rituali manuscripto Ecclesiæ Rhemensis, qui nunc in Archivis Ecclesiæ Rotomagensis conservatur. Eademfere enarrat Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui ante annos nongentos scribebat, in libello de ordine baptismi, quem inter adnotationes in Sacramentarium S. Gregorii edidit Claudius Menardus congregationis sancti Mauri monachus, vir doctus, & antiquitatis studiosus. Citat & aliquot antiqua Ritualia, in quibus eadem leguntur, aut quæ eodem prorsus referuntur. Certè pleraque in antiquis Bibliothecis legimus, quæ cum vulgatissima sint, non est tanti in ea animadvertere. sed prætereundum non est eadem omnia & eodem modo ad sabbatum Pentecostes sub eodem titulo legi in antiquissimo manuscripto literis majoribus, ante annos circiter mille descripto, qui inscribitur,[f] Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui officia missarum Ecclesiæ Romanæ continet, qualia erant ante Sanctum Gregorium, quamquam aliquo post eum tempore, sed in Gallia, scriptus fuerit.

Aliud est præ manibus meis antiquum[g] Sacramentarium, sed Gallicum ejusdem cum priore ætatis, aut paulò posterioris, ex eâdem amplissimi viri Petavii instructissimâ bibliothecâ mutuò acceptum, in quo ordo formaque Christiani faciendi hæc traditur. Agitur autem de infante. Titulus est, *Ad christianum faciendum. Domine dignare benedicere hujus infantiam famuli tui N. quoniam nec conditione quicquam nec ætate depellitur, dicente dilectissimo filio tuo Domino nostro: Nolite prohibere infantes venire ad me; hi enim Domine antequam bonum aut malum faciant, crucis tuæ sigillo signantur, & quæ indiget dietatem ad sacri nominis tui baptismum percipere mereantur, per Dominum... Item cott. Accipe signaculum Christi, suscipe verba*

f Liber ille è Bibliothecâ Petavianâ translatus in Bibliothecam Reginæ Suetiæ, quæ Romæ est, Josephi Mariæ Thomasii clerici Regularis operâ in lucem editus est in 4°. an. 1680.

g Missale seu sacramentarium, quod Gallicum appellat Morinus, ab eadem Regina Romam Translatum idem edidit Thomasius ad calcem superioris sacramentarii. Videtur autem Missale istud Goticum, seu gotico-gallicanum ad usum Narbonensium.

divina, in luminare verbum Domini, quia hodie confessus es a Christo per dominum. Item cott. signo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus S., ut sis Christianus; oculos, ut videas claritatem Dei, aures, ut audias vocem Domini: nares, ut odores suavitatem Christi; conversus, ut confitearis Patrem & Filium & spiritum Sanctum: cor, ut credas Trinitatem inseparabilem. Pax tecum per Jesum Christum Dominum nostrum. Amanuensis, ut sæpè, omisit aliquid in oratione, & aliud perversè scripsit; sic forsan restitui posset, *& qui indigent ætate ad sacri nominis tui cognitionem, baptismum percipere mereantur.* Instructionis nulla mentio, quia infans illius non est capax: nec impositionis manuum expressa est mentio, quia in oratione contineri solet, & in exemplo Christi allato intelligitur. Quod ad gustationem salis attinet, non fuit illa ceremonia ubique observata, nusquam apud Græcos. Deinde hic agitur de Catechumeno faciendo, non de electo sive competente, qui solenniter intra missarum solemnia primordia, sale, ut infra dicemus, imbuebatur. Omnes illæ ceremoniæ ad faciendum Catechumenum referuntur ab Isidoro Lib. 2. de officiis c. 20. Alcuino Lib. de officiis divinis cap. de sabbato sancto, & Rabano Mauro Lib. 1. de institutione Clericorum. c. 27. Apud eos legi possunt; sed notabit lector Autores illos uno capitulo omnes baptismi ceremonias unâ serie enumerare, quæ variis temporibus & vicibus administrabantur. Nec erat opus ab iis ista distingui, cum illis sæculis ex earum vulgatâ observantiâ unius cujusque tempus nemini non esset cognitum.

In Græcorum Euchologio ordo est, ad Catechumenum faciendum ab ordine baptismi separatus, in quo ritus supradicti observantur omnes, exceptâ salis ceremoniâ, cujus nulla est apud Græcos memoria. Multæ etiam memorantur speciales ceremoniæ.[h] *Solvit sacerdos Zonam baptizandi, expoliat & discalceat eum, & sistit ad orientem solâ tunicâ indutum, discinctum, discoopertum & discalceatum, manus infernè habentem,*

---

[h] Λύει ὁ ἱερεὺς τὴν ζώνην τοῦ μέλλοντος φωτισθῆναι, καὶ ἀποδύει καὶ ὑπολύει αὐτὸν καὶ ἵστησιν αὐτὸν κατ' ἀνατολάς, μονοχίτωνα, λυσίζωνον, ἀσκεπῆ καὶ ἀνυπόδετον, ἔχοντα τὰς χεῖρας κάτω. καὶ ἐμφυσᾷ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ σφραγίζει αὐτοῦ τὸ μέτωπον, καὶ τὸ στῆθος ἐκ τρίτου καὶ ἐπιτίθησι τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ λέγων, ἐπὶ τῷ ὀνόματί

terque insufflat in faciem ejus, & tersignat frontem ejus & pectus, manuque super caput ejus impositâ, dicit: In nomine tuo, Deus veritatis, & unigeniti Filii tui, & Spiritus tui S. impono manum meam super servum tuum N. qui dignus factus est, qui confugeret ad nomen sanctum tuum, & conservaretur sub umbraculo alarum tuarum: Averte ab eo antiquum hunc errorem, & adimple eum fide, quæ est in te, & charitate. &c. Longior est hæc oratio. Orationem sequitur triplex exorcismus, deinde longa oratio, & abrenuntiationes satanæ, & operibus ejus sæpiùs iteratæ, & insufflationes, quas claudit brevis oratio. In antiquis Ritualibus Græcis similem Catechumeni faciendi formam legisse me memini.

Antiquitùs tamen ista videntur apud Græcos tribus diebus facta fuisse, non unâ & continuâ oratione. Sic enim Concilium constantinopolit. 1. c. 7. de quibusdam hæreticis, quorum nullum erat baptisma, atque adeo ad Ecclesiam revertentes, ut Ethnici recipiebantur, [i] *Eos inquit, ut Græcos admittimus, & primò quidem die Christianos facimus, secundò catechumenos: deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus eos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando: & sic catechizamus eos, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesiis, & audiant scripturas, & tunc ipsos baptizamus.* Eadem repetivit & confirmavit ducentis post annis Concilium sextum in Trullo c. 95. Negotium facessere potest, quod dicitur, *primo die facimus eos Christianos, secundo catechumenos.* Baptismus enim Christianum facit, sed hoc tribuitur virtuti crucis. Cum enim in Catechumeni initiatione alias ceremonias præcedat signum crucis, sitque signum exterius, cujus expressione Christianus ab Ethnico distinguitur, ubi in Catechumeni consecratione, actiones tempore separantur, primò dici Christianum à signo crucis conveniens est, deinde catechume-

-σου κύριε ὁ θεὸς τῆς ἀληθείας, ϗ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ϗ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ἐπιτίθημι τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε τὸν καταξιωθέντα φυγεῖν ἐπὶ τὸ ἅγιον ὄνομά σου ϗ ὑπὸ τὴν σκέπην τῶν πτερύγων σου διαφυλαχθῆναι. ἀπόστησον ἀπὸ τοῦ τὴν παλαιὰν ἐκείνην πλάνην ϗ ἔμπλησον αὐτὸν τῆς εἰς σὲ πίστεως ϗ ἐλπίδος ϗ ἀγάπης &c.

i Πάντας.. ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα ϗ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους· εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾷν, τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον ϗ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν ϗ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς ϗ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ϗ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, ϗ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

nicâ initiatione completâ, catechumenos. In antiquissimo gallico Rituali vidimus totam illam actionem inscribi ad Christianum faciendum, quæ in aliis Ritualibus editis, & manuscriptis dicitur, *facere catechumenum.* Modus est iste loquendi regionum & temporum, quo nomen rei perfectæ communicatur cum inchoatâ. Ita concilium Eliberitanum c. 39. locutum est, *Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum, ex aliquâ parte, honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri christianos*, id est catechumenos, ad quam initiationem fecit infirmitas, ut faciliùs admitterentur. Eodem referendus est canon 6. concilii Arelat. 1. *de his qui in infirmitate credere volunt, debere his manum imponi.* Ex quibus insuper ad rem nostram colligitur, contingente infirmitate, si Ethnicus baptizari desiderat, examen & fidei, & bonæ voluntatis, ut Catechumenatui initietur, multo minus severè faciendum esse.

CAPUT SEXTUM.

Catechumenos in Catechumenatu velut in utero Ecclesiæ per Oraculorum divinorum explicationem & traditionem à Patribus concipi dictos. Hac metaphorâ usos esse Platonicos. Quæ doctrinæ mysteria, quove ordine illis tradebantur, quæ abscondebantur?

NEMO, ut opinor, dubitare potest, Catechumenos, ante baptismi susceptionem mystéria fidei esse docendos, ipsa *catechumeni* dictio id demonstrat. τοὺς κατηχηθέντας στοιχειώσαντες βαπτίσατε. *Catechumenos religionis christianæ fundamenta edoctos baptizate*, inquit sanctus Clemens libro sexto capite 18. sed ante omnes Dominus noster Apostolis suis præceperat, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* & Philippus ad Eunuchum, *si credis ex toto corde, licet.* Catechumenatus erat tyrocinium, in quo, & fidei Christianæ mysteria, & vitæ secundum Evangelium componendæ ratio tradebantur, & discebantur. Ut enim ex S. Augustino didicimus, signo crucis in utero matris Ecclesiæ Catechumeni

concipiebantur, sic & oraculorum divinorum intelligentia & mysteriorum, fidei prædicatione & meditatione. Hoc nos quoque sanctissimi Patres docent sæpiùs, S. Dionysius cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, *Nullis sacris*, inquit, *initiati sunt*, [l] *sed adhuc paternis oraculis obstetricantur, vitalibusque figurationibus, & lineamentis finguntur ad beatum illum progressum vitæ, lucisque principem, qui a divino ortu proficiscitur*. & paulò post divina oracula vocat, μορφωτικὰ καὶ ζωωτικά, *formandi & vivificandi vim habentia*. De hac spiritali hominis per doctrinam & institutionem formatione & generatione multis disserit Origenes homilia 10. in Exodum. *Formatus infans potest videri sermo fidei in corde illius animæ, quæ gratiam baptismi consecuta est, vel quæ evidentiùs & clariùs verbum Dei concepit*. Dilucidè admodum hoc explicat [m] S. Ambrosius in c. 12. Apocalip. *Quando infans in utero coagulatur, humanamque formam accipit, & spiramentum; similiter & Ecclesia infideles quosque in utero gestat, dum eos prædicando tamdiù nutrit, usque dum humanam formam accipiant, id est usque dum in Christum credant, & animam spiritalem accipiant, quæ in baptismo datur, dum efficiuntur filii Dei &c.* Nec minus evidenter Chrysostomus sive autor operis imperfecti in Matt. hom. 49. *Quando prædicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt & habent eos in gremio suo quasi in utero, donec formentur Catechizati per singula membra pietatis & fidei, ut cum formati fuerint, è fonte tanquam utero Ecclesiæ in lucem edantur.* Fons ille sive uterus, è quo pariuntur Catechumeni, per variorum mysteriorum traditionem tandem concepti, baptismus est, ut expressè docet S. Ambros; & unicuique Christiano perspicuum est. Ideo Bachiarius antiquus autor in Epist. de recipiendis lapsis tomo 3. Biblioth. Patrum, hanc metaphoram continuans rectè dixit de baptizatis, *quos Ecclesiastici fontis uterus, & secreti ac perplexi vulva mysterii parturivit, quos natos crucis cuna suscepit, Evangelii mammilla lactavit.*

Præclarè sanè, & ad rem acutè S. Augustinus hac doctrinâ fre-

l Ἀλλ' ἔτι πρὸς τῶν πατρικῶν λογίων μαιευόμενοι, καὶ ζωογόνοις μορφώμασι διαπλαττόμενοι πρὸς τὴν ἐκ θεογενεσίας ἀρχίζωον, καὶ ἀρχίφωτον καὶ μακαρίαν προαγωγήν.

m S. Ambrosii opus non est, sed recentioris cujusdam Scriptoris. Vid. Sixtum senens.

tus Competentes advitam sanctè agendam hortatur serm. 116. de [n] tempore, ut dignè baptismum in proximo Paschate suscipiant, *Quia omnes Competentes uterus matris Ecclesia Christo inspirante concepit, nihil injustum aut inhonestum exerceant, ne fortè malè agendo viscera materna concutiant, & ante legitimum partum, velut abortum eos mater sancta projiciat.. Sed magis omnes competentes benigni sint, humiles &c.* Ivo quoque Carnutensis antiquorum vestigia premens serm. 4. ad Neophytos, hanc doctrinam illos docet. *Tria sunt, quibus usque ad indumentum novitatis baptizandus concipitur, alitur, & usque ad novitatis integritatem provehitur, catechismi scilicet, exorcismi, & orationes.* Eadem post Ivonem docet Hugo à S. victore lib. 2. de Sacramentis fidei parte 6. c. 10. hujus metaphoræ magnificæ rationem ex platonis Theæteto reddit Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum non longè ab initio. [o] *Alios enim secundum corpus concipere, alios vero secundum animam, cum apud barbaros philosophos catechizare, & illuminare regenerare sit. Hinc ego genui vos in Christo, dicit alicubi præclarus Apostolus.* Cum igitur Catechumeni documentis fidei, prædicationibus, & frequentibus catechesibus in utero matris Ecclesiæ conciperentur, & efformarentur, ut tandem eos per baptismum Christo generaret, operæ pretium aliquod facturi nobis videmur, si quæ mysteria illis explicarentur, dum Catechumenatûs tyrociniis eos exercebat Ecclesia, aperiamus. Non enim solebant antiqui patres omnia statim mysteriorum adyta pandere. Difficiliora & abstrusiora fidei mysteria in finem Catechumenatus, cum competentium ordini allecti erant, differebantur. Quæ igitur toto illo tyrocinio edoceri solerent inquiramus. S. Augustinus dilucidè hoc explicat, toto libro de Catechizandis rudibus, nec solum multa huius institutionis præcepta Diacono Carthaginensi tradit, sed & huius instructionis formulas. Paucis omnis illa instructio concipi potest, si separatim summa capita eorum, quæ docebantur & quæ non docebantur expresserimus. Quid docebantur his ver-

n Dubii sunt Sermones de tempore.

o Κύειν γὰρ τοὺς μὲν κατὰ σῶμα· τοὺς δὲ κατὰ ψυχήν. ἐπεὶ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις φιλοσόφοις τὸ κατηχῆσαι, καὶ φωτίσαι ἀναγεννῆσαι λέγεται. καὶ ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὁ καλός που λέγει ἀπόστολος.

bis

bis enarrat S. Auguſtinus cap. 3. libri jam citati: *Narratio plena eſt, cum quiſque primò catechizatur, ab eo quod ſcriptum eſt, In pricinpio fecit Deus cœlum & terram, uſque ad præſentia tempora Eccleſiæ. Non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totoſque Judicum & Regum & Eſdræ libros, totumque Evangelium, & actus Apoſtolorum, vel ſi ad verbum ea didicimus, memoriter reddere &c, ſed cuncta ſummatim generatimque complecti, ita ut eligantur quædam mirabiliora, quæ ſuaviùs audiuntur, atque in ipſis articulis conſtituta ſunt, & ea tanquam in involucris oſtendere, ſtatimque a conſpectu abripere non oportet, ſed aliquantulum immorando, quaſi reſolvere & expandere &c.* quæ multis proſequituri ut, omnia quæ in veteri teſtamento contingebant, in figurâ propter nos fieri; Dei amorem erga genus humanum aduentus Jeſu Chriſti in carne cauſam eſſe. Hinc colligi quantùm nos Deus amaverit, quantùm proximum diligere debeamus. c. 7. *Narratione finitâ ſpes reſurrectionis intimanda eſt, & pro capacitate ac viribus audientis, proque ipſius temporis modulo adverſus vanas irriſiones infidelium de corporis reſurrectione tractandum, & futuri ultimi judicii bonitate in bonos, ſeveritate in malos &c prædicandum eſt.* Conſequenter cum ad vitam religioſè agendam hortabatur, ut inferorum pœnas evitaret, & æternis gaudiis frueretur, hæc & ſimilia faciendus Catechumenus docebatur, quibus cum credere, vitamque, ut inſtruebatur, agere ſe velle pollicebatur, in Catechumenum ritu jam enarrato initiabatur. S. Auguſtinum imitati ſunt Ivo ſermone ad Neophytos, Hugo a S. victore. lib. 2. de ſacramentis fidei p. 6. c. 8. & alii.

Similia leguntur apud Clementem lib. 7. c. 40. & ſequentibus, ubi docet ſacerdotes, quibus doctrinæ myſteriis imbuendi ſint, qui primùm ad fidem veniunt, quibuſve, cum aliquos fecerint progreſſus. Sed Sancti Ambroſii brevem methodum utile erit hîc adtexere. Sic illam explicat lib. 6. commentar. in Lucam: *Cum aliqui ex Gentibus vocantur ad Eccleſiam, ita præceptorum ſeriem formare debemus, ut primò unum Deum autorem Mundi omniumque eſſe doceamus, in quo vivimus & ſumus & movemur &c. Deinde opinionem illam, quæ eſt de idolis, deſtruamus, & ut non poſſit auri argentique vel ligni materia vim in ſe habere divinam. Cum unum Deum eſſe perſuaſeris*

tunc indicio ejus adstrues per Christum nobis salutem datam, incipiens ab illis, quæ gessit in corpore, & ea divina describens, ut plusquam homo fuisse videatur, &c. ut cum supra homines fuisse videatur, Deus esse credatur. Sic esse procedendum Apostoli exemplo probat, deinde subdit, *Qui tractat, debet audientium considerare personas, ne priùs irrideatur quam audiatur &c. Non in principiis perfecta quæruntur, sed de principiis ad ea, quæ perfecta sunt, pervenitur.* Aliter postea docet cum judæis esse agendum, atque ejusdem Apostoli testimonio comprobat. His explicatis breviter quoque docet, quâ ratione Catechumeni, non quilibet, sed ii qui ad sacramenta fidelium tendunt, instruendi sint; verba ipsius infra referemus.

Institutionis istius Catechumenicæ cognitio erat adeo vulgata, ut Lucianum philosophum non latuerit. Sic ille in dialogo Philopatris inducit Christianum Sancti Pauli discipulum instruentem Catechumenum. Primùm docet gentium Deos homines fuisse impios, & fabulas, quæ de ipsis feruntur, irridet. Pergit postea Triephon Christianus Critiam imbuere.[h] *Legistine aliquando Aristophanis Comici poetæ fabulam, Aues? Critias, atque admodum. Tri. scriptum ab eo tale quippiam est, A principio Chaos, & nox & tenebræ nigræ, & Tartarus altus: Nulla autem Terra, nec aer, aut polus adhuc. Cri. rectè dicis, quid autem postea? Tri. Erat lux incorruptibilis, invisibilis, incomprehensibilis, quæ dissolvit tenebras, & informitatem ipsam abegit, verbo solo dicto ab ipsâ, quem ad modum tardilinguis iste descripsit. Terram firmavit super aquas, cælum explanavit, stellas formavit &c. estque in Cælo aspiciens justos pariter & injustos &c. rependet autem omnibus.* & post multa, *bona verba, Critia, neque quicquam contemptum aut vile de Deo dextero loquaris, sed Catechumenus existens, persuaderi a me tibi sine, si modo vivere cupis in ævum* &c. Ex

[h] Ἀνέγνωκάς ποτε τὰ τοῦ Ἀριστοφάνους τοῦ δραματοποιοῦ ὄρνιθας ποιήματα. Κρ. καὶ μάλα. Τρ. ἐγγέγραπται παρ' αὐτῷ τοιόνδε· χάος ἦν, καὶ νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ τάρταρος εὐρύς· γῆ δὲ, οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν. Κρ. εὖ λέγεις. εἶτα τί ἦν; Τρ. ἦν φῶς ἄφθιτον, ἀόρατον, ἀκατανόητον, ὃ λύει τὸ σκότος, καὶ τὴν ἀκοσμίαν ταύτην ἀπήλασε, λόγῳ μόνῳ ῥηθέντι ὑπ' αὐτοῦ, ὡς ὁ βραδύγλωσσος ἀπεγράψατο. γῆν ἔπηξεν ἐφ' ὕδασιν, οὐρανὸν ἐτάνυσεν, ἀστέρας ἐμόρφωσεν &c. καὶ ἐστὶν ἐν οὐρανῷ βλέπων δικαίους τε καὶ ἀδίκους &c. ἀνταποδώσει δὲ πᾶσιν ..... Τρ. εὐφήμει, καὶ μηδὲν εἴπῃς φλαῦρον θεοῦ δεξιοῦ, ἀλλὰ κατηχούμενος, πείθου παρ' ἐμοῦ, εἴπερ ζῆν χρῄζεις εἰς τὸν αἰῶνα.

istius epicurei Philosophi verbis evidens est hanc informandi & instituendi Catechumeni formulam apud omnes Christianos vulgatissimam fuisse.

Interrogabis, si Catechumeni in ipso consecrationis suæ initio ita docebantur, quid in progressu? passim enim annum unum aut duos in Catechumenatu detinebantur, nonnunquam plurimos annos, etiam ad finem usque vitæ. Respondeo aliis mysteriis quam generalibus illis jam enarratis, eos toto Catechumenatûs tempore non fuisse imbutos, sed diù in Catechumenatu detentos, ut clariùs & firmiùs ea discerent, atque etiam ut vita eorum, & in fide propositum probaretur: erat enim Catechumenatus verum religionis Christianæ Tyrocinium, & Monachorum probationi seu Novitiatui simillimus, quo durante religionis elementa docebantur, illisque inculcabantur, morumque futurorum experimentum capiebatur. Distinctiùs & expressiùs definietur, quæ mysteria iis tradebantur, si, quæ non traderentur, explicuerimus. Symbolum fidei, mysterium Trinitatis, oratio dominica magna Ecclesiæ sacramenta illis non tradebantur. Hæc fidei nostræ sacramenta competentium erant propria, & singulis annis tradebantur, & explicabantur initio quadragesimæ, vel in medio competentibus, hoc est, Catechumenis ad baptismum in Paschate suscipiendum electis; & continuabatur hæc explicatio ad finem usque quadragesimæ certo quodam ordine, quem infra explicabimus, donec baptismum susciperent. Cæteri Catechumeni ab his mysteriis audiendis arcebantur. Imò tractatus & homilias de his mysteriis scriptas, ne Catechumenis legendas quis exhibeat severè prohibet S. Cyrillus hierosolymitanus in fine præfationis Catechesium ad competentes habitarum.

Utriusque doctrinæ differentiam nos præclare docet S. Basilius in exhortatione ad baptismum, appetente Paschate factâ, [i] *Resurrectionis ergo gratiam in die resurrectionis excipiamus. Quamobrem Ecclesia suos procul altâ voce convocat alumnos.* ἵν' ἃς πάλαι ὤδινεν ἀποκυήσῃ νῦν, *ut quos*

---

[i] Ἐν τοίνυν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τὴν ἀναστάσιμον χάριν ὑποδεξώμεθα. διὰ τοῦτο πόῤῥωθεν ἡ ἐκκλησία τοὺς ἑαυτῆς τροφίμους ὑψηλῷ κηρύγματι συγκαλεῖ, ἵν' &c.

olim cum dolore parturivit, tunc demum pariat. καὶ ἀπογαλακτισθέντας αὐτοὺς τοῦ λόγου κατηχήσεως, γεύσαι τῆς στερεᾶς τῶν δογμάτων τροφῆς; *eisque Catechisticâ doctrinâ ablactatis solidum dogmatum cibum præbeat degustandum.* Priores Catecheses ante quadragesimam factas lacti comparat, posteriores solido cibo. Priores conceptui mulierum, posteriores partui. Metaphoram a verbis Sancti Pauli c. 5. & 6. Epist. ad Hebræos mutuatus videtur, qui disertè & sigillatìm distinguit tyronum & incipientium doctrinam ab eâ, quæ perfectis & magisterio donatis instillatur: *Cum deberetis Magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, & non solido cibo &c.* Deinde explicat, quæ sit inchoantium sive Catechumenorum doctrina: *Non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Hinc exemplum disciplinæ suæ erga Catechumenos desumpsit Ecclesia, & ea quæ inchoantium esse scribit S. Paulus, ediscenda Religionis Christianæ tyronibus proposuit.

Antiquæ istius consuetudinis specialia argumenta, & materiarum hypotheses demonstrantia, cum de Competentibus, sive tertiâ Catechumenorum classe nobis erit agendum, referemus; ad eos enim ista pertinent. Nunc pauca alia, quæ hæc in genere vel in specie probant, præcedentibus addemus. S. Augustinus tract. 11. in Joannem interpretans hæc verba; *Christus non credebat se eis*, elegantèr exprimit quid catechumenis occultaretur: *Ipsis ergo se credebat Jesus, qui nati fuerant denuò. Ecce illi crediderunt in eum, & Jesus non se credebat eis. Tales sunt omnes Catechumeni: ipsi jam crediderunt in nomine Christi; sed Jesus non se credit eis. Intendat & intelligat charitas vestra. si dixerimus catechumeno, credis in Christo? Respondet, credo: & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum, manducas carnem filii hominis, & bibis sanguinem filii hominis? Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit eis.* Evidentissimum est altiora fidei mysteria toto Catechumenatûs tempore, de industriâ, fuisse illis occultata. Similia concionatur ad populum S. Chrysost. Homil. 2. in 2. ad Corint. sed non cum tantâ

verborum allusione & gratiâ. *Oratio*, inquit, *fit pro Catechumenis*, [l] *ut aperiantur aures cordium eorum, clausæ enim sunt & obturatæ &c. Non enim audierunt ineffabilia mysteria, sed procul & longè ab eis sunt; & licet ea audirent, non tamen intelligerent: egent enim intelligentiâ multâ, non solâ auditione.* Cavebant igitur diligenter Catechumenorum doctores, ne in catechesibus suis abstrusa fidei mysteria illis quoquo modo revelarent. Hoc ut apud Christianos tritissimum ludit quoque Lucianus in eodem Dialogo. Cum enim induxisset Christianum per Trinitatem jurare docentem, & Catechumenum de hoc mysterio interrogantem, statim Catechumenum compescit Christianus, [m] *Tace ea, quæ infra sunt, quæque silentio digna. Non licet hoc pacto metiri pulicum vestigia. Ego vero docebo te, quid sit Universum, & quis fuerit ante omnia &c.* Ex dictis hactenus manifestum est quibus doctrinæ Christianæ capitibus Catechumeni, & initio Catechumenatûs, & toto ipsius cursu imbuerentur, quod nobis hoc capite enarrare propositum fuit. Unde similiter consequitur, illud sancti Augustini & aliorum Patrum, *Norunt fideles*; cum inter prædicandum, Religionis Christianæ mysteria revelare formidant, non tantum Ethnicos spectare, sed etiam Catechumenos. Ideo sanctus Cyrillus præfationem in catecheses suas finiens, ut Catecheseon lectionem competentibus & Christianis permittit, ita Catechumenis & Ethnicis prohibet.

l Ἵνα διανοίξῃ τὰ ὦτα τῶν καρδιῶν αὐτῶν, μέμυκε γάρ ἔτι, καὶ βέβυσται ..., οὐδὲ γὰρ ἤκουσαν τῶν ἀπορρήτων μυστηρίων, ἀλλὰ πόῤῥω πυ καὶ μακρὰν ἑστήκασι, κἂν ἀκούσωσι δὲ, οὐκ ἴσασι τὰ λεγόμενα. συνέσεως γὰρ δεῖται πολλῆς ἐκεῖνα, οὐκ ἀκροάσεως μόνης.

m Σίγα τὰ νέρθε, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια, οὐκ ἔξεστι μετρεῖν τὰ ψυλλῶν ἴχνη. ἐγὼ γάρ σε διδάξω τί τὸ πᾶν, καὶ τίς ὁ πρὸ πάντων &c.

CAPUT SEPTIMUM.

Catechesis duplex genus fuisse, unum Catechumenorum proprium, alterum Competentium. Doctores speciales Catechumenis datos. Quando, & quâ ratione hic mos desuevit, & quid ex eo retentum. Hoc munus erga mulieres cum Diaconissis, & Sanctimonialibus communicatum est. Idem quibuslibet Mulieribus erga viros privatìm & domestice licet.

TANTO studio, tantâque solicitudine in Catechumenorum institutionem incumbebat Ecclesia, ut communibus & ordinariis Episcoporum & presbyterorum sermonibus, quibus Catechumeni simul cum fidelibus instruebantur, non contenta peculiares Catechumenis magistros & doctores deputaret, qui eos singulari curâ erudirent & mysteriis Christianis toto catechumenatûs tempore imbuerent. Cum autem Catechumenorum duæ essent classes, duæ quoque Catechesium fuere species. Una Catechumenis sic vulgo dictis, facta fuit, ad quam primis Catechumenis, atque etiam Ethnicis patebat aditus; Altera Competentibus peculiaris, quam auscultare, secundis Catechumenis, nedum primis & Ethnicis nefas erat. Illa generalia principia Religionis, hæc præcipua mysteria fidei docebat. Posterioris Catechesis exemplnm habes omnes S. Cyrilli Catecheses, & quatuor sancti Augustini libros de symbolo ad Catechumenos, in quibus variæ symboli explicationes variis annis ad competentes factæ continentur. Prioris Catechesis varias formulas, variaque præcepta tradit S. Augustinus toto libro de Catechizandis rudibus, atque eò spectat quod ex sancti Ambrosii Commentariorum in Lucam lib. 6. c. vltimo retulimus. Nihil opus est utriusque objectum pluribus definire, quum ex iis, quæ initio capitis dicta sunt, evidenter sit definitum, speciaIiùsque, cum de Competentibus καὶ συνζητήσεις agemus, secundæ Catechesis objectum & materiam definituri sumus. Hoc

igitur sermone prætermisso, ne bis terve idem repetamus ad peculiares Catechumenorum Doctores, qui utramque Catechesim, sed diverso tempore instituebant, transitum faciemus.

Speciales Catechumenis instituendis doctores ab ipsissimis Ecclesiæ nascentis incunabulis deputatos fuisse, in Ecclesiis potissimùm celebrioribus, ad quas magna Catechumenorum copia confluebat, ambigere non sinunt varia, quæ de hac re apud antiquissimos autores leguntur, testimonia, ut omittam ipsum Catechumeni nomen, quod ad doctorem & Catechistam relationem necessariam habet, idem enim est, quod, qui docetur & eruditur. Eusebius historiæ lib. 6. c. 5. refert Clementem Alexandrinum post Pantænum Alexandriæ catechesibus præfuisse, Πάνταινον δὲ Κλήμης διαδεξάμενος τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν κατηχήσεως εἰς ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ καθηγεῖτο, & cap. 3. scribit Originem annum agentē decimum octauum τοῦ κατηχήσεως προεστάναι διδασκαλείου, *Scholæ Catechesium præfuisse*. Et paulò antequam hoc munus aggrederetur, nullum fuisse Alexandriæ, qui propter persecutiones hoc munere fugeretur, [n] *Cum nullus esset, qui Catechesibus operam daret, omnibus propter persecutionis minas fugatis, nonnulli ex Gentibus Dei verbum audituri ad eum commeabant*. Postea refert graves molestias ab hostibus tulisse. διὰ τὸ πλῆθος τῶν τοῖς ἱεροῖς πίστεως κατηχουμένων παρ' αὐτῷ, *propter multitudimem eorum, qui mysteria sacræ fidei ab eo edocebantur*, sive qui catechizabantur. Cum autem videret Demetrius illius urbis episcopus multos illi esse discipulos, ipsi soli, scribit Eusebius, catechizandi provinciam detulit cap. 12. Cum videret Origenes discipulorum multitudine se opprimi, Heraclam Catechezi præfecit eorum, qui ad prima fidei rudimenta introducendi erant, sibi verò instituendos reservavit, qui jam in eâ doctrinâ progressum fecerant. Aliquot post annis eidem Heraclæ τὸ τῆς κατηχήσεως διδασκαλεῖον, catecheseos, inquit, scholam reliquit, Alexandriâque Cæsaream secessit, ibid. c. 20. Post hæc Heraclas Alexandriæ Episcopus creatus, eidem catechesis scholæ Dionysium Origenis similiter discipulum præfecit. c.

---

n Μηδένος ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας τῷ κατηχεῖν ἀνακειμένου, πάντων δ' ἀπεληλαμένων ὑπὸ τῆς ἀπειλῆς τοῦ διωγμοῦ, προσῄεσαν αὐτῷ τινὲς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἀκουσόμενοι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ.

23. Officium hoc longo post hæc tempore in Ecclesiâ Alexandrinâ viguisse colligitur ex S. Cyrillo Alexandrino in fine commentarii in Joelem. Ibi enim per mõtes excellentissimos intelligit doctores; per colles verò, *Illorum præstanti æ paulùm cedentes &c. qui recèns fide initiatorum animis rationabile, & sine polo lac infundunt, alimentumque infantibus conveniens præbent.* S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente Alexandrino: *Clemens Alexandrinus Ecclesiæ presbyter Pantæni auditor post ejus mortem Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit, & κατηχήσεων magister fuit.* S. Cyprianus Epist. 24. *Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus.* Quid aliud sibi vult Tertullianus, cum eos vocat Novitiolos & Tyrones, & cum iis admitti, inter Auditorum tyrocinia deputari? Sed ante hos omnes ita observatum fuisse nos docet S. Clemens l. 8. constitut. c. 32. ὁ διδάσκων, εἰ καὶ λαϊκὸς ᾖ, ἔμπειρος δὲ τοῦ λόγου, καὶ τὸν τρόπον σεμνὸς, διδασκέτω. *Qui docet* (subaudiendum ex materiâ subjectâ Catechumenos) *etsi laicus sit, modo sit peritus in verbo, & honestis moribus, doceat.* Jubet quoque fideles, εἰ δέ τις λόγος κατηχήσεως γίνεται, *si aliqua verbi fiat catechesis, sermonem pietatis anteponi operi.* Atque ante ipsum S. Paulus Epist. ad Gal. c. 6, v. 6. *communicet is qui catechizatur, verbo,* τῷ κατηχοῦντι *catechizanti*; erat igitur quidam ad hoc specialiter deputatus. Hoc enim munere si defuncti fuissent episcopi, & presbyteri, nemine specialiter ad hoc constituto, ut quid catechizatum specialiter juberet cum catechizante bona sua communicare? cum catechizantibus dicendum fuisset, non singulariter & cum articulo τῷ κατηχοῦντι.

Hoc ità se habuisse ex necessariâ consequentiâ demonstrari videtur. Cum enim trecentis aut etiam quadringentis annis magna quotidiè Ethnicorum copia ad Ecclesiam, ut christianam Religionem profiterenrur, conflueret, non potuit Episcopus omnium curam gerere, imò nec Presbyter, cui Parœcia, sivè titulus erat creditus: variis enim uterque distinebatur operibus & functionibus. Deindè non semper Presbyteri omnium sunt doctissimi, Catechizandi autem veniunt omnis generis homines, docti, indoctique & mediocres. Quapropter huic operi præficiendus est, qui de quibuslibet quæstionibus Religionem Christianam spectantibus solidè respondere possit, ne Gentilium ludibrio fides exponatur. Quid factum

factum fit, velut ex unqne leonem, collige ex Ecclesiâ Alexandrinâ, in quâ homines toto orbe celeberrimi, Pantænus, Clemens, & Origenes huic officio commissi sunt. Deniquè Homiliæ & conciones publicæ ad plebem Christianam habitæ, licet ad eas aditus Catechumenis pateret, iis tamen satisfacere non poterant, eò quod Tyronibus & Novitiis artis uniuscujusque rudimenta sæpiùs inculcanda sint, primaque elementa sint sigillatim explicanda & ingeminanda. Itaque necesse fuit, aliquem, aut aliquos pro discipulorum multitudine illis præfici, quorum curæ & institutioni committerentur, quique possent unius cujusque captui sese accommodare, & fidei rudimenta pro ingenii subtilitate & ruditate explicare, & auribus inculcare.

Circiter annum à Christo quadringentesimum Catechumenorum Doctores constituere desitum est, Catechesesque separatas illis facere, ex antiquo ritu duo tantũ retenta sunt. Priùs, fidem cum primùm se se amplecti testabantur, qui hujusce rei conscius erat, Ethnicum ad Episcopum vel aliquem Presbyterum aut Diaconum deducebat, qui generalia fidei mysteria eum docebat longâ aliquâ oratione, assentientemque, & christiano more vivere pollicentem in Catechumenum modo jam explicato consecrabat. Posteriùs ineunte Quadragesimâ; & posteà mediante Quadragesimâ diligentissimè in stituebantur in fide, & variis expiationibus purgabantur, ut in Paschate baptizarentur, sed iis tantùm hæc cura impendebatur, qui electi & competentes ab eo tempore dicebantur, de quibus infrà. Intermedio autem illo tempore nullâ peculiari & publicâ doctrinæ institutione leguntur imbuti. Peculiari dico, quia Episcoporũ & Presbyterorũ sermonibus cum fidelibus aderant, qui præter ea, quæ ipsis & fidelibus poterant esse communia, in ea, quæ ad Catechumenos sigillatim spectabant, nonnumquam digrediebantur. Illos autem toto illo intermedio tempore sacrâ doctrinâ imbuere, doctorum Catechistarum munus erat.

Hoc autem ità contigisse facilè probatur, primùm ex eo quod ab eo tempore nulli ejusmodi doctores commemorantur. Deindè quod eorum necessitas aut nulla ampliùs fuit, aut valdè imminuta. Universus enim orbis tum cœpit esse Christianus, & Gentilis nomen ludibrio, Christianisque Gen-

tiles esse multò pauciores. Tùm liberè Gentilis quisque à Christiano quolibet familiariter inter colloquendum institui potuit. Prætereà Catechumenorum maxima pars aut infantium erat aut adultorum, qui ab utroque parente, vel ab altero Christiano nati erant, atque ideò ab infantiâ Christianis dogmatis innutriti & assueti. Itaque ab eo tempore Catechumenorum minima pars eorum semper fuit, qui puriputi erant Ethnici aut Judæi. Hinc factum fuit, ut paulatim desuesceret mos ille Doctorum Catechumenis constituendorum, contentaque esset Ecclesia, eâ Catechesi quæ illis fit, cum Catechumeni solemniter creantur, & eâ solemni, quæ sæpiùs repetitur in Quadragesimâ post eorum in Competentes promotionem.

Deniquè id evidenter ex sancto Augustino colligitur, in libro de Catechizandis rudibus, ubi nec istorum Doctorum mentionem facit, nec ullius ordinariæ Catechesis, sed toto libro illam tantùm explicat, quâ peractâ Ethnicus se Christianè victurum promittit, & Catechumenus inauguratur. Initio libri scribendi hanc occasionem refert, Deogratiam Carthaginensem Diaconum alloquens. *Dixisti quod sæpè apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te sæpè adducantur, qui fide Christianâ primitùs imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, & doctrinam fidei & suavitatem sermonis, &c,* Cum quis igitur Christianus Ethnicum offenderat ad amplectendam fidem paratum, liberum erat ei, ad quem volebat, deducere, ut rudimentis fidei imbueretur, & Catechumenus consecraretur. Idem non minùs evidens est ex iis, quæ scribit, cap. 10. *Nonnunquam etiam cum avertimur ab aliquâ re, quam desideramus agere, & cujus actio, aut delectabat nos, aut magis necessaria nobis videbatur, & cogimur, aut jussu ejus, quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili instantiâ catechizare aliquem, jam conturbati accedimus ad negotium &c. Aliquando item ex aliquo scandalo mæror pectus obsidet, & tunc nobis dicitur, veni, loquere huic, Christianus vult fieri, &c.* Catechesi illâ factâ, statim commemorat, c. 26. signo crucis solemniter consignari. Toto verò illo libro, qui longus est, ordinariæ alicujus Catechesis per annum ab aliquo factæ nulla mentio. Primam istam Catechesim solam agnovisse videtur Hierarchiæ Ecclesiasticæ au-

tor, nonnullaque ei affingere, quæ ab usu antiquissimo nonnihil aberrant. Non est tamen hoc ità severè & pressè intelligendum, ut Episcopi admonitionibus & instructionibus generalibus ex ambone factis contenti semper essent, nec unquam eos docendi & exhortandi specialiorem curam haberent. Sæpè enim ab Ethnicis, Judæis & hæreticis ad catholicam venientes, durante Catechumenatu, antequam Competentes fierent, privatim instituebantur, ut constat ex iis, quæ scribit S. Greg. epist. 24. l. 7. indict. 1. De Judæis Christianismum amplecti desiderantibus: *Si verò sanctum Pascha elegerint expectare, iterùm cum Episcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque solicitudinem, & animos eorum admonitione sua adhortationis accendat.* Diutiùs quoque Catechistarum munus in iis urbibus viguit, in quibus, vel propter emporii celebritatem, vel Ethnicorum viciniam, è gentibus ad fidem multi confluebant. Hinc Epiphanius ad Hormisdam Pontificem de electione suâ in Patriarcham Constantinopolitanum rescribens, ait se in eâ Ecclesiâ sæpiùs præpositum iis docendis, *qui per sacratissimum & ineffabile Baptisma sua exuunt peccata.*

Non est hic omittendum nonnumquam Catechizandarũ mulierum munus Diaconissis & sanctimonialibus fuisse impositum, non quidem universè, sed certis occasionibus occurrentibus. Hoc explicat Clemens lib. 3. constitut. c. 15. *Eliges quoque Diaconissam fidelem & sanctam ad ministrandum mulieribus. Evenire enim solet aliquando in quibusdam domibus, ut non possis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres; mittere verò possis Diaconissam propter cogitationes improborum.* Eamdem consuetudinem commemorant Origenes homiliâ 6. in Esaiam, interpretans illud sancti Pauli de Viduis eligendis, si sanctorum pedes lavit. *Istæ viduæ dignæ sunt ecclesiastico honore, quæcumque sanctorum pedes lavant, sermone spiritalis doctrinæ, sanctorum verò, non masculorum, sed mulierum &c.* Et Commentarius S. Hieronymo tributus in epist. ad Rom. c. 16. & in 1. Cor. c. 14. Concilium quoque Carthaginense quartum, c. 12. sic edicit. *Viduæ vel sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticas mulieres tempore, quo bap-*

tizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant. Promiscuè tamen & ordinariè mulieres non secùs ac viri rudimenta fidei, à Presbyteris, Diaconis & Catechumenorum Doctoribus, in imminente actione Baptismi edocebantur. Verum mulieres quaslibet multis occasionibus occurrentibus, alias mulieres, necnon & viros rudimenta fidei domesticè & privatim docuisse, ambigere, ut opinor, nemo potest. Hoc enim & ratio postulat, & docent antiqui Patres, Chrysost. homil. 31. in Epist. ad Rom. in hæc verba, salutate Mariam; quæ multum laboravit ergà vos, y *Quomodo alibi dicit, mulieri docere non permitto.* Respondet, *præsidentiam, quæ sit in medio Ecclesiæ illi prohibet, sedemque in pulpito, non doctrinæ verbum. Nisi enim hoc esset, quomodo virum infidelem habenti diceret; quî enim nosti, mulier, num virum salvatura sis? quomodo commisisset, ut pueros admoneret, dicens, salvabitur autem per liberorum generationem, si manserit in fide, &c. Non itaque eam disputationem doctrinæ, quæ ad privatum usum pertinet amputando hoc dicit, sed eam quæ in medio fit, & in communi Theatro, quæ ipsis congruit Doctoribus, &c.* Eadem, sed paucioribus verbis tradit homiliâ 4. ad Titum. S. quoque Hieronymus in cap. 2. ejusdem epistolæ, & in 1. ad Timoth. c. 2. S. Isidorus lib. 2. de Officiis divinis. c. 18. Denique Carthaginense 4. c. 99. similiter edixit. *Mulier quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat.* Privatim enim & domi viros etiam docere, modo id modestè & verecundè fiat, quid prohibet? Mulierem jussit S. Paulus in Ecclesiâ tacere, non alibi.

y Πῶς οὖν εἶπε, γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω; τὴν ἐν μέσῳ προεδρείαν αὐτὴν κωλύων καὶ τὸν θρόνον τὸν ἐν τῷ βήματι, οὐ τὸν λόγον τῆς διδασκαλίας. ἐπεὶ εἰ τοῦτο ἦν, πῶς ἔλεγε τῇ τὸν ἄπιστον ἄνδρα ἐχούσῃ, τί γὰρ οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; πῶς ἐπέτρεπε παῖδας νουθετεῖν λέγων· σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν ἐπιμείνωσι τῇ πίστει &c. οὐ τοίνυν τὴν ἰδίᾳ διάλεξιν γινομένην ἐπ᾽ ὠφελείᾳ διακόπτων τοῦτο λέγει, ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ μέσῳ, καὶ ἐν τῷ κοινῷ θεάτρῳ διδασκάλοις πρέπουσαν.

CAPUT OCTAVUM.

Ubi, quâ horâ, quibusvè diebus Catecheses factæ sint. In Africâ Episcopus stans prædicabat, & Populus stans audiebat. Catechumenatus duratio varia fuit. Pendebat ut plurimùm ab Episcoporum prudentiâ. Varia istius varietatis exempla. Prohibent tamen Patres ne temerè contrahatur.

HOC capite tria explicabimus, quæ legentium animum subire possunt, primum, ubinam Catecheses habebantur. Secundum, quo tempore. Tertium, quamdiù Catechumenatus ille durabat. Habebantur Catecheses illæ in Ecclesiâ. Id manifeste docet Sanctus Augustinus c. 13. libri de Catechizandis rudibus, de illa Catechesi, quâ Catechumenis aggregabatur Ethnicus. Ergo multò magis de iis Catechesibus, quæ publicè multis Catechumenis congregatis erudiendis inserviebant, scribit, Catechumenos, dum Catechizabantur, in Ecclesiâ stetisse, Catechizantemque hortatur, si videat eos diuturnitate temporis audiendo defessos, aut languentes, aut hiantes, sedere jubeat, moremque quarumdam Ecclesiarum transmarinarum, quæ populum in Ecclesiâ sedere permittebant, præfert consuetudini Ecclesiæ Africanæ, quæ id prohibebat, *longéque consultiùs in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solum Antistites sedentes ad populum loquuntur, sed ipsi etiam sedilia populo subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrimâ intentione avertatur &c.* quod dicit magis esse factu necessarium iis, qui primis Sacramentis imbuendi sunt, quam iis, qui jam Sacramentorum societate devincti sunt. Idem præterea colligitur ex initio cap. 26. ejusdem libri, ubi dicit, finitâ Catechesi, statim interrogandum esse, *an hæc credat, atque observare desideret? Quod cum responderit solemniter, utique signandus.* Solemnis illa consignâtio alibi quàm in Ecclesiâ fieri non debuit. Lib. quoque 8. Confessionum c. 2. evidenter innuit, hanc fuisse solemnem Ecclesiæ

consuetudinem. Refert enim Victorinum famosissimum Romæ Rhetorem & Philosophum sæpiùs Simpliciano indicasse se Christianum, tandemque *subitò & inopinatum Simpliciano dixisse, eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se lætitiâ, perrexit cum eo &c.*

Sanctus Dionysius c. 2. Ecclesiasticæ hierarchiæ scribit, cum Catechesis illa habenda, Pontificem omnem Clerum convocare, certum hymnum publicè ab eo cantari. Deinde, inquit, z *Pontifex sacrum altare deosculatus ad virum, qui adest, venit, eumque interrogat, cur venerit &c.* dato responso ei exponit rationem perfectam, quâ ad Deum, qui perfectus integerque sit, accedẽdum est &c. Socrates lib. 5. c. 21. scribit Origenem, qui celeberrimus fuit Catechumenorum doctor, feriâ quartâ & sextâ in Ecclesiâ solitum docere, atque ab eo tempore synaxes Alexandriæ fieri solitas, in quibus scripturæ sacræ explicantur, *omniaque, quæ ad synaxim pertinent, administrantur præter mysteriorum celebrationem.* Deinde id necessario convincit, quod scribit Clemens constitut. lib. 8. c. 32. cum fit Catechesis, fideles adesse debere, & alia opera huic postponenda. An alium in locum, quam in Ecclesiam frequentes occurrere potuerunt Christiani?

Hæc de Catechesibus ordinariis intelligantur. Catecheses enim extraordinorias in privatis domibus factas fuisse, nemo ambigere potest, cum in historiis sanctorumque vitis id sæpe legatur. Neque tantum id Apostolorum tempore contigit, eò quod nondum essent Ecclesiæ constitutæ, & Parœciæ distinctæ, ut in actis Apostolorum legere est; verum etiam post eorum tempora propter easdem rationes idem sæpiùs contigit, ut omittam occasiones extraordinarias, quæ parœciis distinctis, & Ecclesiis constitutis, nonnumquam occurrerunt. Deinde Catecheses omnes à Diaconissis factæ Mulieribus, in privatis domibus fiebant, Mulieribus enim in Ecclesiâ loqui nunquam licuit. Verum nos de ordinariis, & solemnibus Catechesibus verba fecimus. Denique id expressissimè docet Origenes lib. 3. contra Celsum, cujus verba fusè relata sunt supra cap. 4. eò quoque spectare videtur Apostolus c. 6. Epist.

z Μετὰ τῦτο τὴν ἱερὰν ἀσπασάμενος τράπεζαν πρὸς τὸν ἄνδρα παρόντα πρόεισι, ϗ πυνθάνεται παρ' αὐτῦ τί βουλόμενος ἥκοι.

ad Galatas v, 6. cum ait, *communicet autem is qui Catechizatur verbo, ei qui ſe Catechizat in omnibus bonis.* De privato quodam homine hæc verba ſunt intelligenda, alioquin Catechiſtes ille Catecheſi ſuâ ditiſſimus evaderet, ſi omnium bonorum, quæ ad Catechumenos ſpectant, particeps eſſet. Hinc etiam antiqua ſuſceptorum τῶν ἀναδόχων conſuetudo emanavit. Suſceptores enim ſunt ii, qui Catechumenum privatim inſtituerunt, & amplius inſtituendum ſacramentiſque imbuendum ad Sacerdotes deducunt.

Secundo quæritur, quo tempore Catecheſes illæ ad Catechumenos habebantur. An tempore Synaxeos, an vero extra tempus Synaxeos. Tempore Synaxeos, hoc eſt ante vel poſt ſacrificii celebrationem factas non fuiſſe certum omnino videtur. Faſtidium enim audientibus creaſſet nimia longitudo, Miſſæ enim ſeu liturgiæ decantabantur, multiplices erant ceremoniæ, multæ thurificationes; multi viri mulieresque ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumebant, ſermo ab Epiſcopo perorabatur, preces ſuper Catechumenos & pœnitentes ſeparatim fundebantur. Denique horâ tertiâ ſynaxis inchoabatur. De Eſurialibus enim diebus non agimus. Catecheſes igitur illæ in ſynaxibus Eccleſiaſticis factæ non ſunt. Deinde Epiſcoporum ſermones audiebant cum cæteris Catechumeni. Rationi ſanè & rectæ docendi methodo minimè conſentaneum videtur, ut eodem tempore & Catecheſes & ſermones audirent. Hæc fieri debuerunt, aut diverſis diebus, aut diverſis diei partibus. Denique hoc evidenter docent ea, quæ de Catecheſibus illis in Eccleſiâ factis teſtimonia citavimus, ſancti ſcilicet Auguſtini in lib. de Catechizandis rudibus, S. Clementis, & Euſebii de Origene: feriis enim quartâ & ſextâ docebat, quibus nulla tradebatur ſynaxis, quod Alexandriæ longiſſimo poſt ipſum tempore continuatum eſt, ut illis diebus ſacræ Scripturæ legerentur, & explicarentur, nullum tamen ſacrificium celebraretur. Alia ratio eſt de ſecundi generis Catecheſibus, quæ quadrageſimali tempore ad competentes habebantur, de quibus poſtea.

Poſtremò quæſitum eſt, quantæ durationis erat Catechumenatus, ſive Catechumenorum tyrocinium. Hoc definiri non poteſt, quum eſſet apud eos indefinitum. Studioſiùs enim attendebant baptizandi mores, & fidei zelum, quam

tyrocinii tempus. Itaque tempus illud sæpè plurimum differebant, sæpe contrahebant, nonnunquam insigni datâ occasione Catechizato paucissimis diebus Ethnico baptismum statim conferebant. Omnis illa baptismi administratio & dispensatio ab Episcoporum prudentiâ fere pendebat.

Clemens l. 8. constitutionum c. 32. *Cui tradenda est Catechesis, sit tribus annis Catechumenus.* En ordinarium tyrocinii tempus, sed statim subdit, *si quis verò sit virtutis studiosus, & desiderio baptismi teneatur, admittatur. Non enim tempus, sed mores judicantur.* Paulò ante monuerat nonnullos peccatores, ut comœdos, astrologos, incantatores &c. diutiùs esse à baptismo retardandos, eo quod, inquit, malitiæ ejusmodi difficillimè eluuntur. Idem admonet Origenes lib. 3. contra Celsum post medium generaliter de iis, qui impurè & iniquè in Gentilismo vixerunt, dicit eos, quantâ fieri potest diligentiâ examinari, nec priús admitti quam judicati fuerint sufficienter audiisse, & in vitâ rectè instituendâ profecisse. Deinde comparans eos cum Christianis peccantibus, dicit istorum conversionem longiori tempore, quam illorum, probari. Eliberitani Patres, qui semper severissimi sunt, biennio definiunt Catechumenatum Ethnicorum, quorum fuerit vita honesta. c. 42. *Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere.*

Infirmitatis necessitatem excipiunt, cujus occasione duobus modis gratiam apud eos fieri concedunt. Uno cum mortis urget periculum, & statim confertur baptismus, ne sitantillum differtetur, nemo esset, cui conferretur: altero, cum ægrotus mente sanus hanc gratiam sibi fieri deprecatur. Verbis enim citatis addunt, *nisi infirmitate compellente coegerit ratio velocius subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti.* Si Catechumenatus biennium exigunt in Ethnicis, quorum vita fuit honesta, quid in aliis? à Flaminibus c. 4. requirunt, præter abstinentiam à sacrificiis, triennii Catechumenatum. Est enim probabile ejusmodi homines, præ cæteris purgationis opus habere. Justinianus Novella 144. Samaritanis biennium Catechismi statuit, ut longo tyrocinio probati, Christianis non imponant. Manichæos similiter ad Ecclesiam revertentes non vult S. Augustinus ad baptismum facile admitti, ut in in-

sius

sius commonitorio legere est, ad universam Ecclesiam pro susceptione Manichæorum destinato, quod operum ejus tom. 10. continetur: *Nec facile* inquit, *admittantur ad baptismum, si Catechumeni sint, nec ad reconciliationem, si pænitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente.* Agathenses Patres fere eodem tempore Judæis octo menses tribuerunt, ut eorum in fide Christianâ sinceram voluntatem experirentur, eâ tamen conditione, ut si intra illud tempus morbus urgeret, baptizarentur. c. 34. Hoc autem universum in Episcopi positum fuisse potestate & prudentiâ docet nos exemplo suo S.Greg. l. 7. indict. 1. Epist. 24. Admonitus fuerat à Dominâ Abbatissâ, multos Judæos in territorio Agrigentino conversionem ad fidem Christianam meditari. Statim ad Faustinum defensorem scribit, ut eos admonitionibus suis adjuvet, *Quibus tamen si longum vel triste videtur solemnitatem sustinere Paschalem, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne, quod absit, longa dilatio eorum retrò possit animos revocare, cum fratre nostro Episcopo loci ipsius loquere, pænitentiâ ac abstinentiâ quadraginta diebus indictâ, aut die dominico, aut si celeberrima festivitas fortasse occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordiâ protegente baptizet &c. si vero sanctum Pascha elegerint expectare, iterum cum Episcopo loquere, & modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat &c.* Refert Clemens Alexandrinus Strom. Lib. 6. lõgè ante medium sinceram admodum Domini nostri de Judæis pœnitentibus sententiam ex S. Petri traditione, Judæos, scilicet, si credere velint, post actam duodecim annorum pœnitentiam, remissionem peccatorum consecuturos.

Concilium Constantinopolitanum universale 2. Can. 7. nullum certum tempus definit, totum hoc Episcoporum prudentiæ committit. Monet tantùm in genere, ut post Catechumenatus initiationem diù differatur baptismus. Quæstio est de hæreticis, qui Ethnicorum more in Ecclesiam recipiuntur. [a] *Quicumque ex iis rectæ fidei adscribi volunt, ut Græcos, admit-*

a Πάντας ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα· καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους· εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾶν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν. καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

timus, & primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio Exorcizamus & simul in faciem eorum & aures insufflando, & sic eos Catechizamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesiis, & audiant scripturas, & tunc ipsos baptizamus. Eadem repetit 6. Synodus in Trullo. Can. 95.

Dispensationis in hac causâ, sive œconomiæ, ut Patres loquuntur, multa passim occurrunt exempla, quibus demonstratur tyrocinii istud tempus Episcoporum prudentiæ commissum fuisse, ita ut pro urgente negotio in brevissimum, & aliquando in momentaneum tempus jus haberent Catechumenatum contrahendi. In solâ Sancti Basilii vitâ quatuor animadvertas, & primum ipsum Basilium. Hierosolymam enim appellens, ut loca sancta visitaret, Maximo Episcopo innotescit, petitque ab eo in Jordane baptisari. Petitioni acquiescit Maximus, sanctumque Basilium cum socio Eubulo baptizat. Virorum istorum doctrinam & pietatem admiratus Maximus, utrumque nullâ interpositâ Catechumenatûs morâ statim baptizat, licet longinquæ Provinciæ incolæ essent, & tum primùm Hierosolymitanam Provinciam prætereuntes appulissent. Basilius quoque Libavium quemdam Juliani Imperatoris quæstorem, morte Juliani & visione quâdam attonitum baptisma petentem statim baptizat, ut & nonnullos Etnicos in fide instrui vehementer efflagitantes. Sed imprimis mirabile est quod ibidem refertur de quodam Josepho, medico S. Basilii familiari, sed Judæo pertinacissimo. Cum ille visitaret sanctum ægrotantem & moribundum, jussit circumstantibus, ut omnia Pompæ funebri necessaria pararent, affirmans eo die moriturum. Hæc audiens sanctus regerit, Nescis quid loquaris. Contra Josephus. Tandem sanctus, quid facies, inquit, si cras horâ sextâ vixero? Moriar, respondet Josephus. Morere peccato, inquit sanctus: vis sanctum baptisma, & Spiritus sancti gratiam recipere, hoc si fiat? Sacramento ad id se obligat Judæus. Deum orat Basilius, ut vitam sibi tantisper prorogет. Exauditur. Crastino die redit Judæus Oriente sole; vivum reperit sanctum Basilium, tum miraculo obstupefactus, exclamat: *Abjuro jam Christo invisam Judaeorum religionem, & fideliter accedo veritati, jube ergo sine dilatione conferri Christi signum, sacrumque baptisma, &*

mihi & universæ familiæ meæ. Ait ille vir sanctus, Ego meis manibus & te, & omnem familiam tuam baptizabo. Sic factum est : Josephum cum totâ familiâ non modò baptizavit, sed corpore Christi pavit, atque in fide instituit, tandemque Basilius eodem die migravit ad Dominum.

Occurrunt passim hujusmodi exempla, ut apud Socratem, lib. 7. c. 4. Judæus quidam legitur paralyticus, tentatis frustra omnibus remediis, baptismum postulasse, confisus baptismo sanitatem se recuperaturum. Audit hoc Atticus Episcopus Constantinopolitanus, eum adit, fidem docet, atque in lecto decumbentem baptizat, quo facto pristinæ sanitati restituitur. Ejusdem lib. c. 17. & apud Nicephorum lib. 14. c. 17. Judæus alius simulatè & cum dolo initiari baptismo solitus, Paulum Episcopum adit; baptismi desiderio se premi postulans. *Paulus ejus probat institutum, verum se non priùs baptismum illi daturum ait, quam sit fidei articulis institutus, diesque complures jejuniis vacaverit.* Hæc ex Ecclesiæ disciplinâ : sed cum Paulus videret tum ægrè disciplinam istam posse observari, ne servandi hominis occasionem sineret elabi, se se prudenter & œconomice gerit. *Judæus contra voluntatem jejunare coactus, acriter instare, uti baptismo donaretur. Paulus quoniam illum tam obnixe, petentem, morâ nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias.* Cum baptizaretur, aquæ miraculo evanescunt, ut ibi legitur.

Verum hac in causâ memorabilis est responsio Timothei Alexandrini Episcopi, qui Concilio secundo generali adfuit. Interrogatur, *si puellus Catechumenus, ut pote annorum septem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportunè adfuit, ejusque nescius particeps factus sit, quid debet de eo fieri? Respondet Timotheus, debet illuminari, à Deo enim vocatus est.* En causæ accelerandi baptismi sufficientes, non modo in pueris, verum etiam in adultis. Hujus responsi rationem petit Balsamon ex eo, quod in actis dicitur de Cornelio & domesticis ejus, numquid aquam prohibuerit quispiam, quominus ii baptizentur, qui S. Spiritum, sicut nos, acceperunt? Hoc prope modum etiam dixit Timotheus quod à Deo vocatus, & Sacramentis dignus existimatus debet illuminari.

[a] Concilii 7. actione 4. re-

[a] Convenit jam inter eruditos Opusculum hoc S. Athanasii non esse, quamvis sub ejus nomine lectum sit in Conc. Nicæno 2.

fertur ex Sermone Sancti Athanasii miraculum Imaginis à Judæis percussæ, sanguinemque è vulnere manantis, cujus unctione permulti ægroti sanati sunt. Scribit Athanasius ille Judæos omnes miraculo commotos agminatim ad Episcopum baptismi petendi causâ concurrisse. [b] *Quos suscipiens Episcopus cum Clero suo multis diebus catechizans baptizavit, & eorum Synagogam in Christi Servatoris nostri Ecclesiam dedicavit.* Tam insignis Judæorum zelus miraculo incensus longam dilationem non ferebat. [c] Autor vitæ sanctorum Anthimi, Sisinnii & sociorum refert eos post Catechumenatum septem dierum fuisse baptizatos: & in vita S. Pancratii legitur Pontifex ipsum & patrem ejus Dionysium post viginti dierum institutionem baptizasse. Refert de S. Avito Arvernensi Episcopo Gregorius Turonensis Hist. lib. 5. c. 11. octiduo quingentos Judæos Catechismo imbuisse & baptizasse, eo quod longiorem moram Pentecostes festivitas illi ferre non videbatur. Variè igitur pro variis occasionibus, & variâ accedentium ad fidem animi præparatione tempus Catechumenatus dispensatum est. Non fuit tamen Episcoporum libidini exposita ista dispensatio. Graves oportuit eos habere causas disciplinæ laxandæ, ni vellent apud Collegas in Concilio vigoris Ecclesiastici temere remissi pœnas luere. Hoc nos docet in istâ hypothesi Concilium Nicænum primum c. 2. [d] *Quoniam plura aut per necessitatem aut aliàs cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt Regulam, ut homines ex Gentili vitâ nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent &c. Placuit nihil tale de reliquo fieri, nam tempore opus est ei, qui Catechizatur &c.* Graviter omnes Episcopos

---

b Οὓς λαβὼν ἐπίσκοπος ἅμα τῷ αὐτοῦ κλήρῳ κατηχήσας, ἐπὶ πολλαῖς τὰς ἡμέρας ἐβάπτισε· τήν τε συναγωγὴν ἐκκλησίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ ἀφιέρωσε.

c Dubiæ sunt Vitæ illæ S S. Anthimi & Pancratii.

d Ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης, ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν. ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ τοῦ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας, εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν &c. καλῶς ἔδοξεν ἔχειν τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γίνεσθαι· καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ.

admonet S. Cyrillus Alexandrinus, in Joan. l. 2. c. 2. in v. 24. ne Ecclesiæ Canonem hac in causâ temere relaxent. [e] *Discant omnes, quibus mysteria Christi credita sunt, non nimium citò Neophytos ad divinam mensam accipere, nec antequam firmiores Catechumeni sint, Christum eis priusquam oporteat, baptismi mysterio commendare.* Habemus exemplar Christi, qui recipit quidem credentes, nondum autem penitus seipsum illis tradit, [f] *ut tu non dubites non parvo tempore in Catechumenorum statu, nuper ad fidem venientes, esse retinendos. Sic enim vix longa exercitatione in nostris firmati, tutius possunt recipi.*

CAPUT NONUM.

Explicantur & demonstrantur ritus & actiones mysticæ, quibus Catechumeni post initiationem suam toto Catechumenatûs tempore imbuebantur, & sanctificabantur. Quare orationis super Catechumenos, non autem impositionis manuum in Liturgiis fit mentio? Sal Catechumenorum esse Sacramentum, quo sæpius condiebantur. Eulogiis non participabant Catechumeni.

INFANTEM in utero Matris concipi non sufficit, in eodem foveri & nutriri necesse est. Signo Crucis, atque etiam verbi divini prædicatione Catechumenus concipitur, ut jam ex sanctorum dictis demonstratum est, verùm in eodem utero foveri & nutriri oportet. Ideo cum dixisset Cathumenis S. Augustinus initio lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos, eos per signum Crucis in utero Ecclesiæ conceptos esse, statim colligit. *Agat itaque hæc Mater congruis alimentis prius*

e *Μανθανέτωσαν διὰ τούτου οἱ τῶν τοῦ σωτῆρος μυστηρίων ταμίαι, μὴ θερμῶς τῶν ἱερῶν καταπετασμάτων εἴσω πεμπέσθαι τὸν ἄνθρωπον, μηδὲ νεοφύτους ταῖς θείαις ἐπιτρέπειν προσιέναι τραπέζαις ὡρεὶ βαπτιζομένους τινάς &c.*

f *ὡς ἂν εἶναι δῆλον ἐντεῦθεν, ὅτι χρὴ τοὺς νεήλυδας ἐν μήκει ἐν κατηχήσει τρίβεσθαι χρόνον. οὕτω γὰρ ἂν μόλις γένοιντο ἐν πίστει.*

pascere, quos portat. Et initio lib. 4. *Quousque per lavacrum sanctum regeneratos veræ luci restituat, congruis alimentis eos, quos portat, pascat in utero, & ad diem partûs sui lætos læta perducat.* Quæritur nunc quibus alimenmentis, sive quibus mysticis operationibus Ecclesiæ Catechumenos, modo explicato conceptos, toto Catechumenatûs tempore imbuit & pascit, donec ad competentium gradum evehantur. Toto illo tempore verbi prædicatione imbui, & quatenus imbuerentur, explicatum est cap. præcedente. Sed hoc alimenti genus non modo Catechumenis, sed etiam Christianis, & magnâ ex parte primis Catechumenis, & prophanis commune fuit, licet per signum crucis in Ecclesiæ utero hi duo posteriores non conciperentur. Peculiare alimentum, & consequenter continuò exhibitum; peculiarem Ecclesiæ in eos & continuam operationem investigamus. Tres fuisse ejusmodi mysticas operationes deprehendo, precem mysticam, manûs impositionem, & salis traditionem, quibus toto Catechumenatus tempore Catechumeni imbuebantur. Singulas separatim explicabimus.

Primùm notandum est hæc omnia facta fuisse, pulsis ab Ecclesiâ audientibus omnibus, & consequenter prioribus Catechumenis. Ut quid enim substitissent ea mysteria conspecturi, quorum non erant capaces? Scitum enim erat apud antiquos unumquemque ab eo mysterio eliminare, cujus suscipiendi incapax erat. Sed hypothesim istam expressissimè nos docet S. Clemens lib. 8. constitut. c. 5. [a] *Statuo ego Andreas frater Petri, ut cunctis consurgentibus edicat Diaconus ex loco alto, ne quis adsit audientium, ne quis infidelium. Et silentio facto dicat, Orate Catechumeni &c.* An Prophani & à Catechumenatu extorres orationum Catechumenicarum participes esse possent? Hæc nunc sufficiant: pluribus enim de hac re disseremus lib. 6. c. 4. & sequentibus cum de Auditione, & substratione pœnitentiæ stationibus disseremus, nam in hac causâ Pœnitentes & Catechumeni eodem modo ab Audientibus differunt.

Super Catechumenos oratio-

a Φημὶ ἐγὼ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Πέτρου· ἀναστάντων ἁπάντων ὁ διάκονος ἐφ' ὑψηλοῦ τινος ἀπελθὼν κηρυττέτω μή τις τῶν ἀκροωμένων· μή τις τῶν ἀπίστων. καὶ ἡσυχίας γενομένης λεγέτω Εὔξασθε οἱ κατηχούμενοι. &c.

nem fieri ſolitam antiquitùs, quoties ſynaxes habebantur, plurima demonſtrant, Concil. Laodic. c. 19. [a] *Oportet ſeorſum primum poſt Epiſcoporum ſermones, Catechumenorum orationem peragi, & poſtquam exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem.* Clemens loco jam citato longam habet orationem ſupra Catechumenos recitatam, quam ibi quiſque legere poteſt. S. Chryſoſtomus homilia 2. in Epiſt. 2. ad Corinthios. [b] *Jubent Eccleſiæ leges, preces fieri, non modo pro fidelibus, ſed etiam pro Catechumenis. Lex enim fideles incitat ad ſupplicandum pro nondum initiatis. Nam cum Diaconus dicit, pro Catechumenis inſtanter Oremus, nihil aliud quam excitat univerſos fideles ad preces pro iis fundendas* Poſteà fusè ipſam pro Catechumenis orationem explicat. Deinde hactenus omnes Græcorum & Orientalium Liturgiæ hanc nobis repræſentant orationem, quæ etiam nunc quoties liturgia celebratur, à Sacerdote, licet nullus adſit Catechumenus, recitatur. Denique idem probant tot Canones Græci & Latini, quibus fideles peccantes ab Euchariſticis precibus pelluntur, & cum Catechumenis orare jubentur, de quibus cum de pœnitentiâ verba faciemus, erit differendum.

Manus illis imponi, cum fiunt Catechumeni c. 5. probatum eſt: in decurſu Catechumenatus id fieri quis ambigat? Orabant enim Catechumeni illi, & genu flexo, ut jam demonſtratum ex Canone Nicæno 13. & Neocæſarienſi 5. caput inclinabant, ut jubet Clemens lib. 8. c. 6. Cur manûs impoſitionem illis denegabimus? Præterea lege in antiquo ordine Romano ſcrutiniorum ordinem, in unoquoque baptizandorum ſcrutinio, ſæpius manus baptizandis impoſitas conſpicies; id etiam disertè præcipit Concilium Matiſconenſe 2. c. 3. In ſcrutiniis autem ſuper baptizandos fiunt, ut in ordine illo referuntur, ſimul & eodem tem-

a Περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ πρῶτον μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν ἐπισκόπων καὶ τὴν τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι.

b Διά τοι τοῦτο καὶ τὰς εὐχὰς οὕτω γίνεσθαι κελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας νόμοι, οὐ τὰς ὑπὲρ τῶν πιστῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων. τοὺς γὰρ πιστοὺς ὁ νόμος διεγείρει, πρὸς τὴν τῶν ἀμυήτων ἱκετηρίαν. ὅταν γὰρ ὁ διάκονος λέγῃ, ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων ἐκτενῶς δεηθῶμεν, οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸν δῆμον ἅπαντα τῶν πιστῶν διανίστησιν εἰς τὰς ὑπὲρ ἐκείνων εὐχάς,

pore omnia, quæ ante ordinem compositum sæpiùs longo tempore reiterabantur. Ordo enim iste compositus est post ritus orationis & manûs impositionis singulis celebribus synaxibus cessationem, ut infra dicemus. Similiter etiam Græci, & cum faciunt Catechumenum frequentem manûs impositionem usurpant, ut in eorum Euchologio legitur, jamque ex eo testimonium allegavimus. Itaque quod manus impositio non ampliùs legatur in eorum liturgiis, sed sola super Catechumenos oratio, id fecit Catechumenorum adultorum infrequens occasio. Cujus causa fuit, Gentium in orbe Romano universa ad fidem conversio, & baptismi dilatio ex fidelium animis tandem avulsa. Cum igitur vix quot annis, aut etiam multis annis adultus baptizandus accurreret, tandem in liturgiis manûs impositionis mentio fieri desiit.

Tertia mystica operatio in stadio Catechumenatus fieri solita, erat salis in os traditio. Jam ut dictum est sæpiùs, non agimus de ceremoniis istis, quatenus in baptizando exercentur simul & eodem tempore, cum tingitur: illa enim baptizandi forma, licet omnibus sæculis etiam extra mortis periculum, nonnunquam usurparetur, erat tamen extraordinaria, & à lege Ecclesiasticâ propter insignem quandam occasionem dispensatio. Sal igitur baptizando semel traditum fuisse, notius est, quàm ut probatione indigeat. Quis de hoc ritu Catholicus unquam dubitavit? Verùm nunc contendimus sal Catechumenis in Sacramentum ordinarium traditum fuisse, illisque in synaxibus saltem solemnioribus Eucharistiæ vicem, quæ baptizatis tradebatur, sustinuisse, ita ut non secus ac sacrosancta Eucharistia baptizatorum peculiare erat Sacramentum, sic sal baptizandorum, atque ideo illis in Catechumenatus stadio sæpissimè præbitum. Hoc est igitur nobis demonstrandum.

Hoc nos docet evidentissimè Concilium Carthaginense 3. c. 5. *Placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal. Quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Ex quibus verbis, tria quæ contendimus, ut cætera omittam, manifestissimè colliguntur. Sal esse Catechumenorum Sacramentum; sæpissimè etiam extra festa solemnia illis dari solitum: denique illis Eucharistiæ vicem sustinuisse. Ut quid enim cum

Sacramento

Sacramento fidelium, quo solemnibus diebus potiuntur, sal illud comparat? Eò respexit S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 26. ubi de Catechumenis sic scribit. *Quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Rectè mihi contendere videtur vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Albaspinæus Aurelianens. Episcopus, eo loco apud Augustinum, Eulogias sive panem benedictum fidelibus distribui solitum, intelligi non posse, & huc referre Canonem 7. Theophili Patriarchæ Alexandrini. [a] *Quæ in sacrificij rationem offeruntur, post ea, quæ in Sanctorum usum consumuntur, Clerici dividant; at nec Catechumenus ex iis bibat, vel comedat, sed solùm Clerici, & qui cum eis sunt, fideles fratres.* Oblationis istius participandæ jus non habuissent Catechumeni. [b] *Quia*, ut ait Balsamon, *altari oblata sunt, & ad divina dona ex illis partes sumptæ sunt, & sanctificatæ, quomodo iis, qui sunt imperfectiores, dabuntur consumenda?*

Deinde si jus habuissent ex eâ oblatione comedendi, jus habuissenr eam offerendi: at jus hoc nullis pœnitentibus concedebatur, ne quidem consistentibus, quibus sacrificio adesse licebat, multò minùs Catechumenis, qui primi ante sacrificii celebrationem ab Ecclesiâ pellebantur. Deinde quâ ratione illius participes esse potuissent, cum ab Ecclesiâ, antequam offerretur & benediceretur, solemniter eiicerentur. Cum igitur Eulogiæ sive panis benedicti Catechumenis traditi nusquam fiat mentio, ritusque hic consuetudini Ecclesiasticæ repugnet, quid opportuniùs, quàm Sancti Augustini mentem [c] referre ad mentem verbaque disertissima Concilii in Provinciâ suâ paulò antequam fieret Episcopus, celebrati? Manifestum est igitur sal fuisse in Ecclesiâ Latinâ ordinarium Ca-

a Τὰ προσφερόμενα εἰς λόγον θυσίας, μετὰ τὰ ἀναλισκόμενα εἰς τὴν τῶν μυστηρίων χρείαν οἱ κληρικοὶ διαμεριζέσθωσαν, καὶ μήτε κατηχούμενος ἐκ τούτων ἐσθιέτω ἢ πινέτω, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ κληρικοὶ καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς πιστοὶ ἀδελφοί.

b Ἐπεὶ προσηνέχθησαν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἐξ αὐτῶν μερίδες ἐλήφθησαν εἰς τὰ θεῖα δῶρα, ταῦτα ἡγιάσθησαν, πῶς ἐκ τούτων τοῖς ἀτελεστέροις δοθήσονται ἀναλωθησόμενα.

c Qui circumferuntur Canones sub nomine Conc. 3. Carthaginensis à variis Synodis variis temporibus sanciti non omnes Augustino antiquiores sunt, imo plerique recentiores.

techumenorum Sacramentum.

Ad idem ſalis Sacramentum referendum eſt, quod ſcribit S. Auguſtinus c. 26. de Catechizandis rudibus. *De Sacramento ſane, quod accepit, cum ei benè commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari: nec ſic habendam illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet. Dicendum etiam quid ſignificet & ſermo ille, quem audivit, quid in illo condiatur, cujus illa res ſimilitudinem gerit.* Evidens eſt verba iſta de ſigno crucis, quod Catechizato Ethnico, ut fiat Catechumenus, imprimitur, intelligi non poſſe, de quo loquutus eſtS. Auguſtinus verbis præcedentibus ea quæ citamus. Quomodo enim ad ſignum crucis referetur, *non ſic habendam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet?* Ad ſal igitur alludit Catechumenis cum ſigno crucis tradi ſolitum, quod ſolemni benedictione ſanctificabatur, quæ in Sacramentario ſancti Gregorii, & in antiquo ordine Romano legitur. Verba autem, quæ Sacerdos, illud tradens Catechumeno, proferebat, ex iiſdem antiquis ritualibus, hæc ſunt. *Accipe ſalem ſapientiæ in vitam æternam.*

Quæ autem contendimus, non inevidenter ex S. Gregorii Sacramentario & ordine Romano demonſtrantur, ubi in ſalis benedictione hæc leguntur. *Rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc Creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum, ad effugandum inimicum,* & in oratione traditionem ſequente. *Reſpicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum ſalis guſtantes non diutiùs eſurire permittas, quo minus cibo expleantur cæleſti &c.* Sal illud benedictum & Sacramentum vocatur, & pabulum, quo nutriuntur Catechumeni, quæ optimè conveniunt cum iis, quæ ex Concilio & S. Auguſtino retulimus.

Eò reſpexit Deuſdedit Papa in Epiſtolâ ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, cum ſcripſit, *ſcitis quia, quomodo ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, ita ſunt dona baptiſmi, à primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſus S. Eccleſiæ uſque ad confirmationem Spiritus Sancti per Chriſma*, à primo pabulo ſacrati ſalis, non dixiſſet, ni ſæpiùs in Catechumenatu ſacrum illud pabulum repetitum fuiſſet. Idem ex modo loquendi Bedæ lib. in Eſdram c. 9. ſal cœleſtis ſapientiæ, quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum noſtrorum ſa-

crificiis jubemur offerre.

Lib. 7. Capitularium c. 190. Canon 5. Concilii Carthaginensis 3. repetitur, sed cum additione quorumdam verborum, quæ illum explicant. *Per solemnissimos Paschales Dies Sacramentum Catechumenis non detur, nec eis, qui à liminibus Ecclesiæ sunt exclusi, neque eis ante Canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam: sed tantùm benedictum sal à Sacerdotibus pro communione tribuatur. Et quia fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenos, vel publicè pœnitentes oportet mutare.* Apparet igitur salis traditionem fuisse ordinariam, atque vice Eucharistiæ & Communionis fuisse Catechumenis. Canonis enim species ista ponitur, ut ex Canone & ipsius titulo colligitur, an propter Paschalem festivitatem Sacramentum corporis dominici Catechumenis ante baptismum esset tradendum. Quidam enim videntur hoc observasse. Respondent Patres hoc non licere, sed non obstante festivitate solitum salis Sacramentum illis esse præstandum. Non puto autem propter verborum in hoc Canone ambiguitatem, salis traditionem ad Pœnitentes esse extendendam. Hoc est enim prorsus inauditum.

Idem denique demonstratur ex formulâ loquendi à S. Augustino usurpata c. 11. lib. 1. confessionum. *Audieram ego adhuc puer de vitâ æterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram, & signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale.* Procul dubio ista loquendi formula per præteritum imperfectum continuatam actionis reiterationem significat. Præterea si semel tantum sale conditi fuissent Catechumeni, ut dixerat, *audieram*, sic dixisset, conditus fueram, ut ea loquendi forma actionis unitati non contradiceret. Denique eodem modo de salis condimento loquitur, ut de crucis signo, quod sæpissime repetebatur.

Cum igitur mystica Catechumenorum lustratio ita se habuerit, mirum meritò alicui videbitur, cur S. Dionysius cap. 3. Hierarch. Ecclesf. eos dixerit ἀμυθήτους καὶ ἀμυήτους παντὸς ἱεραρχικοῦ τελεστηρίου. Deinde cur solam illis tribuerit Psalmorum & scripturarum auditionem. εἰς δὲ τὰς ἑξῆς ἱερουργίας καὶ θεωρίας οὐ συγκαλεῖται τούτους, ἀλλὰ τοὺς τελείους &c. *ad sacra*, inquit, *opera & contemplationes, quæ deinceps sequuntur, non eos convocat, sed perfectos.* Et paulò ante in mysterii traditione psalmodiâ factâ.

[a] *Deinceps*, inquit, *à Ministris Sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Eâ recitatâ extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & unà cum eis Energumeni & Pœnitentes.* Atqui certum est post scripturarum lectionem, ea quæ narrata sunt, in Catechumeno mysticè acta fuisse. Deinde quid notius, quàm lectis scripturis, & homiliâ factâ manus cum oratione pœnitentibus impositas fuisse. Denique certum est Catechumenos, Energumenos & Pœnitentes simul dimissos non fuisse, sed separatim expiatos, & unumquemque ordinem, post expiationem sibi peculiarem, dimissum fuisse. Videtur Catechumenos primi ordinis tantùm agnovisse; secundi vero ordinis, quibus ἐξαιρέτων Catechumeni nomen conveniebat, prætermisisse, vel ignorasse, eo quod forsan jam obsolevisset in Ecclesiis, in quibus versabatur antiqua circa Catechumenos disciplina. Objicietur, cap. 2. ubi de baptismo agit, omnes baptizandi expiationes enarrare. Id equidem vero proximè accedit, sed aliud est de baptizando, sive φωτιζομένῳ tractare: aliud de Catechumenis, qui ad hanc baptismi actionem duobus aut tribus annis disponebantur.

a Ἑξῆς δὲ, διὰ τῶν λειτουργῶν ἡ τῶν ἁγιογράφων δέλτων ἀνάγνωσις ἀκολούθως γίνεται. καὶ μετὰ ταύτας, ἔξω γίγνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ σὺν αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες.

CAPUT DECIMUM.

Tertia Catechumenorum classis explicatur. Græcis φωτιζόμενοι dicti καὶ βαπτιζόμενοι; Latinis, competentes & electi. Titulorum istorum ratio, Quæ mysteria docebantur, ipsis non aliis tradebantur Religionis Sacramenta, Symbolum fidei, & postremùm Oratio Dominica. Paucissima de Sacramento Pœnitentiæ edocebantur, quamob rem competentes aliquando per πρόληψιν fideles dicti. Catechumenis pulsis eorum mysteria peragebantur. Competentibus, multo minus Catechumenis, non licebat dicere Orationem Dominicam. Soli baptizati statim à baptismo eam publice recitabant.

TERTIUS Catechumenorum gradus superest explicandus, de quo nobis multa sunt inquirenda. A speciali, eorum nomine ordiemur, Græcis ab omni ævo dicti sunt φωτιζόμενοι καὶ βαπτιζόμενοι, qui illuminantur, qui baptizantur, sicut & baptismus φώτισμα illuminatio. Latinè propter linguæ inopiam unâ dictione enuntiari non potest dictio. Caret enim participio passivo præsentis temporis; sic igitur dicti sunt, eo quod ad baptismum dispositi & electi essent, jam jam illum consecuturi, sic eos vocant S S. Clemens, Cyrillus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, & Græcorum Euchologia; eosque à Catechumenis distingunt, quanquam cum universalis de Catechumenis sermo est, Catechumenorum nomine & ipsi contineantur. Postquam vero baptizati sunt, φωτισθέντες καὶ νεόφυτοι, Illuminati & Neophyti vocantur; postea nullo amplius à fidelibus discrimine facto πιστοὶ fideles absolutè dicuntur. S. Chrysostomus in duobus sermonibus Catechisticis vocat τοὺς μέλλοντας φωτίζεσθαι, qui baptizandi sunt, & apud eum legere est, μυσταγωγούμενοι, qui initiantur. Aliis epithetis passim describuntur, sed nos ea quæ nominis proprii vice funguntur, adnotamus. Nominis apud Græcos frequentissimi ratio nota est. φωτίζειν enim illustrare &

illuminare significat. Dictio est ab Apostolis eo sensu sæpe usurpata, ut Joan. 1. v. 9. *Lux quæ illuminat omnem hominem*, & ad Ephes. 3. v. 9. *illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* & 2. Cor. 4. v. 4. 6. *illuminatio Evangelii & scientiæ.* Metaphora usitatissima, quâ quæ ad corpoream lucem pertinent, ad animi cognitionem transferuntur. Illuminare igitur est docere, animum verâ Dei cognitione imbuere. Baptismus autem illuminatio dictus est, à verâ Dei cognitione, quâ Catechumeni ante baptismum imbuebantur. Hoc præ cæteris rectè explicat Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. c. 6. [a] *Statim regenerati recepimus perfectionem, cujus causâ festinabamus; fuimus enim illuminati* ἐφωτίσθημεν γάρ *id autem est, Deum agnoscere.* Et paulò post [b] *multis modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio*. φώτισμα *perfectum & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, quâ remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id, quod est divinum acutè perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei deest, qui Deum novit?* Antiquissima autem est & Apostolica istius significationis ad baptismum translatio. Eâ enim usus est Apostolus c. 6. Epist. ad Hebræos v. 4. cum dixit. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt, rursus revocari ad pœnitentiam.* Et post Apostolum Græci omnes antiquissimi & recentiores.

Latini competentes eos vocant, & electos, aliâ nominis ratione quàm Græci. *Competentes dicuntur*, inquit S. Augustinus, Serm. 116. de tempore, & 8. de diversis, *simul petentes, quomodo consedentes, nihil aliud est quam simul sedentes &c. ita & competentes non possunt aliud intelligi, quàm simul petentes.* Dicebantur igitur competentes, quod simul baptismum peterent. In lib. de fide & operibus c. 6. *Cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque etiam ob hoc competentes vocaremur.* Alibi ean-

a Ἀναγεννηθέντες γοῦν εὐθέως, τὸ τέλειον ἀπειλήφαμεν, οὗ ἕνεκεν ἐσπεύδομεν. ἐφωτίσθημεν γάρ. τὸ δέ ἐστιν ἐπιγνῶναι τὸν θεόν.

b Καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο χάρισμα, καὶ φώτισμα, καὶ τέλειον καὶ λουτρόν· λουτρὸν μὲν δι' οὗ τὰς ἁμαρτίας ἀπορρυπτόμεθα. χάρισμα δὲ, ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται· φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύεται, τουτέστιν, δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωποῦμεν. τέλειον, τὸ ἀπροσδεὲς φαμέν. τί γὰρ ἔτι λείπεται τῷ θεὸν ἐγνωκότι?

dem nominis notationem non semel reddit. Apud Latinos usitatissimum fuit nomen in eo sensu, sæculo sancti Augustini & præcedente. Eo tamen usi non leguntur Tertullianus & Cyprianus, nec illius sæculi aut præcedentium autores, licet res ipsa perpetuò viguerit. Electi dicti sunt in Romanâ potissimùm Ecclesiâ: ita enim eos vocant Syricius Pontifex & S. Leo locis infra citandis, & in antiquo ordine Romano sic semper vocantur, Electi autem dicuntur, quod ex Catechumenorum turbâ ad suscipiendum baptismum, ut eo digni, eligerentur; reliqui vero ut nondum fidem satis edocti, & vitæ sanctitatem amplexi, differrentur. S. Chrysostomus initio homiliæ secundæ de symbolo vocat eos electos, & initio homiliæ primæ ad utramque Latinorum appellationem alludit, *Vos autem Genus electum, grex novellus Dei, qui competitis à Rege Regum, à Domino Dominorum munus gratiæ, qui baptismum salutarem speratis vobis affuturum, audite professionis vestræ verba &c.* S. Augustinus Serm. 8. de diversis, eos variis ornat nominibus, non enim tantum competentes vocat, sed etiam electos, dilectos, præscitos, vocatos, justificandos, glorificandos. Verùm ista ad eorum laudem. Nomina autem Electorum & Competentium illis fuere propria.

Nunc nobis inquirendum quibus rebus sive prærogativis competentes à cæteris Catechumenis distinguantur. Unam hoc capite enarrabimus, cæteras capite sequenti. Jam ostendimus duplicem fuisse Catechesim. Qualis prior fuerit, & quorum fidei articulorum multis jam demonstratum est. Præterea ostensum ex S. Augustino, S. Chrysostomo & aliis, magna Ecclesiæ mysteria & Sacramenta non fuisse illis prodita; Catechumenos, cum de iis sermo est, quid diceretur, nescivisse, Christum se eis non credidisse. Nunc quæ fuerint illa mysteria specialius explicandum, sive quod posterioris Catechesis objectum. Mysteria illa ad tria præcipua capita revocantur, Symbolum Apostolorum, quo potissimum intelligitur Trinitatis & Incarnationis mysterium, Ecclesiæ Sacramenta, & Oratio Dominica. Cum primùm enim electi fuerant, non antea Symbolum & Oratio Dominica illis tradebantur; nec modo tradebantur & eorum explicatio inchoabatur, sed etiam ab iis, ut ista memoriter scirent, & memoriter ante baptisma repeterēt, exigebatur. Sacramentorum

quoque Ecclesiæ, Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ virtus & dignitas sigillatim & dilucidè illis edisserebantur. Sed de pœnitentiâ pauca docebant, idque datâ operâ, ne ad peccata eos provocare viderentur. S. Chrysostomus in Homiliâ 60. ad baptizandos. [a] *Sed non nunc tempus est de pœnitentiâ nobis proferre sermonem. Imò nunquam necesse sit talia vobis remedia demonstrare, sed contingat semper vos pulchritudinem, quam estis accepturi, intactam inviolabilemque servare. Sed ut semper tales durare possitis, de conversatione vobis pauca narremus.* Ita Tertullianus c. 7. libri de pœnitentiâ, cum de pœnitentiâ ante baptismum agendâ sermonem confecisset, de pœnitentiâ post baptismum, quæ novæ legis est Sacramentum, dicere aggressurus, sic præfatur. *Huc usque, Christe Domine de pœnitentiæ disciplinâ servis tuis dicere vel audire contingat, quo usque etiam delinquere non oportet Audientibus, vel nihil jam de pœnitentiâ noverint, nihil ejus requirant. Piget secundæ, imò jam ultimæ spei subtexere mentionem; ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhus delinquendi demonstrare videamur, &c.*

S. Isidorus lib. 2. de Officiis Ecclesiast. c. 20. nec non lib. 1. c. 27. & Origen. lib. 7. c. 14. nos docet, quæ fuerint mysteria utriusque classis propria, & simul quam ob rem competentes dicti sint. Ita lib. 2. c. 21. *Post Catechumenos secundus competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant. Ideoque appellantur competentes, idest gratiam Christi petentes: Nam Catechumeni tantùm audiunt, nec dum petunt. Sunt enim quasi hospites & vicini fidelium: deforis audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur fideles. Competentes autem jam petunt, jam accipiunt, jam Catechizanturi idest imbuuntur instructione fidei, & Sacramentorum. Istis enim salutare Symbolum traditur, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.* Alcuinus, Rabanus Maurus, & alii posteriores

[a] Ἀλλ' οὐ καιρὸς ὑμῖν τὰς περὶ μετανοίας ἀκοῦσαι λόγους· μᾶλλον δὲ μηδέποτε γένοιτο καιρὸς εἰς χρείαν ὑμᾶς ἐκείνων ἐμπεσεῖν τῶν φαρμάκων, ἀλλ' ἀεὶ μένοιτε τὸ κάλλος καὶ τὴν λαμπρότητα ἣν μέλλετε λαμβάνειν νῦν, ἀκέραιον διατηροῦντες. ἵνα οὖν ἀεὶ μένοιτε, φέρε καὶ περὶ πολιτείας ὑμῖν διαλεχθῶμεν ὀλίγα.

riores ex Iſidoro idem docuerunt. De Catechumenis dicit, *adhuc non appellantur fideles.* Competentes enim, licet fideles non ſint, nonnunquam tamen ſic appellantur. S. Chryſoſtomus ſic eos appellat initio Catecheſis primæ ad illuminandos. [a] *Quam deſiderabilis eſt nobis & amabilis novorum fratrum coetus! Fratres enim vos ego, licet ante partus dolores, voco, conſanguinitatemque vobiſcum, antequam geniti ſitis, amplector & ſaluto. Novi enim, novi certiſsimè in quantum evehendi ſitis honorem, &c.* Rectè equidem, cum ipſis, non autem Catechumenis, tradatur Symbolum, quod incipit, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & Oratio Dominica, in quâ cum fidelibus dicunt, Pater noſter, qui es in Cœlis: ſed de his infra.

S. Ambroſius Epiſt. 33. *Sequenti die, erat autem Dominica, poſt lectiones, atque tractatum, dimiſsis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptiſteriis tradebam* Baſilicæ. Tria ex pauciſſimis verbis evidentiſſime colliguntur, primum competentium à Catechumenis diſtinctio. Secundum, cum fiebat competentium Catecheſis, expulſos fuiſſe Catechumenos. Denique Symbolum competentibus ſpecialiter traditum fuiſſe, & explicatum, cujus explicationi Catechumenis intereſſe non licebat. & cap. ultimo lib. 6. commentarij in Lucam, cum docuiſſet exemplo ſancti Pauli Actuum 17. quæ Gentiles docendi eſſent, addit, *quod ſi ad Sacramenta fidelium tendens Catechumenus imbuendus ſit, dicendum quia unus eſt Deus, ex quo omnia, & unus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, non duos Deos eſſe dicendos &c. quibus docet tum Catechumenos myſterio Trinitatis eſſe informandos.*

Sed antiquorum Autorum nullus diſertiùs & explicatiùs competentis, καὶ φωτιζομένου, à Catechumeno differentiam, illiuſque ſupra hunc prærogativam enarrat, quàm S. Cyrillus Hieroſolymitanus in procatecheſi ad illuminandos. Prohibet enim τοῖς φωτιζομένοις non ſecus ac fidelibus, fidei myſteria Catechumenis evulgare, arcetque à Catecheſibus ſuis Catechumenos, præclaraſque hujus rei tradit rationes. Sed ipſum præſtat audire: perſpicuè enim admodum mentem ſuam explicat, ſeu potiùs Eccleſiæ con-

a Ὡς ποθεινὸς καὶ ἐπέραστος τῶν νέων ἡμῖν ἀδελφῶν ὁ χορός. ἀδελφοὺς γὰρ ὑμᾶς ἤδη καὶ πρὸ τῶν ὠδίνων ἤδη καλῶ καὶ πρὸ τοῦ τόκου τὴν συγγένειαν τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀσπάζομαι. οἶδα γὰρ, οἶδα σαφῶς εἰς ὅσην μὲν ἄγεσθαι μέλλετε τιμὴν, εἰς ὅσην δὲ ἀρχήν.

ſuetudinem. [a] *Cum Catecheſis recitatur, ſi Catechumenus ex te quæſierit, quid dicebant doctores, nihil dicas externo; myſteria enim tibi & ſpem futuri ſæculi tradidimus. Cuſtodi hoc myſterium retributori, nec unquam dicentem audi, quid obeſt, ſi & ego didicero? etiam ægroti vinum quandoque poſtulant; quod ſi intempeſtivè illis detur phreneſim conciliat, & duo hinc naſcuntur mala; nam & æger interit, & Medicus malè audit. Sic & Catechumenus, ſi audiat myſteria fidei, phreneſim patitur. Neſcit enim quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet; fidelis verò tanquam proditor condemnatur. Jam ergo tu in finibus noſtris conſtitutus, cave nè quid effutias. Non quod digna non ſint narratione ea, quæ tibi dicuntur, ſed quod indignus eſt ille audire, quæ referres. Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen propoſita tibi enarrabantur. Quando autem ſublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientiâ didiceris, tunc planè intelliges dignos non eſſe Catechumenos, qui ea audiant.* Eodem ſpectat nec minùs evidenter adnotatio ſive admonitio procatecheſis fini adjuncta. [b] *Has iis, qui illuminantur, factas Catecheſes accedentibus quidem ad baptiſmum, & his, qui hoc lavacrum habent, fidelibus exhibeas. Catechumenis vero & aliis, qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis, alioquin redditurus es domino rationem.* Nihil clarius & evidentius ad id, quod demonſtrandum ſuſcepimus, animo concipi poteſt. Si verò interroges quid in Catecheſibus ſuis explicet competentibus S. Cyrillus; Reſpondeo Catecheſes octodecim poſteritati reliquiſſe, quarum quatuordecim poſteriores in eo tantùm verſantur, ut Symbolum Apoſtolicum articulatim

a Ὅτε τοίνυν κατήχησις λέγηται, ἐάν σε κατηχούμενος ἐξετάσῃ τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω. μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν, καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος. τήρησον τὸ μυστήριον τῷ μισθαποδότῃ. μή ποτέ σοι τις εἴπῃ, τί βλάπτει ἐὰν κἀγὼ μάθω. καὶ οἱ νοσοῦντες τὸν οἶνον ζητοῦσιν, ἀλλ' ἐὰν ἀκαίρως δοθῇ φρενῖτιν ἐργάζεται, καὶ δύο κακὰ γίνεται, καὶ ὁ νοσῶν ἀπόλλυται καὶ ὁ ἰατρὸς διαβάλλεται. οὕτως ὁ κατηχούμενος ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ πιστοῦ, καὶ ὁ κατηχούμενος φρενιτιᾷ· οὐκ οἶδε γὰρ τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ πρᾶγμα καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον καὶ ὁ πιστὸς ὡς προδότης κατακρίνεται. ἤδη δὲ σὺ μεθορίῳ ἕστηκας, βλέπε μοι μὴ ἐκλαλήσῃς, οὐχ ὅτι οὐκ ἄξια λαλιᾶς τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ὅτι ἡ ἀκοὴ ἀναξία τοῦ δέξασθαι. ἦς ποτὲ καὶ σὺ κατηχούμενος οὐ διηγησάμην σοι τὰ προκείμενα. ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων τότε ἂν γνώσῃ ὅτι ἀνάξιοι οἱ κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς.

b Τὰς τῶν φωτιζομένων κατηχήσεις ταύτας, τοῖς μὲν τῷ βαπτίσματι προσερχομένοις, καὶ τοῖς τὸ λουτρὸν ἔχουσιν ἤδη πιστοῖς εἰς ἀνάγνωσιν παρεχόμενος, μὴ δὸς τὸ σύνολον, μήτε κατηχουμένοις, μήτε ἄλλοις τισὶ τοῖς μὴ οὖσι χριστιανοῖς, ἐπεὶ τῷ κυρίῳ λόγον δώσεις.

explicent : quarta verò , quæ quatuordecim illas præcedit , articulorum Symboli brevis eſt & ſummaria explicatio, cui conjungit nonnulla præcepta vitæ, & morum , quæ Chriſtiani ſervare tenentur. Tertia baptiſmum explicat , ſecunda pœnitentiam & remiſſionem peccatorum ; prima eſt procatecheſis ſive præfatio ipſa. Duo autem illa poſteriora ita traduntur, atque ex doctrinæ Chriſtianæ penetralibus eruuntur , ut ea nefas ſit Catechumenis aperire.

Antiquiſſimam eſſe illam competentium à Catechumenis diſtinctionem,myſteriaque competentibus tradi,quæ Catechumenis audire nefas erat , ex eodem Cyrillo colligitur in Catecheſi *6*. in quâ refert Archelai in Meſopotamiâ Epiſcopi cum Manichæo publicam diſputationem. [a] *Hæc myſteria* , inquit Archelaus , *nunc patefacit Eccleſia ei, qui ex Catechumenis excedit , nec moris eſt Gentilibus exponere. Nec enim Gentili cuiquam de Patre & Filio & Spiritu ſancto arcana myſteria declaramus ; neque palàm apud Catechumenos de myſteriis verba facimus , ſed multa ſæpè loquimur occultè , ut fideles , qui rem tenent , intelligant , & qui non tenent, ne lædantur.* Idem, qui hos omnes præceſſit , nos quoque evidenter docet S. Clemens lib.8. conſtitutionum, ubi ſynaxis ordinem refert. Primum lectis ſcripturis ſacris & Evangelio , edicit in fine Cap. 5. Diaconus; *nequis audientium, ne quis infidelium.* Ejectis audientibus , qui duplices eſſe poterant, pœnitentes & Catechumeni, jubet Diaconus cap. *6*. ut pro Catechumenis orent fideles,& quando ſit orandum præit. Deinde ſuper Catechumenos inclinatos precatur Epiſcopus. Oratione finitâ exire jubentur Catechumeni. Vocantur poſtea Energumeni , orationeque pro iis factâ , & poſt modum dimiſſis c. 7. & 8. Clamat Diaconus εὔξασθε φωτιζόμενοι *Orate qui baptizandi eſtis.* Tum ſe crucis ſigno muniunt, capitaque benedictioni Epiſcopali ſupponunt ; quâ finitâ , Diaconus ἐξέλθετε οἱ φωτιζόμενοι *exite qui baptizamini.* His foras diſcedentibus , ſuccedunt pœnitentes, quorum oratione completâ , iiſque ſimiliter ejectis , fidelium orationes

a Ταῦτα τὰ μυστήρια νῦν ἡ ἐκκλησία διηγεῖται τῷ ἐκ κατηχουμένων μεταβαλλομένῳ· οὐκ ἔστιν ἔθος ἐθνικοῖς διηγεῖσθαι· οὐ γὰρ ἐθνικῷ τὰ περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια, οὐδὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν· ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι· καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι.

inchoantur. Hæc sigillatim delineata quivis legere potest apud Clementem. Catechumeni igitur à competentibus sive φωτιζομένοις distinctissimi sunt, illisque non licebat competentium orationibus interesse. Idem ex liturgia Præsanctificatorum cap. sequente demonstrabitur.

Denique aliud euidens ejusdem rei argumentum desumitur ex variis S. Augustini locis, in quibus fidei Symbolum explicat. Ubique enim ad competentes, & brevi baptizandos sermonem dirigit. Sermone 119. de tempore Symbolum integrum articulatim explicat, sed sermo ille ad competentes habetur. *Ideo cum credideritis, oportet & ut confiteamini. Quando Symbolum redditis, accipite modo quod teneatis, & postea reddatis, & nunquam obliviscamini,* Et in fine Sermonis dicit eos post octo dies Orationem Dominicam accepturos. Idem habetur initio Homiliæ 42. ex quinquaginta, in quâ tota Oratio Dominica explicatur, sed de hac Homiliâ infra pluribus. Scripsit S. Augustinus quatuor libros quibus quater Symbolum Catechumenis explicat. Sed semper eos Catechumenos intelligit, quos nunc competentes dicimus, ut disertissimè colligitur ex ipsissimo libri primi initio, ejusque fine. Item ex initiis lib. 2. & 4. quorum verba non referemus, cum alibi sit nobis id faciendum. Verùm, quid opus hoc pluribus probare, cum ipse testetur lib. 1. retractationum c. 17. se in competentinm gratiam illos scripsisse? Explicat S. Chysostomus Homiliâ speciali Symbolum, sed quibus? φωτιζομένοις competentibus, ut vel ex initio liquet, quod supra hoc capite exhibuimus. Idem facit Petrus Chrysologus septem sermonibus brevi baptizandis, cum pascha instaret, & cuique legenti est in promptu colligere. Ex his omnibus manifeste colligitur Symbolum, præcipuaque fidei mysteria competentibus, non Catechumenis fuisse tradita. Longè plura sunt ejusdem rei testimonia, sed quoniam ea simul probant, quo die illis tradebantur ista mysteria, nonnullaque alia complectuntur scitu dignissima, ea in caput sequens remittimus.

Idem de Oratione Dominicâ dicendum, quod de Symbolo fidei. Oratio Dominica Catechumenis non tradebatur, sed tantùm competentibus; quia hi, ut ita loquar, in proximâ ad baptismum & fidelium ordinem dispositione versabantur. Attamen non eam reddebant,

ſive publicè recitabant, niſi baptiſmo ſuſcepto. Ante baptiſmum iis tradebatur, ut eam memoriter diſcerent, baptizatique ſic Deum orarent, quod ante baptiſmum præſtare nefas erat. Catechumenorum & competentium non erat dicere, Pater noſter, ſed baptizatorum. *Vis ſcire*, inquit Dachiarius, in fine Epiſt. de recipiendis lapſis, *quia baptizati, non autem Catechumeni, filij appellantur. Aſpice, quod ipſe Apoſtolis ſuis dicit, jam non dicam vos ſervos, ſed filios &c.* Sic S. Auguſt. Sermone 29. de Verbis Apoſtoli c. 5. adverſus Pelagianos inſurgens *Interrogo te, homo juſte &c. Oratio iſta ex Deo eſt, Eccleſiæ eſt, fidelium eſt, an Catechumenorum? certe utique regeneratorum eſt, id eſt baptizatorum; poſtremò quod totum ſuperat, filiorum eſt.* Et poſt S. Auguſtinum Toletani Patres Concil. 4. c. 10. *Eorum eſt enim dicere, Pater noſter qui es in Cælis, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aquâ & ſpiritu.* Hujus obſervationis cauſam reddit S. Chryſoſtomus hom. 20. in cap. 6. Matth. ubi explicat orationis Dominicæ hæc verba; dimitte nobis debita noſtra, ſic ſcribit. a *Poſt tantorum quippe ablutionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem iterum peccantibus dignatur ignoſcere. Quod enim fidelibus oratio iſta conveniat, & Eccleſiæ regula ipſa teſtatur, & ipſius orationis exordium. Nondum quippe initiatus Sacramento baptiſmatis, non poteſt Patrem vocare.* Idem poſt Chryſoſtomum, & à Chryſoſtomo mutuatus ſcribit Theodoretus lib. 5. de hæret. fabul. c. 28. Eadem ratione ſed eleganter deductâ utitur S. Auguſtinus in fine lib. 1. de Symbolo ad Catechum. ut idem probet, *nam quomodo*, inquit, *dicunt, Pater noſter, qui nondum nati ſunt?* Probat competentes, nedum Catechumenos, dicere non poſſe, dimitte nobis debita noſtra &c. quia hæc verba ad orationem Dominicam pertinent, quam recitare non poſſunt. Incipit enim, Pater noſter &c. At qui nondum nati ſunt, Deum vocare non poſſunt Patrem. Naſcimur autem per baptiſmum. Ante igitur baptiſmum ſuſceptum competentes orationem Dominicam recitare non poſſunt.

Notant antiqui Patres, quod ſcire non eſt ſupervacaneum, primam vocem, quam proferre jubebantur poſt baptiſmum ſuſ-

a Μετὰ τοσούτων κακῶν ἀναίρεσιν καὶ δωρεᾶς μέγεθος ἄφατον, πάλιν ἁμαρτάνοντας ἀξιοῖ συγγνώμης. ὅτι γὰρ πιστοῖς αὕτη ἡ προσευχὴ πρόσκειται, καὶ οἱ νόμοι τῆς ἐκκλησίας διδάσκουσι καὶ προοίμιον τῆς εὐχῆς. ὁ γὰρ ἀμύητος οὐκ ἂν δύναιτο πατέρα καλεῖν τὸν θεόν.

ceptum Neophyti, hanc esse, Pater noster qui es in Cœlis &c. S. Chrysostomus homilia 14. in Epistolam ad Romanos interpretans hæc verba, per quem clamamus, Abba Pater. [a] *Hoc autem quale quantumque sit, sciunt Mystæ ipsi, qui ritè jubentur hoc primum in prece mysticâ verbum effari.* & paulò post. *Nos autem Sacerdotes, & Privati, Principes & subditi, ita precari jussi sumus, & hanc primam vocem edimus, post admirabiles illas parturigines, post veram ac mirificam enitendi legem.* S. Hieronymus ad finem lib. 3. contra Pelagium, specialiùs locum & tempus notat, *de baptismatis fonte surgentes, & regenerati in Dominum Salvatorem, impleto illo, quod de se scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, statim in primâ communione corporis Christi, dicunt, dimitte nobis debita nostra &c.* Post Baptizatos competentes, statim decantabatur ille versiculus, Beati quorum, &c, ut ex antiquis ritualibus & Euchologiis apparet, deinde orationem Dominicam recitare jubebantur, quâ finitâ, sacrâ communione reficiebantur.

Cum igitur antiquissima & Apostolica traditio non permitteret competentibus, nedum Catechumenis, Deum vocare Patrem suum, ideo Oratio Dominica, quæ ab hac appellatione incipit, post Symbolum, & omnium mysteriorum postremum ipsis tradebatur, ut ratio ipsa convincit, & sæpius αὐτολεξὶ docet sanctus Augustinus, ut Sermone 48. de diversis. *Quia ergo dixit, quomodo invocabunt in quem non crediderunt, ideo non accepistis priùs orationem, & postea Symbolum, sed priùs Symbolum, ubi sciretis, quid crederetis; & postea orationem, ubi nossetis, quem invocaretis.* Similia Sermone 9. Ubi satis fuse orationem Dominicam explicat, præfatur. Similiter initio Sermonis 135. de tempore, ubi breviter eam orationem explicat. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Ideo priùs Symbolum didicistis, ubi est fidei vestra regula brevis & grandis. Brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum. Oratio autem, quam hodie accepistis tenendam, & ad octo dies reddendam, sicut audistis, cum Evangelium legeretur, ab ipso Domino dicta est discipulis &c.* Idem leges apud

a Τοῦτο δὲ ἡλίκον ἐστὶν, ἴσασιν οἱ μύσται, καλῶς ἐπὶ τῆς εὐχῆς τῆς μυστικῆς τοῦτο πρῶτον κελευόμενοι τὸ ῥῆμα λέγειν &paulò post: ἡμεῖς δὲ ἅπαντες καὶ ἱερεῖς καὶ ἰδιῶται καὶ ἄρχοντες καὶ ἀρχόμενοι, οὕτως εὔχεσθαι ἐκελεύσθημεν καὶ ταύτην πρώτην ἀφίεμεν φωνὴν μετὰ τὰς θαυμαστὰς ὠδῖνας ἐκείνας, καὶ τὸν ξένον καὶ παράδοξον λοχευμάτων νόμον.

eumdem autorem Homilia 42. in lib. quinquaginta Homiliarum, ubi quoque eamdem orationem explicat. Sed non videntur hic omittenda, quæ in hac causâ scribit Serm. 119. de tempore. *Quoniam victuri sumus in isto sæculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione Dominicâ, & quotidianâ, quam post octo dies accepturi estis, in illâ invenietis quasi quotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias, qui donavit hoc munus Ecclesiæ, quod confitemur in Symbolo.* Idem colligitur ex S. Chrysologi homiliâ 67. & sequentibus, quas de Oratione Dominicâ post Symboli explicationem, ad baptizatos habuit. Morem illum tradendæ Orationis Dominicæ iis, qui baptizantur, aut baptismo suscipiendo proximi sunt, esse antiquissimum & Apostolicum ex S. Clemente colligitur lib. 3. constitut. c. 18. *Qui baptizatur*, inquit, *sit alienus ab omni impietate &c. Dei filius, qui tanquam filius his verbis Patrem precetur, velut nomine communis cœtus fidelium, Pater noster &c.* Quo vero tempore & die traditum fuerit competentibus Symbolum & consequenter Oratio Dominica infra cap. 13. inquiretur.

Antequam huic capiti finem imponam, mos peculiaris Ecclesiæ Romanæ silentio non est prætereundus. Competenti baptismati admovendo, præter fidei Symbolum, quod ubique Gentium, ut jam demonstratum est, recitari solebat, amplior fidei professio præscriptis verbis conceptæ tradebatur ediscenda, memoriterque è loco editiore in omnium fidelium conspectu pronuntianda. Erat autem ejusmodi, ut nonnunquam pudore ac verecundiâ, ab eâ publicè pronuntiandâ retinerentur, atque ideo, cum nonnullis, ut secretiore loco eam pronuntiarent, dispensabatur. Hunc morem breviter attingit S. Augustinus lib. 8. confess. c. 2. de Victorino famosissimo Rhetore & Philosopho verba faciens; *Denique ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisque memoriter, de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solebat ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino* (Simplicianus) *à Presbyteris, ut secretiùs redderet, sicut nonnullis, qui verecundiâ trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri &c.* Videtur hoc Ruffinus puræ pu-

tæ Symboli recitationi tribuere, cum scribit in Symboli explicationem initio. *Mos Romæ servatur antiquus, eos qui baptismatis gratiam suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium Populo audiente, recitare Symbolum.* Facilè hæc conciliabuntur, si dixerimus in plebejorum hominum professione fidei, simplici Symboli recitatione, in omnium conspectu editâ contentam fuisse Ecclesiam, in professione verò hominum doctorum, qualis erat Victorinus, aut aliàs insignium præter Symbolum, explicatiorem & mysteriorum pressiorem verbis certis [illegible]fessionem conceptam præscripsisse. Eundem morem in Ecclesiâ Constantinopolitanâ viguisse, ex S. Chrysostomo colligitur homil. in verba Psal. 118. Bonitatem fecisti cum servo tuo, ubi de Symbolo verba faciens scribit, cognoscant homines charitatem, ac insigne illud militiæ vestræ, quod professi estis in eminentiore loco Ecclesiæ.

CAPUT UNDECIMUM.

Tempus inquiritur, quo competentes seu φωτιζόμενοι eligebantur; & eorum nomina in tabulas Ecclesiasticas, ad baptismum suscipiendum referebantur.

INQUIRENDUM nobis est, quo tempore inciperent, quæ capite præcedente dicta sunt. Ab ipsâ statione, quæ expiationis fundamentum est, exordium faciemus. Primùm ea argumenta proferemus, quæ quadragesimali tempore eam stationem incipere & constitui demonstrant; ea deinde, quæ diem adnotant: denique quid lapsu temporis immutatum fuit, adscribemus. Illa autem testimonia docent quoque Catechumenos, cum in competentes sive φωτιζομένων, eligebantur & evehebantur, nomina sua dedisse, ut tabulis Ecclesiasticis inscriberentur. Qua propter unâ & eâdem operâ utrumque demonstratum erit. S. Augustinus c. 12. libri de curâ pro mortuis, ita loquitur de quodam, cui in somnis jussum fuerat, ut se baptisari curaret, *Post ista convaluit, perrexit Hipponem: Pascha jam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes.* Eodem temporis respiciebat idem Sanctus Confessionum l. 9. c. 6. cum scribit, *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto Rure, Mediolanum remeavimus.* Circumstantiæ temporis

poris ibi descriptæ quadragesimali tantùm conveniunt. Idem Sanctus in Sermone ad competentes, qui habitus est in Dominicâ Palmarum, postquam eo Sermone nominis rationem reddidit, subdit. *Nunc verò isti, qui simul petunt, debent scire quid petunt. Quid ergo petunt, qui baptismi Sacramentum desiderant? Quid utiq; nisi, ut qui erant vasa Diaboli, mereantur effici vasa Christi &c. ideo rogo vos & commoneo omnes petentes, & contestor simul & adnuntio, ut cum Dei adjutorio in istis diebus usque ad Pascha diligenter perscrutemini in conscientias vestras &c.* in fine ejusdē Sermonis nonnulla habet, quæ ejusdem rei possunt esse argumentū.

S. Augustinus iterùm similia scribit lib. de fide & operibus c. 6. *Quod autem sit per omne tempus, quod in Ecclesiâ salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum gradus accipiant: hoc fit multò diligentiùs & instantiùs his diebus, quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptisma, sua nomina jam dederunt.* Dixerat eodem capite, *non recordamur, quàm fuerimus attenti atque soliciti, quid nobis præciperent à quibus Catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur.* Evidenter docet omni tempore Catechumenos factos & dictos fuisse; competentes verò, cum nomina sua dederant ad suscipiendum baptisma, atque ideo competentes vocatos. Idem arguit ipsa nominum Græcorum notatio, quę semper in præsentis temporis participio passivo, ut diximus enuntiatur. Loqui autem sanctum Augustinum de solemni baptismo, cùm ex universo Sermonis contextu, tùm ex his verbis apparet. *Intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus Catechizantur, exorcizantur, scrutantur,* &c. solemnem autem fieri baptismum in Paschate aut Pentecoste, notius est omnibus, quam ut probatione indigeat.

Sed ponamus, quod factum est, S. Augustinum de solemnibus illis diebus verba non facere: eos sane hortatur, qui in procinctu erant ad baptismum suscipiendum. Hoc est autem quod contendimus, Catechumenos nomina dedisse, Pœnitentiam egisse, competentesque dictos, cum ad baptismum destinati, eo abluendi sunt. In ordinario baptismo id fiebat quadragesimali tempore. In extraordinario autem aliquot ante baptismum diebus, prout expedire definiebat Episcopus. Sic

in vitâ ſancti Sebaſtiani apud Surium 20. Januarii refertur, finitâ Polycarpi exhortatione, *& unuſquiſque nomen ſuum,etiam priuſquam interrogatus eſſet, feſtinabat offerre.* Et paulò poſt, *cumque clamaret Claudius, credere ſe, & deſiderare fieri Chriſtianum, juſſit S. Polycarpus Presbyter, ut darent univerſi nomina ſua. Primus itaque omnium dedit nomen ſuum tranquillimus &c. Igitur omnes iſti ſimul animæ 64. à Polycarpo baptizati, & à ſancto Sebaſtiano ſuſcepti ſunt.* Ita intelligendum quod ſcribit S. Auguſtinus Confeſſionum lib. 8. c. 2. de Victorino Rhetore famoſiſſimo, *ubi imbutus eſt primis instructionum Sacramentis, non multò poſt etiam nomen dedit, ut per baptiſmum regeneraretur, mirante Româ, gaudente Eccleſiâ.* Ex ſequentibus enim apparet, extra ſolemnitatem Paſchatis & Pentecoſtes baptizatum fuiſſe. Idem colligitur ex interrogatione factâ Timotheo Alexandrino Patriarchæ, apud Balſamonem, [a] *ſi Mulier Catechumena dedit nomen ſuum, ut illuminaretur,& die baptiſmatis illi accidit, quod ſolet Mulieribus, debet ne eo die baptizari,an differre, & quantum differre? debet differre donec purgata fuerit.* Sic quoque Baſilius in exhortatione ad baptiſmum, quâ totâ in eos cõpoſuit, qui baptiſmum ad finem vitæ differebant. *Cave, ne tu(* Aucupi*) ſimilia patiaris,certa pro incertis relinquens, ſpem firmam vanâ commutans. Trade itaq; te Chriſto totum, da nomen tuum, & adſcribere Eccleſiæ. Nam & Miles legitimus catalogo adſcribitur: Athleta conſcriptus pugnat:&c.* Nulla diei aut feſtivitatis mentio, eo quod cum ſegnes ad baptiſmum urgeret, quælibet dies erat illi accepta. Eodem referri debent quæ docet S. Dionyſius c. 2. de Hierar. Eccleſiaſt. nuſquam enim Paſchatis aut Pentecoſtes mentionem facit. Ex eo præterea quærit, num ita inſtituat vivere. [c] *Cum promiſit, manum ejus capiti admovet; eoque ſigno crucis conſignato,*

Du-biæ fidei hæc vita.

---

a Ἐὰν γυνὴ κατηχουμένη δέδωκε τὸ ὄνομα αὐτῆς, ἵνα φωτισθῇ, καὶ περὶ τὴν ἡμέραν τοῦ βαπτίσματος γένηται αὐτῇ τὸ κατ' ἔθος τῶν γυναικῶν, ὀφείλει φωτισθῆναι αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ, ἢ ὑπερθέσθαι, ἢ πόσον ὑπερθέσθαι. Ἀπόκρισις. ὑπερθέσθαι ὀφείλει ἕως οὗ καθαρισθῇ.

b Φοβήθητι μὴ καὶ σὺ τὰ παραπλήσια πάθῃς, ἐν ταῖς περὶ τῶν ἀδήλων ἐλπίσι τὰ φανερὰ προϊέμενος. δίκεν δὲ σὺ μοὶ ὅλον σεαυτὸν μετάθες ἐπὶ τὸν κύριον· ἔκδος σεαυτοῦ τὴν ὀνομασίαν, καταγράφηθι τῇ ἐκκλησίᾳ. ὁ στρατιώτης καταλόγοις ἐναριθμεῖται. ὁ ἀθλητὴς ἐναπογραψάμενος ἀγωνίζεται.

c Μετὰ τὴν ὁμολογίαν ἐπιτίθησιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ κατασφραγισάμενος, ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον, τῶν δὲ ἀπογραφέντων εὐχὴν ἱερὰν ποιεῖται.

sacerdotibus imperat, ut viri atque sponsoris nomina perscribant. Iis scriptis, sacras preces perficit.

Manifestum est igitur competentes creatos in ordinario baptismo tempore quadragesimali; in extraordinario aliquot diebus, antequàm baptismo consecrarentur, certus dies nunc est nobis investigandus. In eo assignando traditionem variasse deprehendimus: stabilis tamen & uniformis fuit in iis, quæ creationis diem concomitabantur. Quo die enim in competentes ϗ φωτιζομένους eligebantur, non modo nomina eorum in tabulas Ecclesiasticas referebantur, verùm etiã pœnitentia illis indicebatur, cui antea non erant obnoxii, exorcismisq; & exsufflationibus, atque aliis ritibus expiabantur, donec baptismo tingerentur. Communissima Ecclesiæ tàm Græcæ, quàm Latinæ, traditio fuit, quadraginta diebus ante Pascha ex Catechumenis eos eligere in competentes, qui in doctrinâ fidei bonisque moribus magis profecerant. S. Syricius Pontifex Epist. 1. c. 2. *In Paschate tantum & Pentecoste ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit Sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eò amplius dies nomen dederint, & exorcismis quotidianisque orationibus & jejuniis fuerint expiati.* Idem testatur non modo de Ecclesiâ Romanâ, sed etiam de Orientali S. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani longè ante medium. *Consuetudo est apud nos istius modi, ut iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies, publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem. Si te præsens lectio provocavit, ut de cunctis dogmatibus unâ horâ diceres, quid necesse fuit quadraginta dierum replicare doctrinam.* Et paulò post, *sed & hic ambiguè loquitur. Potest enim fieri, ut quæ per quadraginta dies tradere solebat in Ecclesiâ baptizandis, hæc sub unius lectionis occasione perstrinxerit.*

S. Ambrosius eodem alludit Sermone 23. cum scribit, *Quadraginta duorum dierum numero Israël ad fluenta Jordanis pervenit, eodemque dierum circulo Christianus Populus pervenit ad fluenta baptismatis*, & Sermone 38. *Elias reseravit jejuniis suis Cœlum, & terram orationibus fæcundavit &c. Nos eadem, quæ Elias, observantes jejunia adhibitis precibus, clausum Cœlum nostris competentibus reseramus, quatenus illos lavacri salutaris imber illuminet.* Idem Eliæ exemplum in eundem finem edisserit ad finem Sermonis 27. Petrus Chrysologus Sermone 166. *Attendite fratres,*

quantus sit quadragenarius numerus iste, qui & tunc Cœlum Terris aperuit abluendis, & nunc fontem baptismatis per orbem totum pandit Gentibus innovandis. Meritò nos quadraginta diebus per jejunium currimus, ut perveniamus ad fontem baptismatis & salutis. S. Augustinus Sermone 71. de tempore disertissimè docet eumdem fuisse suo tempore in Ecclesiâ Africanâ morem. *Rogo vos fratres, ut quicumque aut filium suum, aut vernaculum baptizari desiderat, jam nunc eum Ecclesiæ offerre non differat: quia non est justum ut res, quæ tam praeclara creditur, negligenter aut tardiùs, quàm expedit, requiratur. Timeo enim, ne aliquæ Mulieres ideo tardiùs infantulos suos offerant, quia cum ipsis venire ad vigilias dissimulant. Certissimè enim credimus quod qui statim incipiente quadragesimâ, eos qui baptizandi sunt, offerre voluerint, & cum ipsis ad vigilias fideliter venerint, & filii eorum legitimo ordine accipient baptismi Sacramentum, & ipsi acquirent indulgentiam peccatorum.* In vitâ sancti Sebastiani apud Surium die 20. Januarii Polycarpus Presbyter Chromatio & Tiburtio pompis Diaboli abrenuntiantibus, cum jam essent in baptisterio mergendi, triduano jejunio ipsis imperato, perfunctis, istam Ecclesiæ consuetudinem declarat, Tiburtium alloquens. *Beatiorem te cœlestis unda perfundet, cum quadragesima tempus ideo baptizandis injungitur, ut omnibus illis diebus discant renuntiaturos se esse omnibus artibus inimici.* Statimque postea baptizatus est Tiburtius, & paucis postea diebus pater ipsius Chromatius. Sic in vitâ sanctæ Genovefæ de puero dicitur, quem suscitaverat. *Erat tum quadragesima dies, & puer adhuc Catechumenus de fide instituebatur, ut in Paschatis vigiliâ, baptismatis undis expiaretur.* Vita S. Genovefæ apochrypha.

Sæpè ejusdem temporis mentionem facit S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus suis. Sic in procatechesi illuminandos ad novæ vitæ instituta capessenda hortatur. [a] *Intrastieo loco dignus habitus es, nomen tuum inscriptum est &c. Ego te admoneo priusquam Jesus animarum sponsus ingrediatur, & amictum tuum videat, longum tibi tempus lege definitum est. Quadraginta dierum pœnitentiam habes. Adest tibi exuendi, ac rursus induendi atque intrandi magna opportunitas.* Ca-

a Εἰσῆλθες· κατηξιώθης· ὄνομά σου ἐνεγράφη. &c. ἐγὼ παραγγέλλω, πρὶν ὁ νυμφίος τῶν ψυχῶν εἰσέλθῃ Ἰησοῦς, καὶ ἴδῃ τὸ σχῆμα. πολλή σοι ἡ προθεσμία. τεσσαράκοντα ἡμερῶν μετάνοιαν ἔχεις· πολλὴν εὐκαιρίαν καὶ ἐκδύσασθαι καὶ ἀποπλύνασθαι, καὶ ἐνδύσασθαι, καὶ εἰσελθεῖν.

techesi verò primâ φωτιζομένοις, sic alloquitur. [a] *Confitere tempore acceptabili, & in die salutis. Suscipe cælestem Thesaurum, & in exorcismis studiosè verseris. Assistas Catechesibus, & quæ in illis dicuntur memineris &c. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis orationi pro animâ tuâ.* Et initio Catech. tertiæ. *Absit ut aliquis eorum, qui nomina dederunt, audiat, Amice quomodo huc intrasti &c.* Catechesis quartæ initio: *Ante vero fidei traditionem præclarè mecum actum videtur, si nunc summatim dogmatum necessariorum capita repetant, ne dicendorum multitudo, & intercessurum dierum sanctæ quadragesimæ totius intervallum oblivionem inducat rerum earum, quæ sunt ad cogitandum solidiores.*

Videtur tamen S. Chrysostomus in homiliâ ad baptizandos, quæ prima in Græco textu inscribitur, tempus istud triginta dierum constituere. [b] *Joseph, inquit, ad Archioenum dicebat, adhuc triduum, & restituet te Pharao ad Archioeniam. Ego autem non dico, post triduum ad officium tyrannici mysterii venietis, sed post triginta dies non vos Pharao, sed Cælorum Dominus ad pristinam Patriam revocabit.* Si quis diligenter textum examinet, non videtur baptizandis triginta dierum tempus constituere. Triginta dies numerat ab eo die, quo Homilia pronuntiata fuit. At quo die pronuntiata fuit, incertum. Itaque nihil certi de tricenario numero, colligi potest. Imo paulò post totum quadragesimæ tempus huic negotio videtur, deputare, cum scribit. [b] *Vellem hoc quidem pri-*

---

a Ἐξομολόγησαι ἐν καιρῷ δεκτῷ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας. δέξαι τὸν ἐπουράνιον θησαυρόν. σχόλασον εἰς τοὺς ἐξορκισμούς. προσκαρτέρει ταῖς κατηχήσεσι, καὶ μνημόνευε τῶν λεχθησομένων &c. τοσούτους κύκλους ἐνιαυτῶν διῆλθες περὶ τὸν κόσμον, μάτην ἀσχολούμενος, καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας οὐ σχολάζεις τῇ προσευχῇ, διὰ τὴν σαυτοῦ ψυχήν.

b Catech. 3. Μὴ γένηταί τινα τῶν ὀνοματογραφηθέντων νῦν ἀκοῦσαι, ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; Catech. 4. πρὸ δὲ τῆς εἰς τὴν πίστιν παραδόσεως, καλῶς ἔχειν μοι δοκεῖ, νῦν ἀνακεφαλαιώσει συντόμῳ χρήσασθαι τῶν ἀναγκαίων δογμάτων, ἵνα μὴ τὸ πλῆθος τῶν λεχθησομένων, καὶ τὸ μεταξὺ διάστημα τῶν ἡμερῶν τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ἁπάσης, λήθην ἐμποιήσῃ τῶν ἐν ὑμῖν ἀσφαλεστέρων τῇ διανοίᾳ.

c Ὁ μὲν Ἰωσὴφ ἔλεγε πρὸς τὸν οἰνοχόον ἐκεῖνον· ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ ἀποκαταστήσει σε Φαραὼ εἰς τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου. ἐγὼ δὲ οὐ λέγω ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ εἰς οἰνοχοΐαν ἀναβήσεσθε τυραννικήν· ἀλλ' ἔτι τριάκοντα ἡμέραι, καὶ ἀποκαταστήσει ὑμᾶς, οὐχὶ Φαραὼ ἀλλ' ὁ τῶν οὐρανῶν βασιλεὺς εἰς τὴν ἄνω πατρίδα.

d Ἐβουλόμην μὲν πρῶτον ἀπαιτεῖν εἰπεῖν, τί δήποτε παραδεξάμενοι ἡμῶν οἱ πατέρες ἅπαντα τὸν ἐνιαυτὸν ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ μυσταγωγεῖσθαι τὰ τέκνα τῆς ἐκκλησίας ἐνομοθέτησαν.

nium in eo declarare sermone, cur majores nostri, totius anni diebus præteritis, hoc in tempore Ecclesiæ filios consecrare voluerint. Sed evidentiùs Homiliâ 10. in Matth. [a] *Tempus quidem confessionis, quæ & lotis baptismate & illotis Prophanisque incumbit. Illis quidem ut post pœnitentia criminum vulnera, pœnitentiâ interveniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur. His vero ut ablutis in baptismo maculis ad Dominicam mensam, mundâ jam conscientiâ, accedant.* Alludit enim ad quadragesimale tempus, quod ęque deputatum, ait, pœnitentiæ baptizandorum, quam baptisatorum, ut etiam testatur S. Augustinus Serm. 74. de diversis c. 1. *Nos autem cum eis, qui baptizandi sunt, ante diem baptismi eorum, qui dies Paschalis appropropiat, jejunamus, post quem per dies quinquaginta relaxamus.* Sed capite sequenti de hoc jejunio pluribus. Quidquid sit de triginta aut quadraginta diebus, testatur Chrysostomus quadragesimale tempus baptizandorum instructioni & expiationi ex majorum traditione consecratum fuisse, quod potissimùm contendimus.

CAPUT DUODECIMUM.

Catechumenos ab eo tempore, quo electi fuerant, & nomina dederant, Catechesibus exorcismis, exsufflationibus, jejuniis, aliisque laboriosis operibus purgatos fuisse, donec baptismum susciperent. Continentia toto illo tempore, & aliquot post baptismum diebus, conjugatis præcepta est, nuptiæ verò non conjugatis prohibitæ.

QUÆ enarrata sunt capitibus præcedentibus, & ultimo potissimùm, facile probant, competentibus eodem tempore, quo in eum gradum electi sunt, Pœnitentiam jejunia, laboriosa opera imposita fuisse & ab iis exacta: exorcismos præterea iis dictos, & manûs impositiones factas. Quaptopter cum quadraginta circiter diebus ante Pascha, cum

a Κὰι γὰρ ἐξομολογήσεως ὁ καιρὸς, ϗ τοῖς ἀμυήτοις ϗ τοῖς βαπτισθεῖσι· τοῖς μὲν, ἵνα μετανοήσαντες τῶν ἱερῶν τύχωσι μυστηρίων; τοῖς δὲ, ἵνα ἀπονιψάμενοι ἐν τῷ βαπτίσματι τὰς κηλῖδας καθαρῷ συνειδότι τῇ τραπέζῃ προσίωσιν.

extraordinariè non baptizabantur, è cæteris Catechumenis in Competentes eligerentur, ab eo tempore & jejuniis, & exorcismis, & aliis laboriosis operibus exerceri cœpisse necessarium est. Hoc disertè docuit Syricius c. 2. Epistol. 1. S. Cyrillus sæpiùs in Catechesibus, autor vitæ sancti Sebastiani, & alii. Hoc omnium antiquissimus adnotat S. Clemens lib. 7. c. 23. a *Jejunet ante baptismum is, qui baptizatur: siquidem Dominus à Joanne primùm baptizatus, & postea in solitudine commoratus quadraginta diebus & totidem noctibus jejunavit: non quidem quod opus esset ei, ullas sordes eluere, aut opus jejunio, aut ullâ purgatione, qui est naturâ mundus & sanctus, sed ut tùm Joanni veritatem attestaretur, tum nobis normam & regulam praberet.* Licet autem Clemens id præcisè non præcipiat, hinc tamen viri Apostolici, eorumque successores occasionem sumpserunt à baptizandis quadraginta dierum, cum tempus tulit, abstinentiam exigendi. S. Cyrillus in Procatechesi. b *Cessato jam hodiernâ die* (initium autem erat quadragesimæ) *ab omni turpi negotio, non proferat lingua tua obscæna verba, non peccet amplius oculus tuus, neque commoditatibus inhiet, & insistat: festinent pedes tui ad Catecheses audiendas, exorcismos studiosè suscipe, etiam si exsufflatus jam sis, & exorcizatus, salubris enim est tibi res ista &c. absque exorcismis anima purgari non poterit, divini enim sunt, & ex divinis scripturis collecti &c.* atque iterum postea. *Unius Matris filii & filiæ facti estis omnes, quicumque hic nomina dedistis. Cum ante horam exorcismorum, ingrediemini, unusquisque vestrum pietatis verba proferat, & si quis vestrum aberit,*

a Πρὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος νηστευσάτω ὁ βαπτιζόμενος· καὶ γὰρ ὁ κύριος πρῶτον βαπτισθεὶς ὑπὸ Ἰωάννου καὶ εἰς τὴν ἔρημον αὐλισθεὶς, μετέπειτα ἐνήστευσε τεσσαράκοντα ἡμέρας, καὶ τεσσαράκοντα νύκτας· ἐβαπτίσθη δὲ, καὶ ἐνήστευσεν οὐκ αὐτὸς ἀπορύψεως, ἢ νηστείας χρείαν ἔχων ἢ καθάρσεως, ὁ τῇ φύσει καθαρὸς καὶ ἅγιος, ἀλλ' ἵνα καὶ Ἰωάννῃ ἀλήθειαν προσμαρτυρήσῃ καὶ ἡμῖν ὑπογραμμὸν παράσχηται.

b Ἄργησον ἀπὸ τῆς σήμερον ἀπὸ παντὸς φαύλου πράγματος· μή σου λαλείτω ἡ γλῶσσα ἄσεμνα ῥήματα, μή σου τὸ βλέμμα ἁμαρτανέτω, μηδὲ ῥεμβέσθω περὶ τὰ ἄχρηστα· οἱ πόδες σου εἰς τὰς κατηχήσεις σπευδέτωσαν. τοὺς ἐπορκισμοὺς δέχου μετὰ σπουδῆς, κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐπορκισθῇς, σωτηρία σοι τὸ πρᾶγμα νόμισον εἶναι &c. ἄνευ ἐπορκισμοῦ οὐ δύναται καθαρθῆναι ψυχή. εἰσὶ δὲ θεῖοι ἐκ θείων γραφῶν συνειλεγμένοι &c. μιᾶς μητρὸς γεγόνατε υἱοὶ καὶ θυγατέρες οἱ ἀπογραφέντες. ὅταν εἰσέλθῃς πρὸ τῆς ὥρας τῶν ἐπορκισμῶν, εἷς ἕκαστος ὑμῶν λαλείτω τὰ πρὸς εὐσέβειαν. κἂν ὁ τις ὑμῶν μὴ παρῇ, ἐπιζήτησον.

perquirite &c. De exorcismis factis competentibus lege insuper S. Augustinum Serm. 8. de diversis c. 6.

S. Ambrosius Sermone 27. *Istud autem praeceptum ejus est primum, ut his quadraginta diebus, jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus. Jejuniis enim lascivia corporis castigatur; orationibus devota saginatur anima: vigiliis Diaboli insidiae depelluntur. Deinde cum istis mandatorum observationibus fuerit hoc tempus impletum, tum purgata & fatigata tot observationibus anima, ad bap-baptismum veniens, Spiritus Sancti inundatione reficitur, & quidquid in eâ diversarum aegritudinum ardor exsiccaverat, coelestis gratiae rore perfunditur.* Postea multis etiam eleganter docet fideles eadem jejunia celebrare, ut baptizandis gratiam Dei promereantur.

Petrus Chrysologus Sermone 60. qui est quintus in expositionem symboli ad baptizandos. *Quia navigia corporum nostrorum quadragesimae sunt curata jejunio, necesse est, ut placitum fidei, symbolum coelestis commercii jam dicamus &c. accipite ergo fidem, expectate rem &c.*

S. Augustinus Epistolâ 118. *Si autem quaeris, cur etiam lavandi mos ortus sit,* (in die Coenae Domini) *nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora, per observationem quadragesimae sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliquâ die lavarentur.* Et Sermone 13. ad Neophytos, qui est in novâ appendice ultimus, in haec verba: Fuerunt mihi lachrymae meae panis die ac nocte. *Per omnem enim,* inquit, *quadragesimam vacaverunt orationi & jejuniis, in sacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quaerentes, sed quia fuerunt tristes, dicetur illis &c.*

S. Leo cap. 6. Epist. 4. multis demonstrat, temporibus Paschatis & Pentecostes, nullo urgente mortis periculo, baptismum esse celebrandum, tandemque sic concludit. *His itaque fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submotâ, evidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificadi & frequentibus sunt praedicationibus imbuendi duo tantùm tempora, idest Pascha & Pentecosten, esse servanda &c.* Est igitur traditio Apostolica, Catechumenos, postquàm electi sunt in competentes, exorcismis, jejuniis, & Catechesibus sanctificandos, idque ordinario jure in Paschâ & Pentecoste esse faciendum, hoc est

toto

toto quadragesimali tempore, quod sanctificandis competentibus, ut & fidelibus destinatum est.

Multa alia testimonia occurrunt idem confirmantia, licet nec diem nec tempus adnotent, Tertullianus lib. de baptismo c. 20. *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum &c.* S. Augustinus in Sermone 83. de diversis, qui habitus est ad Neophytos in die Paschæ, *Nisi molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem, exorcismi Sacramento molebamini. Accessit baptismus, & aquâ quasi conspersi estis; ut ad formam panis veniretis.* Lib. de fide & operibus aliquid speciale addit, quod est notatione dignum: de Catechumenis ad baptismi susceptionem destinatis verba facit: *Quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentiâ, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis illis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos.*

Tria conjungit, quæ contendimus, nominum inscriptionem, abstinentiam, & exorcismos. Quo verò tempore? cum dicuntur competentes, & baptismi gratiam percepturi sunt. Addit autem quid speciale & notandum, competentes ad gratiam baptismi non admissum iri, nisi continentiam à legitimis uxoribus pollicerentur. Urget hanc Ecclesiæ consuetudinem S. Augustinus adversùs quosdam, qui religiosæ vitæ præcepta contendebant, Catechumenis, post susceptum baptismum, tradi tantùm debere. Unde manifestum est, continentiam illam ex Ecclesiæ, saltem Latinæ, quasi universali consuetudine eo brevi tempore fuisse imperatam. Utrumque S. Augustinus prohibet competentibus scilicet & jam Neophytis, qui cum Ethnici essent, gravibus peccatis se maculaverant. Serm. 116. de tempore. *Hoc ante omnia quicumque se has culpas habere vident, observent, ut castitatem & ante baptismum custodiant, & post baptismum non parvo tempore se à voluptate contineant.* Meminit etiam istius consuetudinis S. Hieronymus, aut saltem æquivalentis, cum baptismi candidatis prohibet in Epistolâ 83. ad Oceanum, ne matrimonia contrahant. *Audiant Catechumeni, qui fidei sunt candidati, ne uxores*

ducant ante baptisma ne honesta jungant matrimonia. Idem prohibet Neophytis Concil. Carthag. 4. cap. 86. *Neophyti aliquandiù à lautioribus epulis & spectaculis, vel conjugibus abstineant.* Sane multò magis dum baptismi sunt candidati. Gregorius Nazianzenus hoc non jubet, sed tantum consulit orat. 40.[a] *Quandiu assignatum orationi tempus omni occupatione præstabilius fluit, à re uxoriâ abstineas, idque ex communi pacto & consensu : non enim legem facimus, sed consilium damus.* Denique erat adeo usitatum in Ecclesiâ pœnitentiam operaque laboriosa baptizandis imponere, ut iis, quibus Catechumenatûs, sive tyrocinii obeundi gratia fiebat, Pœnitentiæ tamen indulgentia non concederetur, ut ex sanctoGregorio constat Epist. 24. lib. 7. Indict. 1. qui vult Judæis ad conversionem paratis, si tempus Paschale sustinere non possunt, indictâ quadraginta dierum *Pœnitentiâ & abstinentiâ*; primo postea occurente dominico, aut celebri festivitate baptismum conferri. Istius ceremoniæ nonnulla exempla, præter istud suprà relata sunt, sed præsertim hujus libri cap. 1. quæ lectori harum rerum curioso satis esse possunt.

Specialem hypothesim ponit Canon Laodicenus 45. [b] *Quod non oportet post duas Hebdomades quadragesimæ ad illuminationem admitti.* εἰς τὸ φώτισμα, ad baptismum. Casus est. Initio quadragesimæ Catechumenorum fit delectus. Nonnulli, multis post illud initium diebus, competentibus adscribi petunt. Quid fieri oportet? respondent Patres, admitti posse, & aliis adnumerari, qui intra duas primas quadragesimæ septimanas hoc postulant; qui verò tardiùs, rejiculos esse, & in Paschate, ut pote non satis probatos, non esse baptizandos. Zonaras, quem sequitur Balsamon in eandem sententiam commentatur.[c] *Quicumque se parant, ut magno Sabbato illuminentur to-*

a Κἂν δὲς τῷ λόγῳ τὴν ἁγνείαν κατὰ καιρὸν, ἕως εὐχῆς σχολάζειν συνθεμένῳ καὶ ἀχολίας τιμιωτέρα, καὶ ταύτην ἐκ κοινῆς ὁμολογίας καὶ συναινέσεως. οὐ γὰρ νομοθετοῦμεν, ἀλλὰ παραινοῦμεν.

b Ὅτι οὐ δεῖ μετὰ δύο ἑβδομάδας τῆς τεσσαρακοστῆς δέχεσθαι εἰς τὸ φώτισμα.

c Τοὺς οὖν ἑτοιμαζομένους φωτισθῆναι ἐν τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ δεῖ τὴν πᾶσαν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν τε καὶ κατηχεῖσθαι δι' ἀσκήσεως, καὶ οὕτως προσιέναι τῷ φωτίσματι.

tum quadragesima tempus, jejuniis transigere, exercitationibusque purgatos, ut baptizentur, accedere oportet. Verùm admissus ille post secundam septimanam, quando baptizabitur? Respondet Zonaras, exactâ probatione quadragenariâ. Sane ex Canonum præscripto, erit illi expectanda Pentecoste, quo solum die post Pascha extra mortis periculum & insignem aliquam occasionem baptizare licebat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Tempus diesve quæruntur, quibus Symbolum & Oratio Dominica Catechumenis tradebantur, & variæ Ecclesiarum de Symboli Catechumenis traditione consuetudines referuntur. Symbolum memoriæ erat commendandum, non chartæ inscribendum.

DUO supersunt, Symbolum, & Oratio Dominica, quæ competentibus explicabantur, Catechumenis verò celabantur. Orationem Dominicam post Symbolum tradi competentibus omnes antiqui consentiunt, ut in fine capi is decimi multis probatum est, sed quo tempore Symbolum ipsis tradebatur, propter variantia autorum testimonia, difficile est indicare. Id definire hoc capite tentabimus. Symbolum baptizandis tradi, atque eos ante baptismum illud solemniter recitare solitos, ut Orationem Dominicam statim à baptismo, jam cap. 10. demonstratum est, notiusque est, quàm ut longâ probatione indigeat, cum id constet ex tot sermonibus & libris, quos in Symbolum scripsit S. Augustinus, ex S. Chrysostomi duabus homiliis, plurimis S. Chrysologi in idem Symbolum, ex Rufini præfatione in Symbolum, ipsius fidei professione ad Anastasium Pontificem, & invectivæ primæ initio. Ideo cum desiit adultis baptismus conferri, diligenter prov derunt sancti Patres, ut Symbolum infantibus jam adultis traderetur, & explicaretur, ut videre est in Concilio Moguntino c. 1. & 2. Aquisgranensi c. 5. Theo-

dulpho Aurelian. c. 22. Forojulienſi Concilio ſub Leone III. & aliis pluribus; quod etiam hactenùs in Eccleſiâ ſolicitè obſervatur. Ne diutiùs lectorem his legendis ſuſpendamus, tota, quæ ſequitur, diſſertatio id demonſtrabit.

Orientales Symbolum competentibus explicaſſe, initio quadrageſimæ ex facto S. Cyrilli Hieroſolymitani evidenter colligitur. Illud enim explicat Catecheſi 4. quæ initio quadrageſimæ habita, ut ex ipſius principio, & ex ordine Catecheſum conſtat. Deinde eo explicato ſcribit, [a] *hoc Symbolum ſemper in mente tuâ impreſſum habeto, cujus hoc quidem tempore capita tibi breviter enumerata ſunt. Si verò Dominus conceſſerit ex ſcripturarum demonſtratione pro viribus explicabuntur.* In fine autem ultimæ Catecheſeos ordinem doctrinæ tradendæ competentibus ita explicat, ut Symboli explicationem univerſæ quadrageſimæ, uſque ad ultimam ſeptimanam tribuat. [b] *De traditâ vobis, ad profitendum, ſanctâ & Apoſtolicâ fide, quantum Catecheſis capere potuit, per Dei gratiam diximus hiſce quadrageſimæ diebus &c. Inſtante autem deinceps ſancto die Paſchatis, & veſtrâ per lavacrum regeneratione, docebimus rursùs, Deo volente, ea quæ conveniunt.* Quæ verò doctrina competentibus, inſtante baptiſmate convenit? *Quantâ cum reverentiâ & ordine eò ingredi oporteat vocatos, cujuſque cauſâ perficitur unumquodque ſanctorum baptiſmi myſteriorum, & quantâ cum devotione à baptiſmate ad ſanctum Dei accedendum eſt altare &c.* Poſtea explicat quæ doctrina poſt baptiſmum illis competat.

Sancto Cyrillo conſentit S. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium adverſus Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, *conſuetudo eſt apud nos ejuſmodi, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quodraginta dies publicè tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem*

a Ταύτην ἔχε τὴν σφραγῖδα ἐν τῇ διανοίᾳ σου πάντοτε· ἥτις νῦν μὲν κατ' ἀνακεφαλαίωσιν ἀκροθιγῶς ὡμίληται. εἰ δὲ παράσχοι ὁ Κύριος, μετὰ τῆς τῶν γραφῶν ἀποδείξεως κατὰ δύναμιν ῥηθήσεται.

b Περὶ μὲν οὖν τῆς παραδοθείσης ὑμῖν εἰς ἐπαγγελίαν ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς πίστεως, ὅσας ἐνεχώρει κατηχήσεις, διὰ τῆς τοῦ Κυρίου χάριτος εἰρήκαμεν ἐν ταῖς διελθούσαις ταύταις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις. &c. ἐνστάσης δὲ λοιπὸν τῆς ἁγίας τοῦ Πάσχα ἡμέρας, καὶ τῆς ὑμετέρας ἐν Χριστῷ διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ἀγάπης φωτιζομένης, διδαχθήσεσθε πάλιν τὰ πρέποντα Θεοῦ θέλοντος. &c. μεθ' ὅσης εὐσεβείας καὶ τάξεως εἰσελθεῖν χρὴ καλουμένους. τίνος δὲ ἕνεκεν ἐπιτελεῖται ἕκαστον τῶν ἁγίων τοῦ βαπτίσματος μυστηρίων· μεθ' ὅσης δὲ εὐλαβείας καὶ τάξεως χρὴ ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος πρὸς τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ προσελεύσεσθαι θυσιαστήριον. &c.

&c. c. 11. citatus est locus. Licet Chrysostomus duas de symbolo Homilias habuerit, nihil tamen de tempore, quo tradendum est, adnotat.

In Ecclesiâ Africanâ videtur symbolum primò traditum & explicatum dominicâ quintâ quadragesimæ, quam vocare solemus Dominicam Passionis, ut colligere est ex comparatione duorum ex S. Augustino testimoniorum. Sermonem enim 119. de tempore, in quo sigillatim symbolum explicat, habuit illo die, ut ex his in fine verbis videre est: *Remissio peccatorum non est in solâ ablutione sacri baptismatis, sed etiam in Oratione Dominicâ, & quotidianâ, quam post octo dies accepturi estis.* Verum ex Homiliâ 42. lib. 50. Homiliarum, manifestum est, orationem illam dari octo dies ante baptismum, atque eodem die symbolum antea traditum, publicè à competentibus recitari, *Symbolum reddidistis, quo breviter comprehensa continetur fides.* Ideo ait nunc æquum esse, ut ipsi orare doceantur, quod antea fieri non poterat, juxta illud Apostoli, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? *Quia ergo*, inquir, *quomodo credatur in Deum, & accepistis, & tenuistis, & credidistis, accipite hodie, quomodo invocetur Deus.* & paulò post. *Tenete ergo & hanc orationem, quam reddituri estis ad octo dies. Quicumque autem vestrum non bene Symbolum reddiderunt habent spatium, teneant; quia die Sabbati audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis.* Similia leguntur apud eum Sermone 135. de tempore, quæ suprà cap. 10. retulimus. Cœpit igitur symbolum ipsis tradi, & explicari, quindecim ante Pascha diebus. Memoriter illud reddiderunt in Dominicâ Palmarum, aut sequenti die, quo illis tradita est Oratio Dominica, quam statim â baptismo publicè reddiderunt. Ante enim baptismum ex eorum disciplinâ dicere non poterant, *Pater noster &c.* unde S. Augustinus Sermone 116. de tempore ad competentes in Dominicâ Palmarum. *Si enim ille, qui baptizandus est, iracundiam vel odium in corde reservat, nescio si in eo gratia divina proficiat, dicturus est enim, dimitte nobis debita nostra &c.* Quamdiù enim competens erat, id pronuntiandi jus non habebat. Ut multis capite jam citato demonstratum est.

Tardè Symbolum tradi solitum colligitur insuper ex variis S. Augustini locis, in libris

de Symbolo ad Catechumenos, & ex initio libri 2. Cum enim dixisset, *Quid est quod hac nocte circa vos actum est, quod præteritis noctibus actum non est? ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliatâ, quæ malè fuerat ante exaltata, in humilitate pedum, cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus superbus, dum super vos invocatus est humilis altissimus Christus &c*, quæ pluribus exaggerat, subjicit, *Purgata itaque familia redemptoris, posteaquam cantavit canticum salutis, accepit remedium, contra antiqui serpentis venenum*. Symbolum igitur traditur jam sæpius purgatis, & propinquâ ad baptismum suscipiendum dispositione præparatis. Ita initio lib. 3. *Postquam homo renuntiando Diabolo excludit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem, credat in Deum Patrem omnipotentem &c*. Idem etiam ex initio lib. 4. colligitur.

In Ecclesiâ Mediolanensi eodem die, aut, quod probabilius est, ipso die Palmarum Symbolum competentibus tradebatur. Sanctus enim Ambrosius Sermonem de Jejunio Heliæ habuit finiente quadragesimâ. Sic enim incipit, *Propitiâ divinitate, ecce jam penè transegimus quadragesima indicta jejunia, & præcepta Christi Domini ad silentia devotione complevimus*. Toto autem illo Sermone eloquentiâ sibi familiari demonstrat, tempus jam esse opportunum Symbolum Catechumenis tradendi Moysis & Heliæ exemplo, qui post jejunium quadragesimale gratiam Dei meruerunt, & Heliæ potissimùm, qui cœlum reseravit. Hoc posteriore exemplo multis eloquenter descripto colligit. *Hoc ergo observantium ista jejunia est meritum, ut orationibus eorum, aut innovetur mundus, aut fratres denuò renascantur. Reserandum igitur competentibus nostris est Cælum, quoniam adhuc clausum est apud illos. Clausum est enim Cælum, quoniam mysterium non pervident Trinitatis &c. Quemadmodum ergo clausi Cœli aperiendi sunt, quærere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non posse, nisi claves Petri Apostoli sumpserimus, quas Domino largiente suscepit &c. Videamus quemadmodum conslet, quemadmodum solida fit. Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est &c. Igitur hæc clavis ostendenda est fratribus nostris, ut & ipsi tanquam discipuli Petri, inferna sibi reserare, Cælos aperire consuescant*. Certum est igitur in Ec-

clesiâ Mediolanensi, finiente quadragesimâ, Symbolum Catechumenis traditum.

Quærit nunc Lector, quo die? notat hoc S. Ambrosius Epist. 33. ubi describit tumultum ab Arianis Catholicorum Basilicas occupare nitentibus concitatum. *Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Ecclesia.* Sed ex sequentibus evidentissime constat dies hanc dominicam sequentes ultimam fuisse quadragesimæ septimanam. *Condemnationes illicò gravissimæ decernuntur. Primò in corpus omne Mercatorum. Itaque sanctis diebus Hebdomadis ultimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula, stridunt catenæ, imponuntur collo innocentium &c.* Tumultus ille tandem jussu Imperatoris sopitur ipso die Passionis Dominicæ, & Catholicorum Basilicam deserunt Prætoriani Milites, ut in fine refertur Epistolæ. Eadem videtur Ecclesiæ Ravennatensis fuisse consuetudo: scribit enim S. Chrysologus Serm. 60. *Et quia navigia corporum nostrorum quadragesimæ curata sunt jejunio, necesse est, ut placitum fidei, Symbolum cœlestis commercii jam dicamus &c. Accipite ergo fidem &c.* & Sermone 56. qui est primus de Symbolo, *Audite fidem, orationem discite. Sed quia impediente tempore, nec nos vobis possumus aperire mysterium, nec vos nobis potestis solemniter reddere quæ traduntur. Agite, ut & nunc Symboli simpliciter verba discatis; & Paschali tempore, quo plenius hæc traduntur, Sacramenti ipsius interiora possitis agnoscere.* Hæc concionabatur Chrysologus ipso palmarum die, ut apparet ex primis verbis. Tunc enim apud omnes Latinos tradebatur oratio dominica. Idem & Sermone 42. in appendice de diversis apud S. Augustinum de traditione Symboli, qui inscribitur dictus in dominicâ Palmarum, sed omnem dubitationis aleam præscindit Concilium Agathense c. 13. *Symbolum etiam placuit unâ die, idest, ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publicè in Ecclesiâ competentibus prædicari.* Sanctus quoque Isidorus lib. 1. de officiis c. 27. *Hoc autem die* (Palmarum) *Symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant.* Non modo eamdē sententiam, sed etiam eadem verba in libros suos intulerunt Alcuinus, ubi officium Dominicæ Palmarum explicat, & Rabanus Maurus.

lib. 2. de institut. Clericorum. c. 35. addit Alcuinus Dominicam palmarum dici Pascha petitum sive competentium, eo quod hodie Competentibus Symbolum traderetur. Nihilominus Concilii Bracarensis. 3. Patres. c. 1. statuunt, ut viginti diebus ante Pascha, Symbolum discendum tradatur Catechumenis, idque aiunt se statuere, secundũ antiquos canones *Docere debent* (Episcopi) *& hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui Canones jubent, ut ante dies viginti Baptismi, ad purgationem exorcismi concurrant Catechumeni. In quibus viginti diebus omnes Catechumeni, Symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur.* & iterum jubent. c. 9. *Mediante quadragesimâ ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.* Aliquid autem hic speciale & ab antiquiori consuetudine diversum notari debet.

Non enim tantum mediâ quadragesimâ statuitur principium traditionis Symboli, sed etiam exorcismorum & totius purgationis Catechumenorum ad baptismum destinatorum, cum tamen cap. præcedente viderimus ubique, ab ipso quadragesimæ initio cœpisse. Sed hic mos eo tempore, hoc est, anno 572. quo celebratum est Concilium, jam à pluribus annis in Hispaniis inoleverat: mos tamen antiquus etiam tum in Galliâ diligenter observabatur, ut ex Concilio Matisconensi 2. Can. 3. numerosissimo, in quo sexaginta duo Galliæ Episcopi sedebant, evidenter colligitur. Severè enim Patres eos increpant, qui extra necessitatis urgentis periculum, tempus Paschale baptizandis Catechumenis statutum præveniunt, & addunt. *Ideoque præsentibus admonitionibus à suis erroribus, vel ignorantiâ revocati omnes omninò à die quadragesimâ cum infantibus suis ad Ecclesiam observare præcipimus, ut impositionem manuum certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti, legitimi diei festivitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur.*

His non parum favet antiqua & notatu dignissima Ecclesiæ consuetudo, quæ competentes jubebat symbolum memoriter discere, iisque, ne aliquo modo illud describerent, severè prohibebat. Hinc enim necessario consequitur, & frequentissimè illis symbolum repetitum fuisse, & sæpiùs eos repetiisse, & consequenter notabile aliquod temporis intervallum à traditione Symboli ad postremam redditionem intercessisse.

Con-

Consuetudinem autem istam evidentissime docet Sanctus Augustinus Sermone 75. de diversis. *Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullomodo debetis scribere, sed audiendo perdiscere: nec cum didiceritis, scribere, sed memoriâ semper tenere atque recolere. Quidquid enim in Symbolo audituri estis, in divinis sanctarum scripturarum Litteris continetur. Sed quod ita collectum, & in formam quamdam redactum non licet scribi, Commemoratio fit promissionis Dei &c. hoc est testamentum, quod ordinabo eis post dies illos, dicit Dominus, dando legem meam in mente eorum & in corde eorum scribam eam. Hujus significandæ causa audiendo Symbolum discitur, nec in tabulis, vel in aliquâ materiâ, sed in corde discitur.* Non absimilia docet lib. 1. de Symbolo c. 1. & S. Hieronymus Epist. 61. & S. Ambrosius lib. 1. de Cain. & Abel. c. 9. *Cave, ne incautè Symboli, vel dominicæ orationis divulges misteria.* Et Serm. 2. in Psal. 118. super hæc verba, In corde meo abscondi eloquia tua, ubi pæclarâ Metaphorâ hoc illustrat, dicens non esse divulgandos Babiloniis thesauros divinos. *Cave ne divitias tuas perfidis prodas, & si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domûs tuæ, non referes thesauros regios, quos Babilonii scire non debent &c.* sed Symbolum memoriæ, non Chartæ inscribendum esse, non minùs evidentèr quàm sanctus Augustinus, docet Petrus Chrysologus Sermone 58. istiusque Consuetudinis secundam rationem reddit. *Accepturi ergo Symbolum, hoc est, pactum vitæ, salutis placitum, & inter vos & Deum fidei insolubile vinculum, pectora parate, non Chartam; sensum acuite non calamum, & audita non attramento, sed spiritu ministrante, describite, quia committi non potest caducis & corruptibilibus instrumentis æternum & cœleste secretum, sed in ipsâ areâ animæ, in ipsâ Bibliothecâ interni spiritus est locandum, ne prophanus arbiter, ne improbus quod dilaceret, discussor inveniat, & fiat ad contemnentis & ignorantis ruinam, quod confitenti & credenti donatum est ad salutem, sed dicenti tibi Prophetæ, dilata os tuum, & implebo illud, tu respondere possis, in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi &c.* Idem tertiò admonet in fine præcedentis & subsequentium quatuor sermonum, eandemque admonitionis causam auditoribus reddit. Quibus consentit S. Cyrillus in fine Catechesis quintæ, cum enim dixisset omnes legere non posse

ſcripturas, vel ob inſcitiam, vel ob varias occupationes, ideo ait univerſum fidei dogma paucis verſibus comprehenſum, quod, inquit, [a] *meminiſſe vos volo, & apud vos ipſos ſtudioſe recolere, non in Chartis inſcribendo, ſed in corde memoriam inſculpendo, & in meditatione cuſtodiendo, nec ubi Catechumenus ea, quæ vobis tradita ſunt, exaudiat.* Eâ ratione ſcribit Sozomenus ſeſe perſuaſum fuiſſe à viris piis & harum rerum peritis, ne hiſtoriæ ſuæ Symbolum Nicænum inſereret. Lib. 1. c. 20.[b] *Veriſimile enim, inquit, eſt nonnullos, qui minime ſunt initiati myſteriis hunc librum perlecturos.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Varietas capite præcedente adnotata conciliatur. Oratio Dominica ſingulis diebus ad altare recitatur, non autem Symbolum. Tempus purgandis competentibus aſſignatum. Quando tam apud Græcos, quam Latinos contrahi cœpit. Contractionis varietates recenſentur. Scrutiniorum habendorum ordo ex Rituali ante annos nongentos ſcripto refertur, & multa ſingularia ex eo adnotantur.

VARIETAS conſuetudinis Eccleſiaſticæ in traditione Symboli cap. præcedente adnotata duobus modis nullo negotio conciliari poteſt. Vel enim traditio illa intelligitur, ut diſcatur Symbolum à Catechumenis, vel tantùm ut iis explicetur: hoc eſt, ineunte quadrageſimâ, Symboli explicatio inchoabitur; diſcendum verò tradebatur; vel in Dominicâ paſſionis, ut in Africâ, vel in Dominicâ Palmarum, ut Romæ, aliiſque in locis. Vel dicen-

a Ὅπερ καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς λέξεως μνημονεῦσαι ὑμᾶς βούλομαι, καὶ παρ' ἑαυτοῖς μετὰ πάσης σπουδῆς ἀπαγγεῖλαι, οὐκ εἰς χάρτας ἀπογραφομένους, ἀλλ' ἐν καρδίᾳ τὴν μνήμην στηλογραφοῦντας φυλαττομένους ἐν τῷ μελετᾶν· μή που τις κατηχούμενος ἐπακούσῃ τῶν παραδεδομένων.

b Οὐ γὰρ ἀπεικὸς καὶ τῶν ἀμυήτων τινὰς τῇδε τῇ βίβλῳ ἐντυχεῖν.

dum solemnem traditionem fuisse, in Dominicâ Palmarum; solemnem verò redditionem in nocte Sabbati sancti, instante sanctæ illuminationis horâ. Hanc re ditionem omnes omnino Christiani audiebant: imò quidquid côpetentes de fide & Symbolo totâ quadragesimâ ediscebant in hunc unicum finem vergebat, ut Symbolum cum intellectu eâ horâ profiterentur. Nihil autem impedit, quin præter solemnem illam traditionem & redditionem, privatæ fuerint traditiones & redditiones: quin imò planè necessarium fuit, cum, ut in fine capitis præcedentis demonstratum est, prohibitum fuerit Symbolum scribere, sed omnes illud memoriter sine ullâ scriptione, & discere & reddere tenerentur, quâ ratione tot Mulieres & Rustici Symbolum, tam brevi spatio reddere potuissent, nisi longè antea privatim sæpissimè inculcatum fuisset. Hoc S. Augustinus docuit initio capitis præcedentis in homiliâ 42. ex quinquaginta. Et iterum idem docet in fine ejusdem homiliæ ubi hâc in causâ peculiarem orationis Dominicæ à Symbolo differentiam refert. *Oratio vobis quotidie dicenda est, cum baptizati fueritis. In Ecclesiâ enim ad altare Dei quotidie dicitur ista Oratio Dominica, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minùs illam teneatis diligenter. Quia etsi quis vestrum non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie tenebit. Ideo die Sabbati quando vigilaturi sumus, in Dei misericordiâ reddituri estis, non orationem, sed Symbolum. Modò enim nisi teneatis Symbolum in Ecclesiâ, in Populo Symbolum quotidie non auditis. Cum autem tenueritis, ut non obliviscamini, quotidiè dicite.* Similiter & de Symboli explicatione iterum dici potest. Symbolum formaliter & expressè sive textualiter explicari cœpisse in dominicâ Palmarum, aut Passionis, aut in mediâ quadragesimâ, ut apud hispanos; aut etiam in ipsius initio, ut apud Orientales nonnullos. Res verò Symbolo potestate comprehensæ apud omnes Christianos ineunte quadragesimâ. Denique tota illa varietas illius generis est, de quo Sanctus Augustinus scribit Epist. 118. *Faciat quisque quod in eâ Ecclesiâ, in quam venit, invenerit.* Antiquitatis tamen Ecclesiasticæ studioso non videtur varietatis illius cognitio supervacanea; & injucunda. Id quod de privatâ Symboli repetitione, & inculcatione dictum est, Canone 46. Con-

cilii Laodiceni qui iisdem verbis repetitur in Trullo c. 78. plurimum illustratur : sic edicit, *Oportet eos , qui illuminantur , φωτιζομένους competentes fidem discere , & quintâ septimanæ feriâ Episcopo vel Presbyteris renuntiare*. Jubent igitur Patres semel singulis septimanis à competentibus exigi, quæ totâ septimanâ didicerint, & consequenter toties Symbolum repetere, ut in vigiliâ Paschatis illud possint in conspectu totius Ecclesiæ firmâ memoriâ recitare. Hoc sic intelligunt, & interpretantur Zonaras, & Balsamon , verbaque Concilii id videntur manifestè exprimere. Dionysius tamen exiguus , ad solemnem professionem hoc retulit , canonem illum interpretans , ut & Isidorus Mercator. Aristenus in suâ brevi canonum explicatione eamdem prope sententiam sequutus est: [a] *Oportet accedentem ad divinum baptisma, sicut habet 46. Canon Synodi Laodicenæ fidem ediscere , & feriâ 5. septimanæ , in quâ baptizandus est , eam Episcopo vel Presbyteris renuntiare*. Sed præter quam quod sic ex genio suo commentatur , inauditum est solemnem fidei professionem competentes feriâ 5. in Cœnâ Domini reddidisse ; aut feriâ quintâ antequam baptizarentur.

Non est nobis leviter prætereundum quod ex Concilio Bracarensi capite præcedente diximus ; diebus viginti ante Pascha non modo Symbolum dari , sed etiam exorcismos , cæterasque Catechumenorum purgationes , in Ecclesiâ fieri tum cœpisse. Eodem enim tempore in Ecclesiâ Romanâ, quadraginta dierum tempus antiquitus purgandis competentibus dicatum , in multò pauciores contractum erat, quæ consuetudo postea in universum non modo Occidentem, sed Orientem sese diffudit. Quod ad Occidentem attinet, id ex antiquis potissimùm Ritualibus colligitur. Antiquus ordo Romanus docet feriâ 2. post Dominicam 3. quadragesimæ primum scrutinium populo annuntiari faciendum feriâ 4. sequente horâ tertiâ, hoc est, viginti quinque diebus ante Pascha , tum nomina infantium & susceptorum scribebantur , & postea exorcizabantur , manus ip-

a Δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θείῳ βαπτίσματι, καθὼς καὶ ὁ μϛʹ κανὼν τῆς ἐν Λαοδικείᾳ συνόδου διαλαμβάνεται τὴν πίστιν ἐκμανθάνειν, καὶ τῇ εʹ τῆς ἑβδομάδος καθ' ἣν μέλλει φωτισθῆναι, τῷ ἐπισκόπῳ ἢ πρεσβυτέροις ἀπαγγέλλειν.

sis imponebantur, reliquaque pietatis officia illis exhibebantur. Secundum scrutinium, quod eodem modo, quo primum celebrabatur inter feriam quartam tertiæ hebdomadæ & feriam quartam quartæ, die pro Episcopi aut Presbyteri commoditate assignatâ. Tertium scrutinium, quod magnum est, fit feriâ quartâ quartæ hebdomadæ, hoc est octodecim ante Pascha diebus. De hoc scrutinio ita scribit ordo Romanus. *Memoratâ quartâ feriâ apud cultores Ecclesiæ in apertione aurium dicitur. Eadem die agitur scrutinium tertium, quod maximum est inter septem scrutinia. Eâdem die tanguntur aures & nares Catechumenorum digitis Presbyterorum. Eadem die instruuntur de autoribus & initiis quatuor Evangeliorum. Eàdem die percipiunt Orationem Dominicam & Symbolum ad reddendum in Sabbato Paschæ. Item benedictio Cineris ad eos, qui scrutinia sunt habituri, & baptizari desiderant.* Quo ordine quibusve ceremoniis singula ista fiant, legere potes in eodem ordine, ubi sigillatim unumquodq; explicatur. Hoc tantum nunc te notare velim Symbolum octodecim diebus ante Pascha explicatum fuisse, & electis, ut illud discerent traditum. Præterea eo tempore Orationem Dominicam simul cum symbolo & traditam & redditam, moremque illum, non esse recitandam nisi post baptismum, in Ecclesiâ tùm desuevisse: Eadem verba in antiquo Rituali annorum circiter septingentorum & legi & exscripsi: eadem quoque verba ante octingentos annos adnotavit Amalarius [a] Trevirensis Episcopus, & capiti 8. lib. 1. de officiis inseruit.

Sed ante hos omnes antiquus ille manuscriptus Petavianus eadem habet cum quâdam differentiâ, quam breviter enarrabimus, ut videas, lector, quemadmodum res ista ante S. Gregorium agebatur in Ecclesiâ Romanâ. Capite igitur 39. Rubrica est. *Denuntiatio pro scrutinio, quod tertiâ hebdomadâ in quadragesimâ, secundâ feriâ initiatur.* Sequitur, *scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitùs instruantur, imminere cognoscite. Ideoque solicita devotione succedente, sequente illa feria circa horam diei sextam convenire dignemini, ut cæleste myst-*

[a] Probat Sirmondus autorem libr. de Offic. Amalarium Trevir. Episcopum non esse, sed alterum ei cognominem & supparem, Diaconum Metensem & Præcentorem. Vid. ejus Epist. ad Constantinum Cajetanum, & alibi.

terium, quo Diabolus cum suâ pompâ destruitur, & janua Regni cœlestis aperitur, inculpabili, Deo juvante, ministerio peragere valeamus. Iisdem prope verbis ut in ordine Romano edito sequitur, *ut autem venerint ad Ecclesiam, scribuntur nomina infantium, ab Acolytho, & vocantur in Ecclesiâ per nomen sicut scripti sunt, & statuuntur masculi in dexteram partem, fœmina in sinistram, & dat orationem Presbyter super eos.*

Oratio super electos ad Catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus Pater D. N. Jesu Christi respicere dignare super hos famulos tuos, ut in edito. Sequitur.

Benedictio salis ad dandum Catechumeno.

Exorcizo te Creatura salis &c. ut in edito erat. Post hanc Orationē omissum erat. *Post hanc Orationem pones sal in ore Infantis & dicis, Accipe N. sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam*, quæ in capite paginæ adjecta sunt, aliâ quidem manu, sed simili attramento. Sequitur.

Benedictio post datum salem.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis te supplices &c. ut in edito. Sequitur.

Item exorcismi super Electos, quos Acolythi impositâ manu super eos, dicere debent.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob &c. ut in edito. Post hæc verba, *nunquam audeas violare*, sequitur *item super fœminas. Deus Cœli, Deus Terræ, Deus Angelorum &c.* ut in edito. Post hæc verba, *Ergo maledicte, ut supra, item super Masculos. Audi Maledicte Satanas &c* ut in edito. Concludit istum exorcismum, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.* Quod ab edito abest. Sequitur.

Item super fœminas, Deus Abraham, Deus Isaac &c. ut in edito. Post hæc verba, *ergo maledicte*, sequitur *Item super fœminas. Exorcizo te immunde spiritus per Patrem &c.* ut in edito.

Sequitur Oratio quam Sacerdos dicere debet.

Æternam ac justissimam pietatem &c. ut in edito, eâ finita sequitur.

Incipit expositio Evangeliorum in aurium apertione ad electos.

Primitùs enim procedunt de sacrario quatuor Diaconi, cum quatuor Evangeliis, præcedentibus duobus candelabris, cum Thuribulis, & ponuntur super quatuor angulos altaris, & tractat Presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.

Aperturi vobis, filii charissimi, quatuor Evangelia, id est, gesta divina &c. ut in edito. Et post illa verba, *hæc sunt, Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes.* Sequitur, *& adnuntiat Diaconus dicens, state cum silentio, audientes intentè. Et incipiens legere initium Evangelii secundum Matthaum, usque: Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Postquam legerit, tractat Presbyter his verbis: Filii charissimi, ne diutiùs ergo vos teneamus &c.* ut in edito. Post hæc verba, *Matthai persona*, sequitur.

Item adnuntiat Diaconus ut supra, state cum silentio, audientes intentè. Et legit initium Evangelii secundum Marcum, usque: Ego baptizo vos aquâ. Ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto: Et sequitur Presbyter his verbis.

Marcus Evangelista Leonis gerens figuram &c. ut in edito, Post ista verba *: quis excitabit eum?* Sequitur, *Item adnuntiat Diaconus, ut supra, & legit initium Evangelii secundum Lucam, usque: Parare Domino plebem perfectam, & prosequitur Presbyter his verbis.*

Lucas Evangelista vituli speciem gestat &c. ut in edito. Post illa verba, *plenissimè cõtineant*, sequitur.

Item adnuntiatur à Diacono ut supra. Et legit initium Evangelii secundum Joannem, usque, plenum gratiæ & veritatis. Iterum prosequitur Presbyter his verbis.

Joannes habet similitudinem aquilæ &c. ut in edito.

Post hæc verba, *qui vivit & regnat*, sequitur.

Incipit præfatio symboli ad electos, idest, antequam dicas symbolum, his verbis prosequeris.

Dilectissimi nobis accepturi Sacramenta baptismatis &c. ut in edito. Post hæc verba, *itaque fidem, quam suscepistis, hoc inchoatur exordio*, sequitur. *Posthæc accipiens Acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, ponens manum super caput ejus, & interrogat eum Presbyter quâ linguâ, confitentur D. N. Jesum Christum.* ℞. *Gracè. Iterum dicit Presbyter adnuntia fidem ipsorum, qualiter credunt: & dicit Acolythus Symbolum Gracè decantando, tenens manum super caput infantis in his verbis,* πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν &c. ut in edito. Finito Symbolo sequitur.

Filii charissimi Symbolum Gracè audietis & Latinè, Et dicis, quâ linguâ confitentur Dominum nostrum Jesum Christum, respondet Latinè. Adnuntia fidem ipsorum, qualiter credunt, ponens manum Acolythus super caput infantis, & dicit Symbolum decantando his verbis, Credo in unum Deum &c. ut in edito. Finito Symbolo,

terium, quo Diabolus cum suâ pompâ destruitur, & janua Regni cælestis aperitur, inculpabili, Deo juvante, ministerio peragere valeamus. Iisdem prope verbis ut in ordine Romano edito sequitur, *ut autem venerint ad Ecclesiam, scribuntur nomina infantium, ab Acolytho, & vocantur in Ecclesiâ per nomen sicut scripti sunt, & statuuntur masculi in dexteram partem, fœminæ in sinistram, & dat orationem Presbyter super eos.*

Oratio super electos ad Catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus Pater D. N. Jesu Christi respicere dignare super hos famulos tuos, ut in edito. Sequitur.

Benedictio salis ad dandum Catechumeno.

Exorcizo te Creatura salis &c. ut in edito erat. Post hanc Orationē omissum erat. *Post hanc Orationem pones sal in ore Infantis & dicis, Accipe N. sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam,* quæ in capite paginæ adjecta sunt, aliâ quidem manu, sed simili attramento. Sequitur.

Benedictio post datum salem.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis te supplices &c. ut in edito. Sequitur.

Item exorcismi super Electos, quos Acolythi impositâ manu super eos, dicere debent.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob &c. ut in edito. Post hæc verba, *nunquam audeas violare*, sequitur *item super fœminas. Deus Cæli, Deus Terræ, Deus Angelorum &c.* ut in edito. Post hæc verba, *Ergo maledicte, ut supra, item super Masculos. Audi Maledicte Satanas &c.* ut in edito. Concludit istum exorcismum, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.* Quod ab edito abest. Sequitur.

Item super fœminas, Deus Abraham, Deus Isaac &c. ut in edito. Post hæc verba, *ergo maledicte*, sequitur *Item super fœminas. Exorcizo te immunde spiritus per Patrem &c.* ut in edito.

Sequitur Oratio quam Sacerdos dicere debet.

Æternam ac justissimam pietatem &c. ut in edito, eâ finita sequitur.

Incipit expositio Evangeliorum in aurium apertione ad electos.

Primitùs enim procedunt de sacrario quatuor Diaconi, cum quatuor Evangeliis, præcedentibus duobus candelabris, cum Thuribulis, & ponuntur super quatuor angulos altaris, & tractat Presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.

Aperturi vobis, filii chariſſimi, quatuor Evangelia, id eſt, geſta divina &c. ut in edito. Et poſt illa verba, *hæc ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes.* Sequitur, *& adnuntiat Diaconus dicens, ſtate cum ſilentio, audientes intentè. Et incipiens legere initium Evangelii ſecundum Matthæum, uſque: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Poſtquam legerit, tractat Presbyter his verbis: Filii chariſſimi, ne diutiùs ergo vos teneamus &c.* ut in edito. Poſt hæc verba, *Matthæi perſona*, ſequitur.

Item adnuntiat Diaconus ut ſupra, ſtate cum ſilentio, audientes intentè. Et legit initium Evangelii ſecundum Marcum, uſque: Ego baptizo vos aquâ. Ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto: Et ſequitur Presbyter his verbis.

Marcus Evangeliſta Leonis gerens figuram &c. ut in edito, Poſt iſta verba *: quis excitabit eum ?* Sequitur, *Item adnuntiat Diaconus, ut ſupra, & legit initium Evangelii ſecundum Lucam, uſque: Parare Domino plebem perfectam, & proſequitur Presbyter his verbis.*

Lucas Evangeliſta vituli ſpeciem geſtat &c. ut in edito. Poſt illa verba, *pleniſſimè cõtineant*, ſequitur.

Item adnuntiatur à Diacono ut ſupra. Et legit initium Evangelii ſecundum Joannem, uſque, plenum gratiæ & veritatis. Iterum proſequitur Presbyter his verbis.

Joannes habet ſimilitudinem aquilæ &c. ut in edito.

Poſt hæc verba, *qui vivit & regnat*, ſequitur.

Incipit præfatio ſymboli ad electos, ideſt, antequam dicas ſymbolum, his verbis proſequeris.

Dilectiſſimi nobis accepturi Sacramenta baptiſmatis &c. ut in edito. Poſt hæc verba, *itaque fidem, quam ſuſcepiſtis, hoc inchoatur exordio*, ſequitur. *Poſthac accipiens Acolythus unum ex ipſis infantibus maſculum, tenens eum in ſiniſtro brachio, ponens manum ſuper caput ejus, & interrogat eum Presbyter quâ linguâ, confitentur D. N. Jeſum Chriſtum.* ℟. *Græcè. Iterum dicit Presbyter adnuntia fidem ipſorum, qualiter credunt: & dicit Acolythus Symbolum Græcè decantando, tenens manum ſuper caput infantis in his verbis,* πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν &c. ut in edito. Finito Symbolo ſequitur.

Filii chariſſimi Symbolum Græcè audietis & Latinè, Et dicis, quâ linguâ confitentur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, reſpondet Latinè. Adnuntia fidem ipſorum, qualiter credunt, ponens manum Acolythus ſuper caput infantis, & dicit Symbolum decantando his verbis, Credo in unum Deũ &c. ut in edito. Finito Symbolo,

sequitur.

Hoc expleto, sequitur Presbyter his verbis.

Hæc est summa fidei nostræ dilectissimi nobis &c. ut in edito. Post conclusam istam exhortationem, sequitur.

Item Præfatio Orationis Dominicæ, & admonentur à Diaconis, ut supra.

Dominus & Salvator noster Jesus Christus inter cætera salutaria præcepta ut in edito. Post ista verba, *Hanc Orationem nos docuit, ut ita Oremus.* Sequitur.

Post hoc intras & dicis. Pater noster &c. ut in edito cum iisdem glossis ad unamquamque petitionem. Post illa verba. *Conferre dignetur Jesus Christus* &c. sequitur.

Item adnuntiat Diaconus, ut supra, state cum disciplinâ & cum silentio, audientes intentè.

Audistis, dilectissimi, Dominicæ Orationis sancta mysteria &c. ut in edito. Istâ exhortatione finiente, finitur scrutinium.

In superioribus multa sunt non inutiliter lectori adnotanda. Primum, si conferat hunc scrutinii, & faciendi Catechumeni ritum, quem integrum retulimus cum ordine Romano edito, qui longè posterior est, quæcumque fuerint addita animadversum: insuper tamen niliantiquitus observatum, quod posteà non fuerit retentum, sed lapsu temporis, amplioris & augustioris significationis causâ nonnulla adjuncta fuisse. 2. Primum scrutinium factum die Lunæ, 27. diebus ante Pascha, publicatum verò Dominicâ tertiâ præcedente, ut dilucidius colligitur ex titulo illius Dominicæ. *Tertia Dominica, qua pro scrutiniis electorum celebratur.* Atque ex Oratione illius diei. *Da quæsumus, Domine, electis tuis digné atque sapienter ad confessionem tuæ laudis accedere, ut dignitati pristinæ, quam originali transgressione perdiderant, ad perpetuam gloriam reformentur.* Idem etiam constat ex illius diei, *Memento*, & *infra actionem*, quæ propter specialem in iis ritum referre operæ pretium est.

Infra Canonem dicit.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt, ad sanctam gratiam baptismi tui, & omnium circumstantium. Et taces, & recitantur nomina virorum & mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt, & intras. Quorum tibi fides cognita.

Item infra actionem.

Hanc igitur oblationem Domine, ut propitius suscipias, deprecamur, quam tibi offerimus, pro famulis & famulabus tuis, quos ad ater-

ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum, eligere atque vocare dignatus es, per Christum. Et recitantur nomina electorum, postquam recensita fuerint, dicis.

Hos Domine fonte baptismatis innovandos spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari, Per. In postcommunione & oratione super Populum, quæ sequuntur, iterum baptizandis gratiam divinam implorat Sacerdos. Ex quibus duo collige, prius, baptizandos & eorum susceptores illâ die dominicâ nomina sua dedisse: Posterius, præclarum morem publicè in Memento primo Missæ susceptorum nomina recitare, & paulò post infra actionem, baptizandorum, ut pro iis universus Ecclesiæ cœtus cum Sacerdote deprecetur.

Tertiùm, symbolum & orationem Dominicam simul competentibus esse datam, ac proinde eum morem Romæ annis saltem post Christum quingentis cœpisse. Tum antiquorum ratio ferè cessabat, qui magnam semper adultorum multitudinem in Paschate baptizabant, quorum intererat scire, se cum Christianis dicere non posse, *Pater noster &c.* IV. utrumque illis datum & explicatum diebus ante Pascha 27. Quintùm, symbolum illis datum non fuisse Apostolicum, sed Constantinopolitanum, ac consequenter vel ex isto solo rituali constat, ante mille annos Symbolum Apostolicum Constantinopolitano permutatum fuisse. VI. initio ritus baptismi infantem specialiter factum esse Catechumenum, & hoc in ipsâ ritus actione notatum. VII. ut Symbolum, & Oratio Dominica solemniter competentibus tradita sunt, sic & quatuor Evangeliorum initia: cujus præterea consuetudinis testis est Beda, in 2. lib. Esdræ c. 9. *Pulcher ac salubris in Ecclesiâ mos, doctrinâ patrum inolevit, ut his, qui Catechizantur, quatuor Evangeliorum Sacramentum explanetur, ac recitentur exordia.* VIII. non apparere distinctionem illam magni scrutinii à minore. Id forsan contigit, quia ritualis ille liber non est satis accuratus, & multa compendii causâ omittit, ut pote ex consuetudine omnibus notâ, atque etiam fere semper contingere solet, ut posteriores ejusmodi libri prioribus magis sigillatim κατὰ μέρος quæ agenda sunt, exprimant & præcipiant. IX. Cineris benedictionis, & super Catechumenos aspersionis nullam esse mentionem, sicut nec apud Amalarium, qui cætera ordinis Romani verba re-

fert. Consuetudo ista post illa tempora exorta est, ut hac in re Pœnitentibus Catechumeni exæquarentur. Denique mane in Sabbato Sancto Symbolum reddebant hoc ordine, expresso in officio illius diei *Sabbatorum die mane reddunt Infantes Symbolum. Prius catechiza eos, impositâ super capita eorum manu his verbis: Nec te lateat Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta &c.* ut in edito. Postea verba, *& seculum per ignem*, sequitur, *Inde ungis ei nares & aures de sputo, & dicis ei ad aurem, effetta, quodest, adaperire in odorem suavitatis, Tu autem effugare Diabole; appropinquavit enim judicium Dei. Postea verò tangis ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato, vocato nomine, singulis dicis. Abrenuntias Satanæ.* ℟. *Abrenuntio: & omnibus operibus ejus.* ℟. *Abrenuntio: & omnibus pompis ejus.* ℟. *Abrenuntio. Inde verò dicis symbolum impositâ manu super capita ipsorum. Postea verò dicitur eis ab Archidiacono, orate electi, flectite genua. Complete orationem vestram in unum, & dicite, Amen, & respondent omnes, Amen. Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis: Catechumeni recedant omnes, Catechumeni exeant foras. Iterum dicit Diaconus. Filii charissimi revertimini locis vestris, & expectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.* Eadem rubrica fere eodem modo legitur in ordine Romano edito. Vesperi ejusdem diei omnes illi electi baptizabantur; si aderat Episcopus, confirmabantur, ut legere est in eodem antiquissimo, & in omnibus aliis ritualibus antiquis.

Idem contigit apud Græcos & Orientales, quod apud Latinos: Quadraginta dierum tempus in mediam partem contractum est. Hoc autem certissimo argumento colligitur ex varietate precum pro Catechumenis, quæ ex præsanctificatorum Liturgiâ colliguntur. Res ita se habet. Græci ex antiquissimâ consuetudine totâ quadragesimâ, exceptis Sabbatis & dominicis, & Annuntiationis festivitate, sacrificare non solent. Ideo singulis feriis liturgiam sive precem recitant, quam τῶν προηγιασμένων λειτουργίαν vocant, quæ in eorum Euchologiis habetur, & in Bibliothecâ Patrum Latinè edita est. In aliis Liturgiis sanctorum Chrysostomi, Basilii, Cyrilli, Jacobi &c. oratio habetur super Catechumenos, post scilicet Lectum Evangelium, quâ finitâ statim dimittuntur, incipiuntque fidelium oratio-

nes, ut legere est in omnibus liturgiis. Verùm in præsanctificatorum liturgiâ, à quartâ feriâ mediæ quadragesimæ, non secus ac apud Latinos, præter istam super Catechumenos omni tempori communem orationem, alia non amplius super Catechumenos, sed iis dimissis, super φωτιζομένους Baptizandos recitatur. Dimissis enim Catechumenis, subjicitur hæc rubrica sive adnotatio,[a] *Hæc sola dicuntur, usque ad tertiam & quartam hebdomadam. A quartâ vero feriâ medii jeiunii, postquam dictum est, ut & ipsi,* (initium est conclusionis sive ἐκφωνήσεως orationis super Catechumenos) *dicuntur & ista Diaconica.* Ista Diaconica, sive à Diacono pronuntiata sequuntur ejusmodi. *Quicumque Catechumeni, discedite: Catechumeni discedite. Quicumque ad illuminationem, accedite; Qui ad illuminationem, orate. Fideles Dominum deprecemur pro fratribus, qui ad sanctam illuminationem destinati sunt, & præparati, & pro salute eorum, ut Dominus Deus noster confirmet eos & corroboret, & illuminet eos &c.* Tandem Diaconus clamat, οἱ πρὸς τὸ φώτισμα τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ κυρίῳ κλίνατε. *Qui ad illuminationē, inclinate Domino capita vestra.* Quo dicto statim Sacerdos orationem super eorum capita fundit. Eâ finitâ, Diaconus iterùm clamat. *Quicumque ad illuminationem, discedite. Qui ad illuminationem discedite. &c.* Denique subsequitur Rubrica hæc, ἕως ὧδε τὰ ἀπὸ τῆς τετάρτης τῆς μεσονηστίμου *hactenus ea, quæ à quartâ medii jejunii.* Postea more solito incipiunt fidelium preces. Ista quidem hactenùs publicè in eorum Liturgiis dicunt & precantur Græci, licet nulli, nec Catechumeni, nec φωτιζόμενοι adsint, omnisque apud eos, non secus ac apud Latinos, abrogata sit Catechumenorum & competentium antiquo more purgandorum consuetudo. ut enim Latini, baptismum cum omnibus ceremoniis simul & semel actione continuâ conferunt. Solent tamen, cum infantis baptismus differtur octavo die ipsum solemnitèr in Ecclesiâ signare, & ipsi nomen imponere: Postea quadragesimo die ad Ecclesiam matre comitante, eoque, qui eum suscep-

a Ταῦτα μόνα λέγονται μέχρι τῆς τρίτης καὶ τετάρτης ἑβδομάδος, ἀπὸ δὲ τῆς δ' μεσονηστίμου μετὰ τὸ εἰπεῖν τό, ἵνα καὶ αὐτοί, λέγονται, καὶ ταῦτα τὰ διακονικά.

tirus est, deferunt, jusque illi ad Ecclesiam conveniendi magnâ cum solemnitate tribuunt, ut in eorum Euchologiis legere est. His peractis, Parentes pro suâ & susceptorum opportunitate filiorum baptismum urgent aut retardant.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Difficultas & argumenta capite primo proposita dissolvuntur, & multis antiquorum Patrum verbis rationibusque docetur expulsionem Catechumenorum, eorum pœnitentiam, operaque laboriosa, paulò ante baptismum ipsis imperata, doctrinæ de acquisitâ sine labore peccatorum per baptismum remissione non repugnare. Quâ ratione in Competentes Peccantes animadvertebatur.

HACTENUS à nobis enarratum est in quot ordines antiqua Ecclesiæ disciplina Catechumenos distribuerit, quibus sacramentis, seu mysteriis singulos imbuerit, sibique devinxerit, quâ pietate, quibusve laboriosis operibus, & mortificationibus animos eorum ad baptismum præparaverit, quam autoritatem & jurisdictionem in eos exercuerit. Ostensum est nullam in Catechumenos primi ordinis autoritatem sibi Ecclesiam arrogasse. Unde sequitur, verba illa S. Pauli 1. cor. 3. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* De Ethnicis & Catechumenis primi generis esse intelligenda. Ostensum est præterea Catechumenos secundi ordinis, qui propriè sunt Catechumeni, & ad quos spectant, quæ vulgô apud Patres de Catechumenis dicuntur, sæpè propter peccata loco motos fuisse, atque ad primum ordinem regradatos, in quo si iterum peccarent, ab omni Ecclesiæ tecto eliminatos: Nihil tamen hoc vulgato Patrum & Theologorum axiomati repugnare, qui nullas pœnas asserunt esse baptizandis imponendas. Eo quod virtus baptismi perfectam, & integram salutem operatur. Regradationem illam & expulsionem ad pœnitentiam sive opera laboriosa, nihil pertinere cum

omnibus Philoſophis, Ludimagiſtris, & ſcientiæ cujuſlibet profeſſoribus licuerit ſemper à ſcholâ ſuâ & ludo immodeſtè ſe ſe gerentes expellere. Deinde Catechumenos ſecundi ordinis Catechumenatui ſacris ritibus initiari, & quotidie ſacris ceremoniis, precibus, & manuum impoſitionibus expiari, quibus ſi ſeſe indignos exhibeant, meritò ſacrâ illâ luſtratione privantur, atque in eam ſtationem, in quâ nulla celebratur, removentur. Quanquam enim myſteria illa, quibus imbuuntur, non ſint vera ſacramenta, ſancta tamen ſunt, & porcis indigniſque non obtrudenda. Denique ex omnibus, quæ citata ſunt, apparuit evidenter Eccleſiam ita prudenter cenſuram ſuam temperaſſe, ut præter loci remotionem, & baptiſmi ſuſpenſionem omnino neceſſariam, ne indignis cum grandi ſcelere tanta gratia tribuatur, nullam pœnam aut vindictam à Catechumenis ſecundi ordinis ſumpſerit. Unde manifeſtum eſt dictum illud Apoſtoli. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt judicare*: de Catechumenis ſecundi ordinis poſſe quoque intelligi, de iis ſcilicet Eccleſiam non judicare. Judicium enim, de quo verba facit Apoſtolus, eſt pœnale, & graviſſimum, quo ſcelerum Rei ſeveriſſimè puniuntur. ſic enim de hac ipsâ re paulò ante ſcripſerat: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt &c. tradere ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus ſit &c.*

Verùm negotium longe difficilius faceſſere videntur, quæ de competentibus, ſive de tertio Catechumenorum ordine dicta ſunt. Multis enim antiquorum teſtimoniis demonſtratum eſt jejunia, vigilias, chameunias aliaque opera laborioſa illis impoſita fuiſſe. Reſponderi primùm poſſet paucorum dierum pœnitentiam fuiſſe, & comparatam pœnitentiæ propter peccata fidelibus inflictæ, nullius loco haberi potuiſſe. ſtadium enim Pœnitentiæ competentium, ubi longiſſimum fuit, quadraginta diebus, poſtea viginti, vel octodecim tam apud Latinos, quam Græcos circum ſcribebatur. Quid verò hoc, ut cum fidelium peccantium pœnitentiâ conferatur, quæ ut plurimùm iiſdem ſæculis multorum annorum circulo definiebatur, & nonnunquam cum vitâ tantùm finiebatur? Prætereo quod infra multis exemplis demonſ-

trabitur, & nascente Ecclesiâ fere semper usurpabatur, baptismum sæpissimè post dierum longè brevius spatium collatum fuisse. Sed ad hoc responsum, licet objectioni diluendæ satisfacere possit, non est necesse confugere. Opera enim illa laboriosa in peccatorum præteritorum vindictam non injungebantur, sed ut competentium animus ad gratiam baptismi, quam brevi accepturi erant, sanctiùs præpararetur, ne margaritæ porcis imprudenter obtruderentur, neve contingeret baptizatos, ut sus lota, in cœno iterum volutari.

Hoc nos præclarè docet S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40 ubi baptizandos, ad ea præstanda hortatur, [a] *Magnum tibi ad ea, quæ cupis, assequenda & retinenda subsidium attulerint, vigilia, jejunia, Chamenuia, orationes, lachrymæ, commiseratio pauperum, largitio, his rebus, partim pro iis, quæ accepisti, gratias age, partim ea tuere & custodi.* Relege præterea singula, quæ allata sunt de ejusmodi operibus laboriosis testimonia, deprehendes omnia de præparatione & sanctificatione ad baptismum verba facere, nulla autem de pœnâ & peccatorum vindictâ. Ita S. Gregorius eâdem oratione. [b] *Omnibus membris purificentur, omnes sensus purgemus, nihil in nobis sit imperfectum, nihil quod primam nativitatem oleat: nihil denique luminis expers relinquamus. Illuminemur oculis, ut rectè cernamus, nec meretricum ullam, & obscœnum simulachrum ex studioso & supervacaneo aspectu conflatum in nobis circumferamus &c.* Multis more suo fusissimè & eloquentissimè hunc sermonem persequitur, totus est in morborum, & affectionum animi ante baptismum curatione, ut baptizandus gratiam baptismi digne suscipiat. De pœnis ob peccata præterita subeundis in tantâ verborum & sententiarum co-

---

a Καλόν σοι βοήθημα πρὸς τὸ τυχεῖν, ὡς ἐπιποθεῖς, ἀγρυπνίαι, νηστεῖαι, χαμευνίαι, προσευχαί, δάκρυον, ἔλεος, τῶν δεομένων μετάδοσις. Ταῦτά σοι γενέσθω ὧν τετύχηκας εὐχαριστήριον τι ἅμα καὶ φυλακτήριον.

b Πᾶν μέλος καθαρισθῶμεν, πᾶσαν ἁγνίσωμεν αἴσθησιν. μηδὲν ἀτελὲς ἡμῖν ἔστω, μηδὲ τῆς πρώτης γενέσεως, μηδὲν ἀφώτιστον καταλείπωμεν. Φωτισθῶμεν τὸν ὀφθαλμόν, ἵν' ὀρθὰ βλέπωμεν, καὶ μηδὲν εἴδωλον πορνικὸν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φέρωμεν, ἐκ φιλοπόνου θέας καὶ περιέργου.

piâ ne χοῦ quidem. Et oratione 39. enarrans quod Jesus purus, & cum signa facere inciperet, à Joanne baptizatus est. [a] *Hoc ad eos dictum velim, qui subito & temere ad baptismum accedunt, nec ad eum præparantur, nec per animi constitutionem ad virtutis habitum id agunt, ut redemptio ipsis certa, atque incolumis maneat. Quanquam enim hoc gratia affert, ut præterita noxæ remittantur, gratia enim est, tunc tamen meliori curâ providendum est, ne ad eundem vomitum redeamus.* Maximè notanda est efficacia baptismi à Gregorio observata, quanquam dispositio ad eum suscipiendum, non sit admodum valida, remissionem tamen peccatorum virtute suâ confert. Quid igitur operatur dispositio validissima & habitus perfectionem assecuta? Ut gratiam in eo collatam firmissimè conservemus. Sane si mediocris aliqua dispositio ad ipsius effectum consequendum satis est, nec firmissima requiritur, multò minùs pœnarum tolerantia.

S. Chrysostomus Homiliâ primâ in Acta præclaris similitudinibus hoc illustrat. Quærit quamobrem Christus statim post Ascensionem Spiritum Sanctum Apostolis non misit, sed quinquagesimum à Resurrectione diem expectavit. Justissimâ, inquit, de causâ, id fecit. [b] *Nimirum ut vigilantes solicitiùs promissum expectarent. Non enim datur, non datur, inquam, gratia nisi vigilanti.* Quod ubi exemplis probavit, similitudinibus illustrat. [c] *Etenim quemadmodum, qui purpuram tingunt, prius aliis quibusdam coloribus, præparant id quod tincturam accipiet, ne flos dilutus, & evanidus fiat; itidem & hic priùs animi solicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam.* Postquam autem retulit eam esse causam, quâ Ecclesia mota baptizandis in die Pentecostes, jejunia abstinentiasque indicit, aliâ similitudine Ecclesiæ morem illu-

---

a Εἰρήσθω πρὸς τοὺς τὸ βάπτισμα χλιάζοντας καὶ μὴ προευτρεπιζομένους, μηδὲ τὸ ἀσφαλὲς τῇ λυτρώσει χαριζομένους, διὰ τῆς τὸ καλὸν ἕξεως. καὶ γὰρ εἰ ἄφεσιν ἔχει τῶν παρελθόντων τὸ χάρισμα. χάρισμα γάρ, ἀλλὰ τότε μᾶλλον εὐλαβείας ἄξιον, μὴ πρὸς τὸν αὐτὸν ἔμετον ἐπανέλθωμεν.

b Ἵν' ἀεὶ ἐγρηγορότες ὦσι, καὶ ἐν προσδοκίᾳ, καὶ μερίμνῃ. οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι χάριτος ἀπολαῦσαι μὴ νήφοντα.

c Καθάπερ γὰρ οἱ τὴν ἁλουργίδα βάπτοντες πρότερον, ἑτέροις τισὶ τὸ δεχόμενον τὴν βαφὴν προπαρασκευάζουσιν, ἵνα μὴ ἐξίτηλον γένηται τὸ ἄνθος· οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα, πρότερον, μεμεριμνημένην κατασκευάζει τὴν ψυχὴν ὁ Θεὸς καὶ τότε τὴν χάριν ἐκχεῖ.

ſtrat, [a] *Etenim ſi quis aditurus Annonæ præfecturam, ſibi parat, quidquid ad vitæ uſum pertinet, atque, ut ſibi nonnihil dignitatis aſſequatur, & pecunias conſumit, & tempus impendit, & innumerabiles ſuffert labores, quo malo nos digni fuerimus, ſi cum tantâ ſocordiâ Regnum Cælorum adierimus, neque ullâ curâ noſmetipſos ad hoc præparaverimus priuſquam accipiamus. Quin & poſtquam acceperimus, ſocorditer egerimus? Ideo namque poſteaquam accepimus, ſocordes ſumus, quod priuſquam acciperemus, non vigilaverimus. Ideo complures, poſteaquam acceperunt, protinus redierunt ad priorem vomitum &c.* Tanti autem caſus à baptiſmali juſtitiâ cauſam hanc fusè proſequitur.

Præclarè ſanè & eruditè idem Chryſoſtomus Homil. 49. in Matth. operis imperfecti, commentans hæc verba: Væ autem prægnantibus &c. Primum ait Eccelesias verbum veritatis prædicantes concipere eos, qui credunt, & in utero continere, *donec formentur catechizati per ſingula membra pietatis, & fidei. Cum autem ſic formati fuerint, pariunt eos in baptiſmo. poſtquam autem eos pepererint, neceſſe habent eos lactare doctrinis aſſiduis.* Poſtea explicat, quomodo fide concepti in utero Eccleſiæ formentur, donec per baptiſmum naſcantur, docendo, inquit, eos abſtinere à malo, & facere bonum: Legem autem decem mandata habere, quaſi decem menſes, quibus enarratis, ſic infert; *Omnis ergo Eccleſia, quæ concipit hominem in utero ſuo per verbum in fide, priùs debet eum formare omnibus his mandatis, quaſi menſibus decem, ut diſcat prius abſtinere ab omnibus malis, & ſic eum maturum in baptiſmum parere Deo. Alioquin antequam diſcat ab his omnibus abſtinere, ſi baptizaverit eum, non parit ſed immaturum projicit, ſicut Mulier niſi completis novem menſibus, & decimum tangens, pepererit, abortum facit. Propter quod nec eſt homo ille vitalis. Sicut & modo pene omnes non parit Eccleſia ſecundum ea, quæ diximus, ſed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate à Spiritu ſancto. Differt enim Deus dare eis baptiſmum Spiritus*

b Εἰ γὰρ ἐπὶ ἀρχὴν μέλλει ἰέναι τις βιωτικήν, παρασκευάζει ἑαυτῷ ἅπαντα τὸν βίον, καὶ ἵνα τύχῃ τινὸς ἀξιώματος, καὶ χρήματα ἀναλίσκει, καὶ χρόνον δαπανᾷ, καὶ μυρίους ὑπομένει πόνους· τίνος ἂν εἴημεν ἡμεῖς ἄξιοι μετὰ τοσαύτης ῥᾳθυμίας τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν προσιόντες, καὶ οὔτε πρὶν ἢ λαβεῖν σπουδάζοντες; καὶ μετὰ τὸ λαβεῖν, ῥᾳθυμοῦντες; διὰ γὰρ τοῦτο μετὰ τὸ λαβεῖν ῥᾳθυμοῦμεν, ἐπειδὴ πρὶν ἢ λαβεῖν οὐκ ἐγρηγόρειμεν· διὰ τοῦτο πολλοὶ μετὰ τὸ λαβεῖν εὐθέως ἐπὶ τὸν πρότερον ἐπανῆλθον ἔμετον.

Sancti donec dignos se præbuerint tali baptismate &c. His consonat quod apud Sophronium legitur, prati spiritualis c. 198. contigisse sancto Petro Martyri Patriarchæ Alexandrino. Cum enim tempore pestis plurimi baptizarentur metu mortis, & sic non debitè ex Dei charitate dispositi, apparuit ei Angelus Domini dicens, quamdiù mittis huc marsupia ista, signata quidem, sed inania & nihil intùs habentia.

Huc referri potest S. Augustini commonitorium quod ad universam Ecclesiam destinavit, ut eam admoneret, cum quâ cautelâ Manichæi ad fidem conversi suscipi deberent. Non enim docet statìm ejuratâ hæresi, vel ad baptismum vel ad pœnitentiam esse recipiendos, sed vult eos litteris Episcoporum commendari religiosis Catholicis vicinis, vel cohabitatoribus suis, sive clericis, sive Laicis, quorum testimonio probari possint, *nec facile admitti ab baptismum, si Catechumeni sint; nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente, vel si eos aliquanto tempore probatos esse cognoverit Episcopus per eorum testimonium, quibus fuerint commendati.* Erga eorum Electos majorem curram adhiberi postulat; licet enim juxta datam formam hæresim anathematizaverint, literas illis non facile dandas admonet, *sed cum Dei servis esse debebunt, sive Clericis, sive in Monasterio, vel Xenodochio, donec appareat, penitùs ipsâ superstitione caruisse, & tum vel baptizentur, vel reconcilientur, si pœnitentiæ locum acceperint: nec, acceptis citò litteris, loca, in quibus fuerant commendati, deserant.* His testimoniis jungi debent Origenes lib. 3. contra Celsum c. 4. hujus libri integrè relatus. Clemens lib. 8. c. 32. Cyrillus lib 2. in Joannem c. 36. quæ supra quoque exscripta sunt, quibus idem perspicuè confirmatur.

Aliud ejusdem observantiæ testimonium est id quod lib. de Pœnit. 3. c 8. demonstratur. Cùm aliquis ante Catechumenatum completum, imò ante initium urgente morbo baptizabatur, post recuperatam sanitatem, nec Catechumenis, nec Competentibus adscribebatur, sed perpetuâ fidelium prærogativâ fruebatur. Cum verò Pœnitens, ante peractum aut etiam ante initum pœnitentiæ stadium, simili morbo urgente reconciliabatur, convalescens id quod

agendæ pœnitentiæ ſupererat, redintegrat, ſtationemque ſubit, in quâ morbus eum corripuerat. Quamobrem verò? hujus antiquæ diſciplinæ ratio ex ſententiâ, quam explicamus, evidens eſt. Quidquid laborioſum baptizandis injungitur, gratiæ baptiſmalis præparatorium eſt. Sed ponimus propter mortis periculum baptiſmi gratiam illis collatam. Ut quid igitur animum præparare ad id recipiendum, quod recepit? Sed pœnitentium alia omnino ratio eſt. Cum enim ſeveræ pœnæ in peccatorum vindictam, neve iterum in eadem recidant, illis infligantur, recte viſum eſt, Antiquis Patribus in mortis periculo ante eas datas ſi reconciliationem præſtitiſſent, periculo ſuperato, & ſanitate reſtitutâ ad idem ſaxum volvendum revocari. Hujus rei rationes plures jam enarratæ ſunt, poteſtque alias, fundamentis jam jactis, ex ſe ſe Lector eruere.

Denique varia illa Patrum teſtimonia & potiſſimum ſancti Auguſtini, quibus pœnitentia baptizandis injungi videtur, ſi diligentèr conſiderentur, de animi reſipiſcentiâ, & priſtinæ vitæ mutatione, non autem de ullis pœnis, ſcelerum præteritorum vindictam ſumentibus, eſſe interpretanda evidenter apparebit. Jam hoc ſpeciali animadverſione adnotatum & probatum: ſed hujus rei nullum documentum ipſâ teſtimoniorum allatorum conſideratione & relectione manifeſtius dari poteſt. Quapropter alia probatione ſuperſedebimus, novo uno aut altero teſtimonio contenti. Sermo. S. Auguſtini. 116. de tempore, qui ad Competentes inſcribitur, & habitus eſt, totus in eo argumento verſatur. Nonnullas pericopas ex eo referemus. *Primò ergo hoc ſpecialiter attendant, ne ullum hominem odio habeant. Secundò interrogent conſcientias ſuas, & ſi alicui, ut evenire ſolet, fecerint injuriam, citò veniam petant. Tertiò, ſi aut per furtum, aut per falſum teſtimonium, aut per aliquam calliditatem, aut per ſtateras doloſas, aut per menſuras duplices, cuicumque aliquid abſtulerint, ſi ſecundùm exemplum Zachæi non poſſunt in quadruplum, vel ſimplo reſtituant. Nam neſcio quâ fronte gratiam miſericordiæ ſe credit poſſe accipere, qui res alienas, quas malè abſtulit, diſſimulat reformare Sed forte oportet hoc etiam competentibus obſervare, ut, ſi agnoſcant ſe, perſuadente Diabolo, furtum, homicidium, aut adulterium*

commisisse, aut si aliqua Mulier competens potiones diabolicas aliquando ad aborsum accepit, & filios suos adhuc in utero positos, aut etiam natos occidit, quia satis grave peccatum est, pro omnibus his cum gemitu, & compunctione Dei misericordiam quærant, & ad Baptismi Sacramenta per Pœnitentiam mundati perveniant, & hoc ante omnia quicumque se has culpas habere vident, observent ut castitatem & ante baptismum custodiant, & post baptismum non parvo tempore, se à voluptate custodiant &c. Quænam occasio gravissimis pœnis imponendis, aut saltē consulendis aptior dari poterat? Ibi tamen & per totam homiliam in vitæ mutatione & solâ animi resipiscentiâ subsistit.

Quid verò actum fuisse putas, si competens baptismati admovendus grave aliquod crimen perpetrabat? Speciem hanc ponit S. Augustinus, & definit. *Quia omnes Competentes uterus Matris Ecclesiæ Christo inspirante concepit, nihil injustum aut inhonestum exerceant, nefortè malè agendo viscera materna concutiant, & ante legitimum partum velut aborsum eos Mater sancta projiciat. Sed magis omnes Competentes benigni sint, humiles.. &c.* Expellit eos Ecclesia à Congregatione suâ, ne ipsi criminum cœno infecti & polluti, alios Competentes, & Catechumenos polluant, verùm de pœnitentiæ seu laboriosorum operum impositione altum silentium.

Idem quoque nos disertissimè docet S. Chrysostomus, homil. 21. ad Populum Antioch. quæ est ad illuminandos sive Competentes. Proponit illis primum difficultatem gratiæ recuperandæ in baptizatis, deinde subdit. [c] *Propterea & priùs dixi, & nunc dico, & dicere non desistam, si quis morum vitia non correxit, nec sibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lavacrum abluere potest: timor autem non parvus, & periculum non mediocre, ne rursum ad eadem redeamus, &*

c Διὰ τοῦτο καὶ πρώην εἶπον, καὶ νῦν λέγω, καὶ λέγων οὐ παύσομαι, ἵν εἴ τις τὰ ἐλαττώματα τῶν τρόπων μὴ διώρθωσε, μηδὲ παρεσκεύασεν ἑαυτῷ τὴν ἀρετὴν εὔκολον, μὴ βαπτιζέσθω· τὰ μὲν γὰρ πρότερα ἁμαρτήματα ἀπολῦσαι δύναται τὸ λουτρόν· δέος δὲ οὐ μικρὸν καὶ κίνδυνος οὐχ ὁ τυχὼν, μήποτε πάλιν πρὸς αὐτὰ ἐπανέλθωμεν, καὶ γένηται ἡμῖν ἕλκος τὸ φάρμακον· ὅσῳ γὰρ μείζων ἡ χάρις, τοσούτῳ πλείων ἡ κόλασις τοῖς μετὰ ταῦτα ἁμαρτάνουσι. &c.

agendæ pœnitentiæ fupererat, redintegrat, ftationemque fubit, in quâ morbus eum corripuerat. Quamobrem verò ? hujus antiquæ difciplinæ ratio ex fententiâ, quam explicamus, evidens eft. Quidquid laboriofum baptizandis injungitur, gratiæ baptifmalis præparatorium eft. Sed ponimus propter mortis periculum baptifmi gratiam illis collatam. Ut quid igitur animum præparare ad id recipiendum, quod recepit ? Sed pœnitentium alia omnino ratio eft. Cum enim feveræ pœnæ in peccatorum vindictam, neve iterum in eadem recidant, illis infligantur, recte vifum eft, Antiquis Patribus in mortis periculo ante eas datas fi reconciliationem præftitiffent, periculo fuperato, & fanitate reftitutâ ad idem faxum volvendum revocari. Hujus rei rationes plures jam enarratæ funt, poteftque alias, fundamentis jam jactis, ex fe fe Lector eruere.

Denique varia illa Patrum teftimonia & potiffimum fancti Auguftini, quibus pœnitentia baptizandis injungi videtur, fi diligentèr confiderentur, de animi refipifcentiâ, & priftinæ vitæ mutatione, non autem de ullis pœnis, fcelerum præteritorum vindictam fumentibus, effe interpretanda evidenter apparebit. Jam hoc fpeciali animadverfione adnotatum & probatum: fed hujus rei nullum documentum ipfâ teftimoniorum allatorum confideratione & relectione manifeftius dari poteft. Quapropter alia probatione fuperfedebimus, novo uno aut altero teftimonio contenti. Sermo. S. Auguftini. 116. de tempore, qui ad Competentes infcribitur, & habitus eft, totus in eo argumento verfatur. Nonnullas pericopas ex eo referemus. *Primò ergo hoc fpecialiter attendant, ne ullum hominem odio habeant. Secundò interrogent confcientias fuas, & fi alicui, ut evenire folet, fecerint injuriam, citò veniam petant. Tertiò, fi aut per furtum, aut per falfum teftimonium, aut per aliquam calliditatem, aut per ftateras dolofas, aut per menfuras duplices, cuicumque aliquid abftulerint, fi fecundùm exemplum Zachæi non poffunt in quadruplum, vel fimplo reftituant. Nam nefcio quâ fronte gratiam mifericordiæ fe credit poffe accipere, qui res alienas, quas malè abftulit, diffimulat reformare Sed forte oportet hoc etiam competentibus obfervare, ut, fi agnofcant fe, perfuadente Diabolo, furtum, homicidium, aut adulterium*

commisisse, aut si aliqua Mulier competens potiones diabolicas aliquando ad aborsum accepit, & filios suos adhuc in utero positos, aut etiam natos occidit, quia satis grave peccatum est, pro omnibus his cum gemitu, & compunctione Dei misericordiam quærant, & ad Baptismi Sacramenta per Pœnitentiam mundati perveniant, & hoc ante omnia quicumque se has culpas habere vident, observent ut castitatem & ante baptismum custodiant, & post baptismum non parvo tempore, se à voluptate custodiant &c. Quænam occasio gravissimis pœnis imponendis, aut saltē consulendis aptior dari poterat? Ibi tamen & per totam homiliam in vitæ mutatione & solâ animi resipiscentiâ subsistit.

Quid verò actum fuisse putas, si competens baptismati admovendus grave aliquod crimen perpetrabat? Speciem hanc ponit S. Augustinus, & definit. *Quia omnes Competentes uterus Matris Ecclesiæ Christo inspirante concepit, nihil injustum aut inhonestum exerceant, nefortè malè agendo viscera materna concutiant, & ante legitimum partum velut aborsum eos Mater sancta projiciat. Sed magis omnes Competentes benigni sint, humiles.. &c.* Expellit eos Ecclesia à Congregatione suâ, ne ipsi criminum cœno infecti & polluti, alios Competentes, & Catechumenos polluant, verùm de pœnitentiæ seu laboriosorum operum impositione altum silentium.

Idem quoque nos disertissimè docet S. Chrysostomus, homil. 21. ad Populum Antioch. quæ est ad illuminandos sive Competentes. Proponit illis primum difficultatem gratiæ recuperandæ in baptizatis, deinde subdit. [c] *Propterea & priùs dixi, & nunc dico, & dicere non desistam, si quis morum vitia non correxit, nec sibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lavacrum abluere potest: timor autem non parvus, & periculum non mediocre, ne rursum ad eadem redeamus, &*

c Διὰ τοῦτο καὶ πρώην εἶπον, καὶ νῦν λέγω, καὶ λέγων οὐ παύσομαι, εἴ τις τὰ ἐλαττώματα τῶν τρόπων μὴ διώρθωσε, μηδὲ παρεσκεύασεν ἑαυτῷ τὴν ἀρετὴν εὔκολον, μὴ βαπτιζέσθω· τὰ μὲν γὰρ πρότερα ἁμαρτήματα ἀποπλῦναι δύναται τὸ λουτρόν· δέος δὲ οὐ μικρὸν καὶ κίνδυνος οὐχ ὁ τυχὼν, μήποτε πάλιν πρὸς αὐτὰ ἐπανέλθωμεν, καὶ γένηται ἡμῖν ἕλκος τὸ φάρμακον· ὅσῳ γὰρ μείζων ἡ χάρις, τοσούτῳ πλείων ἡ κόλασις τοῖς μετὰ ταῦτα ἁμαρτάνουσι. &c.

vulnus nobis fiat de Medicinâ. Quantò namque major Gratia, tantò amplior postea peccantibus pœna &c. d *Quod enim oporteat prius pœnituisse, & a prioribus destitisse malis, & sic ad gratiam accedere, audi quid Joannes dicat; quid verò princeps Apostolorum baptizari debentibus &c.* e *Pœnitentiam autem agens, non amplius eadem attingit negotia, quorum pœnituit; proptereaque jubemur dicere, Abrenuntio tibi satana, ne amplius adipsum revertamur.* Multis eamdem pœnitentiam prosequitur, variisque inductionibus docet quomodo sit agenda illa pœnitentia, sed ubique eò semper tendit à peccatis esse desistendum, ab iis resipiscendum, ut nos suscipiendo baptismo legitimè præparemus.

Consequitur igitur verissimum esse illud perpetuum SS. Patrum & Theologorum effatum, gratiam per baptismum gratuitò dari, nullo nostro labore & sudore; Pœnitentiam verò baptismum esse laboriosum, lachrymarum, fletuum, nec unquam Patres huic effato contrarium asseruisse: De omnibus Catechumenorum gradibus intelligi posse hæc verba S. Pauli. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Cum in nullo Catechumenatûs gradu peccantibus, pœna fuerit unquam imposita, de quo judicio certum est Apostolum eo loco verba facere; Rectè itaque Concilium Tridentinum pronuntiasse; *Constat certè baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt judicare?*

Quanquam non incommodè ab Apostoli verbis excipi possint secundæ & tertiæ, & potissimùm tertiæ stationis Catechumeni. Tantis enim vinculis cum Ecclesiâ cohærent, ut foris esse dici vix possint. Quâ ratione enī foris esse, & ad Ecclesiam non pertinere dixeris, quos Ecclesia formatos & vivos jam jam paritura est, ut de competentibus præsertim loqui solent

d Ὅτι γὰρ δεῖ πρότερον μετανοήσαντας, καὶ τῶν προτέρων ἀποστάντας κακῶν, οὕτω τῇ χάριτι προσιέναι, ἄκουσον τί μὲν Ἰωάννης φησὶ, τί δὲ ὁ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος τοῖς βαπτίζεσθαι μέλλουσι &c.

e Ὁ δὲ μετανοῶν οὐκέτι τῶν αὐτῶν ἅπτεται πραγμάτων, ἐφ' οἷς μετενόησε. διὰ τοῦτο καὶ κελευόμεθα λέγειν, ἀποτάσσομαί σοι σατανᾶ, ἵνα μηκέτι, πρὸς αὐτὸν ἐπανέλθωμεν.

antiqui Patres? Quod ad Concilium Tridentinum attinet, quod huic interpretationi contraire videtur, dici posset, ad morem, qui nunc viget, spectare, juxta quem nihil amplius de illâ antiquâ disciplinâ observatur. Vel etiam Concilii verba de judicio Ecclesiastico coactivo intelligi possunt, quod in privatione Sacramentorum, & in reali pœnarum certarum citra sanguinem inflictione consistit. Manifestum est ministrum baptismi neutro modo punire posse.

Perpendat nunc apud se Lector, quantum discrimen antiqui Patres constituebant inter peccata ante & post baptismum commissa: quantâ facilitate ista, quantâ difficultate hæc remittebant: Unum è præcipuis Theologiæ ipsorum capitibus in eo discrimine dignoscendo, enarrando & fidelium auribus inculcando positum fuisse: universam denique Ecclesiæ autoritatem & jurisdictionem ab istius discriminis usu & praxi pendere: diligenter ideo cavendum, ne isto discrimine insuper habito, pœnitentiâ ut baptismo peccata remittantur. Hac enim rerum distinctissimarum tam præposterâ confusione, disciplinæ Ecclesiasticæ vigor omnis & autoritas facilè dissolverentur, nec judicij majestas in confessione augustiùs quam in baptismo fulgeret.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Enarratur quâ ratione, quibusve gradibus omnis illa circa Catechumenos & competentes disciplina sensim obsolevit, donec circa annum 1200. *penitùs extincta est.*

CUM eorum, quæ de Catechumenis diximus, vix nunc extent aliqua vestigia, adnotandum nobis superest, quando, quibusve gradibus, & occasionibus paulatim ista cessarunt. Primò jam animadversum est speciales Catechumenorum Doctores, circa aut paulò ante S. Augustini ætatem constitui desuetum esse, & consequenter Catecheses Catechumenorum speciales, toto Catechumenatûs stadio, antequam compe-

tentium numero aggregarentur, fieri solitus. Ab eo enim tempore nulla istorum specialium Do orum seu Catechistarum mentio. Interea tamen permanebat mos ille Catechumenorum ab Ecclesiâ dimittendorum, cùm Missarum solemnia inchoabantur, subsistebatque Catechumenatus, sive Catechumenorum Tyrociniũ, quo durante profectus & constantiæ eorum in fide & probis moribus specimen, antequam ad baptismum admitterentur, capiebatur. Trecentis post annis, hoc est, circa aut paulò post annum septingentesimum, secundus ille ordo Catechumenorum sublatus est. Illius tollendi & extinguendi occasio fuit, Catechumenorum adultorum penuria: deficientibus enim Ethnicis, & differendi baptismatis consuetudine prorsùs ex hominum animis deletâ, contigit ad baptismum solos Infantes offerri. Propterea cum supervacaneum esset tyrocinium illud, paulatim, nullo Canone interveniente, sed tacito omnium consensu in desuetudinem abiit. Desuetudinem illam tempori assignato convenire efficax argumentum est, autorum, qui ab annis prope nongentis de ritibus Ecclesiæ scripserunt, silentium. Quamobrem enim hunc ritum, si tum usurpatus fuisset, non adnotassent? Deinde nec ordo Romanus, nec Sacramentaria, licet eorum exemplaria supersint, annos septingentos, octingentos, atque etiam nongentos superantia, Catechumenorum dimissionem referunt, quod sane ritus abrogati certissimum est documentum. Denique Ordinem Romanum editum sæpius citant, atque ab eo exscribunt nonnullas sectiones Amalarius, & alii Autores, qui ab annis octingentis scripserunt. Unde necessarium est libellum illum ante annos octingentos in Ecclesiâ Occidentali vulgatum fuisse. Cum igitur ritus omnes illius temporis sigillatim & minutim explicet, & eos præsertim, qui ad Missam quocumque anni tempore solemniter celebrandam pertinent, plane necessarium est ante illud tempus Catechumenatum fuisse abrogatum.

In Ecclesiâ Orientali tardiùs abrogatus est, nam, ut demonstratum est, hactenus in singulis eorum Liturgiis funditur super Catechumenos oratio, eâque fusâ, antequam fidelium orationes inchoentur, solemniter dimittuntur: Omnino igitur certum videtur, cum fuerunt âpud eos Catechumeni

adulti, ordinariis precibus eos expiasse, sicque ut in primæva Ecclesia expiatos dimisisse. Nullo modo enim probabile est, eos cum nulla esset occasio breces & dimissionem solemnipre pronuntiasse; cum verò datatur, non pronuntiasse.

De competentibus verò, seu tertio Catechumenorum Ordine, dispar omnino ratio est, Annis enim mille supra ducentos conservata est in Ecclesiâ Latinâ disciplina hactenus à nobis explicata. Erga enim ipsos Infantes, nedum erga adultos, observata sunt septem scrutinia, de quibus antea loquuti sumus, & facto septimo scrutinio in nocte magni Sabbati, vel in vigiliâ Pentecostes, baptizati sunt Infantes,& adulti qui fuerunt.

Licet autem horum rituum magna pars, ea præsertim, quæ doctrinam respiciebat, nec non aliarum ceremoniarum multis diebus repetita iteratio adultos præsertim spectaret; nihilominus cessante adultorum baptismo, iidem ritus multis sæculis continuati sunt, donec tandem post mille ducentos annos ubique in Europâ abrogati sunt, ut & solemniter celebrandi in Paschate & Pentecoste baptismi consuetudo. Ritus istius continuationem in ea tempora nunc demonstremus. Omnes istos ritus anno millesimo usurpatos fuisse convincit ipse ordo Romanus editus. Codices enim, juxta quos editus est, eo sæculo non esse antiquiores, imò posteriores, nonnulla, quæ in eo leguntur, demonstrant, ut coronatio Reginæ atque unctio, & Militis benedictio. Miles enim eo loco pro nobili & equite accipitur; quæ nominis acceptio post illud tempus usurpata est.

Pluribus hoc probandum: ab anno octingentesimo ad nongentesimum totius istius ritus observationem diligenter conservatam fuisse, ex pluribus illius temporis Conciliis colligitur. Concilium Parisiense sub Ludovico & Lothario anno 829. celebratum lib. 1. c. 7. acritèr in eos invehitur, qui sine periculi necessitate, alio tempore baptizabant, quàm Paschatis & Pentecostes festivitatibus; atque ideo referunt & renovant Sanctorum Leonis & Gelasij super hac re decreta,quæ eo capite legi possunt. In Concilio Vormatiensi celebrato anno 868. c. 1. idem edicitur. *Sacrosancti baptismi Sacramentum, non nisi in Paschali festivitate & Pentecoste unusquisque fidelium, noverit esse præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente*

periculo, ne in æternum pereant, &c. Concil. Moguntinense. 1. ſub Rabano c. 3. *Sacramenta baptiſmatis volumus, ut concorditer atque uniformiter in ſingulis Parochiis ſecundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conſerventur, ideſt, ſcrutinium ad ordinem baptiſmatis, ſicut in Decretis Leonis Papæ ſub duobus continetur Capitulis.* Referunt illa duo capitula, quibus aliud Syricii ſubjungunt. Concilium Triburienſe habitum ann. 895. c. 12. Hoc eſſe ita faciendum probat, & autoritate S S. Leonis & Syricii, & nonnullis rationibus. Apud Burchardum c. 96. lib. 4. refertur hic Canon ex quodam Concilio Romano. *De ſcrutinio faciendo decrevimus, ut in Epiſcopiis, & ubi conventus eſt populi & Cleri, & poſſibilitas permittit, ibi celebretur.* Quo tempore celebratum fuerit hoc Concilium Romanum neſcio; ex modo tamen de his ſcrutiniis loquendi, facilè colligitur, multò eſſe præcedentibus Conciliis poſterius.

Burchardus decretum ſuum ſcribebat anno 1020. & Ivo Carnutenſis circa finem illius ſæculi, aut ſequentis initio. Burchardus tamen lib. 4. & Ivo parte 1. præcedentes Canones de ſcrutiniis agendis, & baptiſmi celebrandi temporibus retulerunt, non ſecus ac cæteros, ſecundum quos, Sacramentorum ritus & Eccleſiæ diſciplina obſervari debent Ne autem exiſtimes curioſitatis aut oſtentationis ergo, Burchardũ, Ivonem, & alios Epiſcopos Decretorum & Canonum collectiones tam diligenter elaboraſſe; longè alium ſcopum ſibi propoſuerunt, ut in eorum præfationibus legere eſt, atque ex collectionum materiâ, & ordine demonſtratur, ut ſcilicet Epiſcopos & Preſbyteros docerent quâ ratione Sacramenta adminiſtrarent, judicia Eccleſiaſtica exercerent, & quæcumq; ad Eccleſiæ diſciplinam pertinent, diſponerent. Omnes, quotquot fuerunt, ad annum ducenteſimum ſupra milleſimum, qui Canones variâ methodo collegerunt, in id propter eumdem finem incubuerunt, atque etiam ipſis teſtibus, ut diſciplinam collapſam, quantum fieri poſſet, juxta antiquam formam reſtituerent. Ejuſdem conſuetudinis alterum & efficaciſſimum argumentum, quod cum illis aliquod dubium proponebatur, ſtatim, ut illud ſolverent, ad Conciliorum Canones, Pontificum decreta, & antiquorum Patrum reſponſa recurrebant, ut juxta illorum Senten-

Sententiam, quantumcumque ſevera eſſet, quæſtionem definirent. Sed de his infra ſpeciali capite agemus.

Habemus præterea Ivonem hunc morem ſui temporis disertè teſtantem & explicantem Sermone 1. qui in Synodo habitus eſt. *Inde eſt, quod qui in Sabbato Sancto ſunt baptizandi, quartâ hebdomadâ quadrageſimalis obſervantiæ, quæ continentiæ nobis arma miniſtrat, & quartâ ejuſdem hebdomadæ feriâ, Catechizandi, & exorcizandi deferuntur ad Eccleſiam, ibi audituri, & inſtruendi, qualiter contra ſpirituales nequitias ſint pugnaturi: ſed tamen uſque in Sabbatum Paſchale baptiſmus eorum differtur, hoc attendente Eccleſiâ, quia qui ad agonem in præſenti vitâ vocantur, in ſpe futuræ quietis baptizantur &c,* Idem colligitur ex Ivonis verbis, quæ eodem loco ſequuntur. *Notandum ergo prius eſt, quomodo baptizandus in utero Matris Eccleſiæ puer concipiatur, quibus alimentis uſque ad nativitatem novi hominis, in eodem utero nutriatur. Tria quippe ſunt quibus uſque ad indumentum novitatis, baptizandus concipitur, alitur, & uſque ad novitatis integritatem provehitur, Catechiſmi ſcilicet, exorciſmi & orationes.* Manifeſtum eſt ita dici non poſſe de re, quæ ſimul & ſemel, & horulæ ſpatio ſic tota confertur, ut nihil ampliùs agendum ſuperſit.

Nihil clariùs & evidentius Honorii Auguſtodunenſis teſtimonio. Scribebat in Galliis vir ille, ut teſtatur Trithemius anno 1120. Quatuor libros ſcripſit de divinis Officiis, quos inſcripſit, *Gemma animæ*, quibus de ſingulis Miſſæ & Horarum Canonicarum & eorum, quę ad hæc pertinent, ceremoniis varias rationes reddit. Ubique autem ea perſequitur, quæ ſuo tempore uſurpabantur: nonnunquam, ſi quid Romæ diverſum agatur vel ab antiquo ritu diſcrepet, adnotat. Lib. igitur 3. Capitulo 53. & ſequentibus, omnes ſcrutiniorum ritus ſigillatim explicat, ſemperque ut de aliis Miſſæ ceremoniis, tanquam de præſenti praxi loquitur. Cap. 52. Officium mediæ Quadrageſimæ enarrat cap. 52. ſic incipit. *Quod hac ſeptimanâ ſcrutinium agatur hac cauſa videtur &c. Ita & nos hac Hebdomada credentes ab incredulis ſegregamus, & eos noſtræ Religioni deputamus.* Cap. 54. *Propter tres cauſas fit ſcrutinium in quartâ feria &c.* Cap. 55. *Primò Infantes ad januam Eccleſiæ deferuntur, & Maſculis à dextris, fœminis à ſiniſtris ſtatutis, ab Acolytho nomina ſcribuntur eorum &c.* Cap. 61. *Seorſim Maſculi, ſeorſim fœminæ exorcizantur, quia &c.* Cap. 65. *Hoc ſcrutinium ſepties ante Paſcha agitur, quia hoc ritè per ſeptem dona ſpiritus S. perficitur.* Cap. 66. *Poſtquam introducti fuerint Catechumeni, ſunt Maſculi in Auſtro, Fœminæ in Aquilone ſtatuendæ &c. Tunc duo Infantes unus è Maſculis, alter*

è Fœminis ab Acolytho in sanctuarium deferuntur. Credo in unum, super Masculos Græcè, super fœminas latinè decantatur. Nonnullæ ibi ceremoniæ suæ regioni peculiares ab eo enarrantur. Postea cum ad officium sabbati sancti pervenit, tinctionis ipsius ritus explicat.

Rupertus Abbas Tuitiensis, qui paulò post Honoriū celebris fuit in Germaniâ primùm, deinde per universam Ecclesiam lib. 4. de divinis officiis cap. 13. *Inchoatur autem* (Dominicæ Passionis celebratio) *à Catechumenis nostris, scilicet feriâ quartâ, quando celebramus scrutinia, quæ quam habeant rationem, vel cur eâ potiùs die celebrentur, posteriùs dicemus.* Quid igitur dicat attendamus. Perspicuè enim & sui temporis consuetudinem, & quantùm ab antiquiori deflexerit, disertis verbis positâ Comparatione & differentiâ enarrat. Cap. ejusd. lib. 18. & sequent. Sic scribit: *Feriâ quartâ sacramenta, quæ nova Ecclesiæ propria sunt, inchoantur, quibus sacrosancta Redemptoris nostri Passio, venerabili ritu sanctæ Ecclesiæ, in filiis adoptionis sanctam novitatem spiritus operando figuratur. Hac enim die Catechumeni nostri ex antiquâ traditione sanctæ Romanæ Ecclesiæ signantur, ut sacrosanctâ solemnitate nostræ redemptionis, ex aquâ & Spiritu Sancto renascantur. &c.* & paulò post antiquæ praxis à novâ differentiam his verbis explicat. *Moris quippe erat olim in S. Ecclesiâ non alio tempore regenerationis hujus celebrari Sacramentum, nisi in his, quibus, fortè superveniente infirmitate vel ægritudine, mortis immineret periculum.* Deinde refert quomodo instituebantur, & differebantur ad Paschalem usque solemnitatem: *At*, inquit, *postquam Christianitas crevit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat, tantam multitudinem differre, propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ sunt; maximè propter turbam Infantium ex Christianis Parentibus succrescentium, quorum teneravita persæpe levi occasione succiditur. Visum est S. Ecclesæ passim indulgentiâ baptizandi concessâ, imò oblatâ cuncta ante venire pericula, baptismi tamen solemnitatem vel in paucis cum Dominicâ Resurrectione, cui similis est, celebrare. Quartâ ergo feriâ novæ Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur scrutinia &c.* C. 19. rationem reddit quare quartâ feriâ potiùs quàm quintâ vel sextâ maximum scrutinium agitur. Cap. autem sequente ex ordine Romano demonstrat, antiquam esse observationem istam, & non nudius tertius natam. Capite vero 21. totius Missæ illius diei ordinem, qui Catechumenorum proprius est, & perpetuam ad eos relationem habet, sigillatim explicat.

Idem quoque observabatur anno 1150. ut hujus rei testis est Hugo à S. Victore, qui ante & post

hoc tempus maximâ cum doctrinæ & pietatis famâ Parisiis floruit. Sic ille cap. 17. lib. 1. de Sacrament. &c. *Notandum etiam, quod Baptizandi in Sabbato Paschali quartâ feriâ quartæ hebdomadæ Christianæ militiæ, id est, quadragesimæ, deferuntur ad Ecclesiam, ut exorcizentur, & Catechizentur &c. Et quia prædictâ quartâ feriâ de fide inquiruntur, & instruuntur; ideo dies illa, dies scrutinii; & officium illud, scrutinium appellatur. Vocantur autem prædictâ die per Lectionem, quæ præcedit Epistolam, quæ & ipsa de aquis baptismi est, &c.* Ista postea persequitur lib. 2. eruditionis Theologicæ p. 6. c. 8. eadem non minus evidenter docet. & c. 9. postquam docuit, antiquitùs diù Catechumenos in fide institutos, ut propriò arbitrio crederent. Ait etiam nunc eamdem formam observari, sed providâ Ecclesiæ dispensatione baptismum non differri, hoc est, non expectari, donec propriâ credant voluntate. Ante igitur illud tempus, eadem quæ adultis fieri solebant, infantibus fiunt, hæc nimirum quæ paulò ante scripserat; *in quartâ ejusdem Hebdomadæ feriâ Catechizandi deferuntur ad Ecclesiam, ibi audituri & instruendi qualiter contra spirituales nequitias sunt pugnaturi. Sed tamen usque in Sabbatum Paschalis solemnitatis, eorum baptismus differtur.* Verum tunc temporis pauci quidam infantes ad Paschalis solemnitatis celebrationem reservabantur, ut officium Ecclesiasticum, quod scrutinia & baptismum prærequirit, fundamentis quibus superstruitur, non fraudetur.

Nec tantum eo tempore vigebat mos ille scrutiniorũ antiquus, verum etiam ille Eucharistiæ statim post baptismum infantibus tradendæ nondũ obsoleverat. Sic ille c. 20. *Unde si ejus valetudinis est, Sacramenta unitatis, idest, Corpus & Sanguinem Christi accipere debet. Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.* Hoc probat autoritate Sancti Augustini, quâ relatâ, colligit, *ergo si sine periculo fieri potest, juxta primariam Ecclesiæ institutionem Sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Unde ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum, quod penitùs supervacaneum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reservando sanguinem Christi, vel ministrando pueris, immineat periculum, potius supersedendum videtur.*

Antequam huic lucubrationi de comparatione pœnitentiæ cum baptismo, & Ecclesiæ jurisdictione atque disciplinâ in Catechumenos finem imponam, monitum te lector velim, quantâ diligentiâ Ecclesia antiqua atque etiam recentior, hanc scrutiniorum in bapti-

zandos exercendorum disciplinam procuraverit, & quantâ severitate, cum collabebatur, instauraverit. Non producam SS. Syricii, Leonis, Gelasii Pontificum, aliorumque antiquiorum testimonia. Quis enim de illo tempore dubitare posset? Sed testes longe recentiores: nuda eorum verba, quia sunt expressissima, referemus. Concilium Matisconense 2. c. 3. ita statuit. *Relatione quorumdam fratrum nostrorum comperimus, Christianos non observantes legitimum diem baptismi, penè per singulos dies ac natales Martyrum filios suos baptizare, ita ut vix duo vel tres reperiantur in sancto Pascha, qui per aquam & Spiritum Sanctum regenerentur. Idcirco censemus ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos quos infirmitas nimia aut dies extremus compellit, filios suos baptismum percipere, ideoque præsentibus admonitionibus à suis erroribus, vel ignorantiâ revocati, omnes omnino à die quadragesimâ cum infantibus suis ad Ecclesiam observare præcipimus, ut impositionem manus certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti regenerentur.*

Altisiodorense Concilium anno 590. celebratum ejusmodi Canonem tulit adversus quosdam, qui antiquitus statuta baptismo tempora observare negligebât, Canon est 18. *Non licet absque Paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos Grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit, in Ecclesias nostras non recipiantur usque ad satisfactionem. Et quicumque Presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere præsumpserit, tribus mensibus à communione Ecclesiæ sequestratus sit.*

Toletanum Concilium 17. quod annis centum & quatuor Antisiodorensi posterius est, testatur can. 2. ex antiqua consuetudine initio quadragesimæ baptisteria claudi ab Episcopo, ne quadragesimali tempore, extra urgentissimam necessitatem baptismus celebretur, & ab eodem in die Cœnæ Domini recludi. Hoc explicato subjicit. *Quia in aliquibus Ecclesiis minimè hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur, atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus, atque decernimus, ut ita à totius Hispaniæ & Galliarum Pontificibus custodiatur, quatenus in prædicto die, initii videlicet quadragesimæ & ostia Sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum signaculo obsignentur; ita ut nisi in Cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debeant ostia reserari.* Ex Can. citato Concilii Matisc. & Toletani colligi videtur moris tùm fuisse totâ quadragesimâ nascentes, in Sabbatum Sanctum baptizandos reservare, & à mediâ quadragesimâ in eum diem Catechismis, exorcismis, & manuũ impositionibus supponendos.

J. MORINI
ORATORII DOMINI JESU PRESBYTERI.
EXERCITATIO DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

De Sacramento Confirmationis quàm poterimus breviſſimè acturis quatuor nobis occurrunt explicanda; Quæ materia, quæ forma, quis Miniſter, & quis effectus? Hæc autem ex antiquis traditionibus, Patrum teſtimoniis, Eccleſiarum celebrium conſuetudine more noſtro demonſtrabimus. Sacramenta enim Juris ſunt poſitivi, ut potè ceremoniæ à Chriſto immediatè, aut per Apoſtolos & Eccleſiam inſtitutæ. Itaque non ingenio aut ratione noſtrâ diſponendæ, ſed ex præſcriptis ſacræ ſcripturæ, traditionis, Eccleſiæ conſuetudine verbis dijudicandæ. Quo ſemel ſic facto & ſic demonſtrato, rationes quidem ſubjici poſſunt, ob quas ritus illos, ſeu ceremonias ſic inſtitui conveniebat. Rationibus verò has ceremonias eſſe ſubſtantiales, illas acceſſorias; formulas hoc modo eſſe enuntiandas, non illo, antiquâ Eccleſiæ conſuetudine non attentâ, demonſtrare velle, id eſt, quod vulgato proverbio fertur. ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει. Sed de hac agendi præpoſterâ ratione jam ſupra ſatis ſuperque dictum.

CAPUT PRIMUM.

De materiâ proximâ Sacramenti Confirmationis. Varia Græcorum & Latinorum consuetudo. Hæc ab Alexandrinis & Æthiopibus, illa à Syris usu approbata.

DE materiâ Sacramenti Confirmationis quadruplex est apud Theologos sententia. Prima solam manuum impositionem constituit hujus Sacramenti materiam: secunda impositioni manuum jungit Chrisma. Tertia soli chrismati materiam attribuit, quæ videtur multorum esse Theologorum. Cum enim de hujus Sacramenti materiâ verba faciunt, manuum impositionis nullam mentionem faciunt. Postrema verbo tenus eadem est cum secundâ, reapse tamen ipsi opponitur. Fert enim hujus Sacramenti materiam esse Chrisma cum manuum impositione; sed eam manuum impositionem intelligit, quæ ab applicatione Chrismatis non differt. Ita ut ungendo secundum illos manum imponat. Itaque hæc quarta sententia à tertiâ non differt, nisi quod manuum impositionem sibi fingit, ubi nulla est illius species, aut vestigium.

De hac quæstione pronuntiaturi Græcos à Latinis separabimus; alii enim ab aliis diversas consuetudines ab ipsis Ecclesiæ incunabulis sectati sunt. Video enim Latinos secundam sententiam amplexos esse, tertiam Græcos: Alexandrinos vero & Æthiopes, Latinos hac in causâ imitatos; Syros autem, Græcorum Ecclesias. Latini enim ab exordio Ecclesiæ per manuum impositionem juncto Chrismate hoc Sacramentum contulerunt; Græci autem omissâ manuum impositione, per solam Chrismatis unctionem. Utrumque pronuntiatum, quod ex attentâ antiquorum testimoniorum consideratione nobis videmur collegisse, nunc est demonstrandum.

CAPUT SECUNDUM.

De materiâ Sacramenti Confirmationis in Latinâ Ecclesiâ.

LATINI Chrismationem impositioni manuum conjunxerunt in Confirmationis Sacramento. Utriusque passim mentionem faciunt autores Latini. Celebre est Tertulliani testimonium c. 8. libri de resurrectione carnis: *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut & anima muniatur; caro manûs impositone adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur*. Evidens est testimonium. Sic & cap. 7. de baptismo. *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione, de pristinâ disciplinâ, quâ ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant &c.* Et c. 8. *dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.* Non rem novam explicat Tertullianus, sed antiquam, & in Ecclesiâ Affricana suo tempore observari solitam. Ita quoque S. Cyprianus Epist. 72. ad Jubajanum. *Illi qui in Samariâ crediderant, fide verâ crediderant, & intus in Ecclesiâ, quæ una est, & cui soli gratiam baptismi dare, & peccata solvere permissum est, à Philippo Diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat. Sed tantummodò quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habitâ, & manu impositâ invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manûs impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*, signaculo post manuum impositionem consummari, est sacro Chrismate ungi, quod signaculum dicitur, nam sacrum illud unguentum fronti ad figuram crucis illinitur; ideoque à Græcis σφραγὶς antonomasticè dicitur. Utrumque suprà expressit Tertullianus, unguenti scilicet συνοδῶ fronti applicationem, *caro ungitur, caro signatur &c.*

Idem de præscript. c. 40. docens Diabolum mysteriorum Christi simiam esse, *Tinguit &*

ipse quosdam, utique credentes & fideles suos &c. signat illic in frontibus Milites suos, celebrat & panis oblationem &c. Tria sunt Sacramenta, quæ non modo ex usu Ecclesiæ antiquæ, sed etiam annis mille & ultra successivè quidem, sed statim dari solita erant: qui mos etiam nunc in Oriente observatur. Signare igitur, ibi est crucem unctione delineare, quod confirmat Epithetum Militis. Nam Sacramento Confirmationis fidelis armatur, ut pro Christo certamen inire possit. Exacte igitur Tertullianus allusionem persequitur, baptismus facit fideles, Confirmatio Milites.

Similiter Cornelius Papa eodem tempore ad Fabium Antiochenum scribens, apud Eusebium lib. 6. cap. 43. de Nonnato inquit: [a] *In lecto, in quo decumbebat, aquâ circumfusus baptismum accepit &c. Verùm morbo tandem elapsus, neque cætera, quibus post baptismum, secundum Ecclesiæ Canonem, imbui oportuerat, acquisivit,* ἤδη τοῦ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, *neque ab Episcopo obsignatus est, quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæso, Spiritum Sanctum adeptus est?* Ex usu igitur illius temporis signaculum & signare, pro Chrismate accipiuntur. Hæc acceptio posterioribus sæculis non fuit minus infrequens, ut ex subjectis alium in finem testimoniis constabit.

[b] Concilium Eliberitanum, quod ferventibus persecutionibus, atque, ut mihi videtur, ante Cornelium Papam, sed post Zephirinum celebratum est c. 38. manûs impositionis in eo Sacramento meminit. *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit.* Concilium Arelatense 1. c. 8. decernit, ut Arianis, si constet eos *in Patre & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatos, manus tan-*

a Ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν. εἴγε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι, οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε.

b Ante Cornelii tempora Concilium Eliberitanum haberi non potuit. Interfuit enim ei Hosius Cordubensis Episc. qui ad finem ferè Imperii Constantii, hoc est, ad ann. ferè 360. vixit atque adeo ante an. 254. quo Pontificatum gessit Cornelius, Episcopus esse non potuit. Habitum est Conc. illud an. 305. aut sequenti, paulò ante quam in Hispania & Gallia, ubi rerum potiebatur Constantinus Magnus, Christianis pacem dedisset.

tùm imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum.

Arelatense verò secundùm c. 17. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quod sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, dum interrogati, fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate & manûs impositione in Ecclesiâ recipi sufficit.* Hinc duo colliguntur, prius, particulam, *tantùm*, in priori Concilio adhibitam esse à Patribus, ad excludendam Baptismi iterationem, non autem unguenti cum manuum impositione delibutionem. Posterius, licet aliquando in uno Canone, aut in aliquo testimonio Patris Latini, manûs impositio, omisso signaculo aut Chrismate; aut signaculum & Chrisma, omissâ impositione manûs commemoretur, Synecdochen esse, & unum altero contineri. Vides enim quod Concilium primum Arelatense tribuit manuum impositioni, secundum utrique tribuere. Sic vidimus, quod bis evidentissimè Tertullianus tribuerat utrique, alibi signaculo dare., omissâ manuum impositione, sic quoque quod Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum tribuit utrique. Epist. 70. ad Januarium, omissâ similiter manuum impositione unctioni tribuit: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Ratio est, quod aliquando festinanter scribentes, primum, quod occurrit, exprimunt; altero, quia res est notissima, omisso. Idem iterùm infra non modo in diversis, sed in uno & eodem autore lector animadvertet. Sufficit hoc semel adnotasse.

Ista præclarè nobis exhibet Optatus l. 4. adumbratum ostendens in baptismo Christi nostrum baptisma. *Descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda & ordinanda & implenda baptismatis. Lotus cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii &c. Apertum est Cælum, Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine Columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum; unde cæpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre. Cui, ne manûs impositio defuisse videretur, vox audita Dei de nube dicentis; hic est filius meus, de quo benè sensi, hunc audite.* Et lib. 7. demonstrans adversus Donatistas, Macharium quemdam Episcopali officio non esse functum, sic colligit: *Igitur cum nec salutaverit, antequam aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit,*

postquam locutus sit, nec manum impofuerit, nec sacrificium Deo [illegible] Episcopali obtulerit, quid est, quod dicitis, pollui potuisse Episcopale Collegium? De Chrismate, quod, ut ait, Spiritui Sancto sedem præparat, paulò ante egerat, quem locum infrà referemus.

S. Ambrosius c 6. lib. 2. de initiandis, explicato baptismo c. 5. sic scribit. *Post hæc utique ascendisti ad Sacerdotem, considera quid secutum sit, nonne illud, quod ait David: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, hoc est, unguentum de quo & Salomon ait; unguentum exinanitum est nomen tuum.* c. verò 7. *Accepisti post hæc vestimenta candida &c.* quæ cum multis allegoriis variè explicat, ut etiam pedum lotionem, quæ ceremonia Ecclesiæ Mediolanensi peculiaris erat, tandem in fine capitis refert illud ex Cantico Canticorum c. 7. *Pone me ut signaculum &c. aqua multa non potuerunt extinguere Charitatem.* Cujus rei rationem reddit his verbis: *Unde? repete, quia accepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ & intellectus &c. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Cap. 8. explicat allegoricè suo more ritum communicandi recentèr confirmatos & baptizatos. *His abluta plebs dives insignibus ad Christi conscendit altaria &c.* Eadem cap. 1. 2. & 3. lib. 3. de Sacramentis, explicato c. 1. baptismo, sic incipit c. 2. *sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris, septem quasi virtutes Spiritus &c. Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris.* His verbis atque invocatione Sacerdotis contineri manuum impositionem manifestum est, cum constet ex antiquis & recentioribus ritualibus, atque ex divinorum officiorum autoribus, verba, quæ hic refert sanctus Ambrosius & supra retulit, eadem esse, quæ profert Pontifex, cum manus habet super confirmandorum capita impositas. Et cap. 3. *Et post hæc quid sequitur? venire habes ad altare &c.* Lib. 6. c. 2. de Sacramentis, multis iterùm de hac re agit, ibique disertè docet unctionem in crucis formam fieri solitam, *Ergo unxit te Deus, signavit te Christus, quo modo? quia crucis ipsius signatus es forma ad*

illius passionem; accepisti signaculũ ad illius similitudinẽ ut ad ipsius formã resurgas, &c. Et paulò post. *In baptismate quasi specialiter crucifigeris Christo: deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum.* Signaculi istius significationẽ à significatione baptismi iterum distinguit lib. 1. de spiritu S. c. 6. *Sicut in Christo morimur, ut renascamur: ita etiam in spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus & gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum. Nam & si specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur &c.*

Sanctus Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos inducit Luciferianum sic objicientem: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum &c.* Respondet sanctus Hieronymus, *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat &c.* Rem eamdem postea pluribus explicat, & Chrismatis mentionem facit.

De sancto Augustino jam multa verba fecimus ex cap. 26. lib. 15. de Trinitate, ostendimusque evidenter eum nos docere in confirmatione Spiritum Sanctum dari Episcopali manuum impositione & invocatione; sed tum transilivimus nonnulla verba, ut scopo nostro non necessaria, quibus docet manuum impositioni unctionem fuisse conjunctam, quæ nunc exscribimus. *Propter hoc & Dominus ipse Jesus Spiritum Sanctum non solùm dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est plenus gratiâ, & manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum. Quoniam unxit illum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Et lib. 2. contra Literas Petiliani c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Tractatu verò sexto in Epistolam 1. Joannis ad finem, de eodem Sacramento verba facit, omissâ Chrismatis mentione.

Plurima sunt alia Sanctorum Patrum, his posteriorum, qui in eodem Sacramento utriusque & manuum impositionis, & Chrismatis, aut eodem loco, aut diversis locis mentionem fecerunt, quorum exscri-

ptio&mihi &lectori tædiũ crearet; ea breviter adnotare sufficiet. S. Innocentius, 1 Epist. 3. ad Decentium. S. Leo Epist. 79. [a] c. 7. & 37, [b] c. 2. & Epistol. 88. [c] S. Gregorius lib. 3. Ep. 9. & lib. 11. Epist. 22. & homil. 17. in Evangel. ad finem. Joannes III. Epistol. ad Episc. [d] Galliæ & Germaniæ. Gregorius III. Epist. 2. ad Bonifacium, Innocentius III. Epist. ad L. Vicarium apud Constantinopolim, & alia Epistola Patriarchæ Constantinopolitani. His Pontificibus addendi sunt Eusebius Ep. 3. Melchiades ad Episcopos Hispaniæ, & Damasus Epist. 4. [e] ubi de Chorepiscopis agit. Eucherius Lugdunensis [f] homiliâ in die Pentecostes, Primasius in cap. 13. Epistolæ ad Hebræos. Haymo in fer. 2. Paschæ & in cap. 6. & 13. Epist. ad Hebræos. Fortunatus in vitâ sancti Mauricii c. 15. Autor vitæ sancti Bonifacii, c. 20. Beda in Psal. 26. & in Cap. 8. Actuum Apostolorum. Concilium Parisiense l. 1. c. 33. & Meldense cap. 6. Smaragdus in diademate Monach. c. 63. & 71. & in Ep. de Sabbato Pentecostes. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus ad Cap. 9. prioris ad Corinthios & c. 1. posterioris ad eosdem Corinthios, & vitæ illius autor lib. 2. Ivo Carnutensis Episcopus Sermone de excellentiâ Ordinum, & sermone de convenientiâ veteris, & novi testamenti.

His autoribus addendi sunt divinorum officiorum autores, qui omnes Chrismati manuum impositionem conjungunt, & sæpius Sacramentum illud per solam manuum impositionem significant. Isidorus lib. 2. de divinis officiis c. 25. 26. *Jam non soli Pontifices & Reges, sed omnis Ecclesia unctione Chrismatis consecratur, pro eo quod membrum est æterni Sacerdotis & Regis, ergo quia genus Regale & Sacerdotale sumus, ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur, sed quoniam post baptismum per Episcopos datur Spir. Sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse Apostolos &c.* Specialiùs hoc explicat Alcuinus capite de Sabbato Sancto Paschæ ex more

a Novæ edit. Epist. 129.

b Epist. 135. novæ edit. vide & Ep. 2. al. 92. ad Rusticum Narb. inquis. 18.

c Hanc Epistolam spuriam esse agnovit postea Morinus in Comment. de sacris Ordinationibus. Vide dissert. xi. in S. Leonem, quæ tota est de illius suppositione.

d Et hæc quoque Joanni supposita Epistola, ipso Morino teste ibid.

e Hanc pariter à spuriis accenset Morinus.

f Non videtur esse Eucherii.

Romano. *Postquam vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum, quibus dat singulis stolam candidam chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur, & postquam induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem, impositâ scilicet manu super capita eorum, cum invocatione septiformis gratiæ spiritûs sancti. Or. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare &c hâc finitâ, facit crucem de Chrismate cum pollice in singulorum frontibus &c.* Amalarius lib. 1. c. 27. fusè explicat literaliter & allegoricè hujus sacramenti ritum, & distinctionem Chrismatis à Presbytero vertici capitis impositi, & Chrismatis in fronte ab Episcopo, eoque Cap. quinquies aut sexies Sacramentum istud manuum impositionem simpliciter appellat, docetque more Apostolorum Act. 8. in hoc sacramento per manûs impositionem spiritum sanctum dari, explicatis septemdonis spiritûs sancti. *Hæc sunt ornamenta vestis, quæ tribuit Deus menti per impositionem manûs, sine quibus periculosum est aliquem inveniri in convivio Regis &c.* nonnumquam etiam illud signaculum vocat. Rabanus Maurus lib. 1. de institutione Clericorum c. 30. *Novissimè autem à summo sacerdote per impositionem manûs paraclitus illi traditur spiritus sanctus &c. signatur enim baptizatus cum Chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem verò in fronte &c.* Multis toto capite utramque unctionem explicat. Cap. verò 28. dixerat, *constat quód sacrum Chrisma ipse conficiat, & baptizatum per manûs impositionem cum ipso Chrismate consignet.* Vvalfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiast. c. 26. *Addiderunt alii Chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo est qui dubitet; cûm primis temporibus impositione manuum baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrus legitur & Joannes.* Et aliquantò post de hæretico loquens in nomine Trinitatis Baptizato, *rebaptizari non debet, ne invocatio summæ divinitatis adnullari videatur; sed Chrismate & manûs impositione, quod imperfectum erat, perfici debet.* Similia, nec minùs evidentia, docent ex sui temporis consuetudine Rupertus Abbas Tuitiensis. lib. 5. de divinis officiis c. 16. & Hugo à sancto Victore de Sacramentis fidei lib. 2. Part. 7. c. 2. & parte 15. c. 1. his jungi debent Doctores Scholastici, quotquot Confirmationis materiam in manuum impositione & Chrismate constituunt.

CAPUT TERTIUM.

De Ritu Confirmationis apud Latinos ex antiquis Ordinibus probatur manuum impositionem Chrismationi conjunctam à Latinis fuisse.

VERUM ut, quæ dicta sunt, evidentiùs lector intelligat, totius Confirmationis apud Latinos ritus ex antiquissimis ordinibus illi est ob oculos proponendus. Antiquissimum sancti Gregorii sacramentarium, cujus toties mentionem fecimus, quod est in Abbatiâ sancti Germani pulcherrimè scriptum, utriusque Chrismationis Presbyteralis & Episcopalis ritum & ordinem sic explicat, quem totum verbum è verbo referimus.

Ut autem surrexerit à fonte, ille, qui eum suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de Chrismate, cum pollice in vertice ejus dicens, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam aeternam. Resp. Amen.

Et baptizantur, & sunt parati qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, & accipiunt ipsos à Presbyteris, qui eos baptizant. Pontifex verò redit in sacrarium expectans, ut cùm vestiti fuerint infantes confirmet eos. Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit. Induti verò ordinantur per ordinem sicut scripti sunt. Et infantes quidem in brachiis dextris tenentur, Majores verò pedem ponunt super pedem Patrini sui. Deinde schola jussa facit letaniam, Quinam ad fontes. Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, & levatâ manu suâ super capita omnium, dicit. Omnipotens Sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem spiritum tuum sanctum Paraclitum de Cœlis, spiritum sapientiæ & intellectûs, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos

ſpiritu timoris ſui, & conſigna eos ſigno crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem ſpiritûs ſancti. Per.

Et interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in Chriſmate facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſigillatim. Quæ ſequuntur infra referemus, cum erit nobis de confirmationis formâ ſermo faciendus. Eadem omninò habet eodem loco, hoc eſt, in officio ſabbati ſancti, & iiſdem verbis & ſyllabis liber ſacramentorum ſancti Gregorii ex antiquiſſimo codice vaticano Romæ editus, hâc tantùm nullius momenti differentiâ, quód Romanus liber habet, *tenent*, ubi alter, *tenentur.*

Manifeſtiſſima eſt igitur diſtinctio manuum impoſitionis ab unctione Chriſmatis. Levatam habet manum Epiſcopus ſuper confirmandos, manuque ſic levatâ, fundit ſuper eos orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* Quâ finitâ manum ſubtrahit, ut interrogato unius cujuſque nomine, Pontifex pollice in chriſmare tincto, crucem unius cujuſque fronti imprimat. Ordo Romanus excuſus habet. *Elevatâ & impoſitâ manu ſuper capita omnium &c.* Alcuinus Jam citatus, *Impoſitâ manu &c.* Codex Tilianus, *Elevatâ & compoſitâ manu ſuper capita omnium.* In Pontificali Romano. *Tunc extenſis verſus confirmandos manibus, dicit, Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* Ut in ſacramentario Gregoriano. Quâ finitâ, Pontifex ipſe interrogatis ſingulorum nominibus, pollice in Chriſmate tincto, ſignum crucis in eorum frontibus pingit. Itaque vides ab Apoſtolorum ætate ad hunc uſque diem perpetuâ nec interruptâ conſuetudine, Latinos in confirmatione ritum manuum impoſitionis â ritu Chriſmatis diverſâ actione diſtinxiſſe, & utrumque hactenus nunquam non uſurpaſſe.

Æthiopes, qui Alexandrinam Eccleſiam, cui ſubjecti ſunt, imitantur, utrumque ritum uſurpant, & alterum ab altero diſtinctiſſimè, ut conſtat ex ordine baptiſmi & confirmationis, qui latinè editus eſt tom. 6. Bibliothecæ Patrum. Primùm ex titulo apparet ſacramentum illud apud eos vocari potiſſimùm, manuum impoſitionem. *Orationes quas dicit ſacerdos, cùm imponit manus ſuper eos, qui confirmandi ſunt.*

Est titulus generalis. Unctio apud eos manuum impositionem videtur præcedere, statim enim post unctionem dicitur. *Posteà imponit manum suam super eos, & dicit benedicti fitis benedictione Angelorum Cælestium. Benedicat vobis Dominus noster Jesus Christus. Accipite spiritum sanctum per virtutem Dei patris, per virtutem filii Jesu Christi, & per virtutem spiritûs sancti, sitis vasa electa & munda Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria cum Patre & spiritu sancto in secula seculorum.* Præter istam orationem quæ præcipua videtur, tres subsequuntur, quibus præfigitur. *Imponit manus suas super capita eorum.* Quod ad ordinem istum Æthiopum attinet, qui manuum impositionem unctioni postponunt, probabile est Africanos plerosque illum secutos; loca enim Tertulliani allata hoc probabiliter innuunt. Tertulliano nonnihil favere videtur Optatus. Sanctus tamen Cyprianus contrarium innuit ad Jubaïanum scribens. Cæteri autores posteriores cum antiquis & hodiernis Sacramentariis & ritualibus manuum impositionem unctioni præponunt. Nihil in hoc periculi video, si rei substantia spectetur. Cæterùm tenetur unusquisque Ecclesiæ suæ morem sectari.

Eamdem manuum impositionem ab antiquo usurpatam fuisse in Ecclesiâ Alexandrinâ docet Canon 59. Arabicus Concilii Nicæni. *Chorepiscopus, cum visitat Ecclesias, & Monasteria, quæ sub potestate suâ sunt, debet interrogare, an habeant filios aut filias, & facere, ut ad se adducantur, & signet eos signo crucis, & oret super eos, & imponat manus & benedicat.* Verba, quæ sequuntur, *& instituat Ministros &c.* pertinent ad sequentem pericopem, & cum præcedente, ut manifestum est, copulari non debent. Collegi ex eo Canone eum esse morem Ecclesiæ Alexandrinæ, eo quod codex ille Arabicus è Patriarcheio Alexandrino depromptus est, & manifestum est Canones illos sub nomine Concilii Nicæni disciplinam Ecclesiasticam Patriarchatûs Alexandrini, & forsan vicinarum Ecclesiarum versùs Orientem, & trans Euphratem continere.

CAPUT QUARTUM.

De Græcorum ritu. Græci solum Chrisma, non manuum impositionem usurpant in administratione Sacramenti Confirmationis ac primùm ex ritualibus libris, Euchologiisque evincitur.

UT Latini constantissimè impositionem manuum unctioni conjunxerunt; sic Græci non minùs constanter alterum ab altero separarunt, soloque Chrismate in administratione istius Sacramenti usi sunt. Manuum enim impositionis non meminerunt nec recentia Euchologia nec antiqua. Patres autem Græci, & Græcorum autores recentiores, cum de confirmatione verba faciunt; a aut penitus manuum impositionem omittunt, aut in locum manuum impositionis ab Apostolis usurpatæ, unctionem successisse docent. Euchologium editum Venetiis anno 1638. enarrato ritu baptismi, & vestis post baptismum à baptizato indutæ, sic refert.

b *Precatur Sacerdos, dicens orationem istam. Dominum deprece-*

a Vid. Jacobum Goar in Euchologium Græcorum id eruditissimè confirmantem.

b Ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς λέγων τὴν εὐχὴν ταύτην. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ἡ πηγὴ τῶν ἀγαθῶν, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, ὁ λάμψας τοῖς ἐν σκότει φῶς σωτηρίας διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ϗ Θεοῦ ἡμῶν, ϗ χαρισάμενος ἡμῖν τοῖς ἀναξίοις τὴν μακαρίαν κάθαρσιν ἐν τῷ ἁγίῳ ὕδατι, ϗ τὸν θεῖον ἁγιασμὸν ἐν τῷ ζωοποιῷ χρίσματι, ὁ ϗ νῦν εὐδοκήσας ἀναγεννῆσαι τὸν δοῦλόν σου τὸν νεοφώτιστον δι᾽ ὕδατος ϗ πνεύματος, ϗ τὴν τῶν ἑκουσίων ϗ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἄφεσιν αὐτῷ δωρησάμενος· αὐτὸς Δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε, χάρισαι αὐτῷ ϗ τὴν σφραγῖδα τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου ϗ παντοδυνάμου ϗ προσκυνητοῦ σου πνεύματος, ϗ τὴν μετάληψιν τοῦ ἁγίου σώματος, ϗ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. φύλαξον αὐτὸν ἐν τῷ σῷ ἁγιασμῷ, βεβαίωσον ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, ῥῦσαι ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ϗ πάντων τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτοῦ, ϗ τῷ σωτηρίῳ σου φόβῳ ἐν ἁγνείᾳ, ϗ δικαιοσύνῃ, τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διατήρησον· ἵνα ἐν παντὶ ἔργῳ ϗ λόγῳ εὐαρεστῶν σοι υἱὸς ϗ κληρονόμος τῆς ἐπουρανίου σου γένηται βασιλείας. Ἐκφώνως. Ὅτι σὺ εἶ Θεὸς ἡμῶν, Θεὸς τοῦ ἐλεεῖν ϗ σώζειν καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. ϗ μετὰ τὴν εὐχὴν χρίει τὸν βαπτισθέντα τῷ ἁγίῳ μύρῳ, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου ϗ τῶν ὀφθαλμῶν, ϗ τῶν μυκτήρων; ϗ τοῦ στόματος ϗ τῶν δύο ὤτων, ϗ τοῦ στήθους, ϗ τῶν χειρῶν, ϗ τῶν ποδῶν λέγων, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου ἀμήν. Εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς μετὰ τοῦ ἀναδόχου ϗ τοῦ βρέφους σχῆμα κύκλου· ϗ ψάλλομεν, Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε ἀλληλούια, ἐκ γ᾽. Εἶτα τὸ προκείμενον, Κύριος φωτισμός μου. στίχ. Κύριος ὑπερασπιστὴς τῆς ζωῆς μου.

mur. Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bonorum, ſol juſtitiæ, qui per apparitionem unigeniti filii & Dei noſtri, ſplendere fecisti iis, qui erant in tenebris, lumen ſalutis, & largitus es nobis indignis in aquâ ſanctâ felicem purgationem, & in vivifico Chriſmate divinam ſanctificationem, cuique nunc placuit regenerare per aquam & ſpiritum, ſervum tuum hunc recens illuminatum, tribuens illi remiſſionem peccatorum voluntariorum & non voluntariorum. Ipſe Domine Rex omnium, miſericors, concede illi quoque ſignaculum doni ſancti, & omnipotentis & adorandi ſpiritûs tui, & participationem ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti tui; conſerva eum in ſanctificatione tuâ, confirma in fide orthodoxa, libera à malo, & ab omni verſutiâ, & machinatione ejus, & cuſtodi animam ejus in ſalutari tuo timore, in puritate & juſtitiâ, ut in omni opere & ſermone tibi placeat, filiuſque & hæres cæleſtis tui Regni fiat. *Altâ voce.*

Quia tu es Deus noſter, Deus miſericordiæ & ſalutis, tibique gloriam redhibemus Patri & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratione factâ, ungit ſancto unguento baptizatum, faciens crucis figuram in fronte in oculis & in naribus, & in ore, & in utraque aure, & in pectore, & in manibus, & in pedibus, dicens, ſignaculum doni Spiritûs ſancti, Amen. Poſteà Sacerdos cum Infantis ſuſceptore facit amictum in circuli figuram, & pſallitur. Quicumque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Alleluia ter. Deinde id quod occurrit. Dominus illuminatio mea, & Dominus protector vitæ meæ.

Legitur poſtea Epiſtolæ Pauli ad Romanos ſectio, quicumque baptizati ſumus in Chriſto &c. c. 6. Et Evangelii ſecundum Matthæum ſectio; *Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam &c.* c. 28. in Miſſâ, ut opinor, quæ poſt actionem illam de more celebratur.

Quod tranſtulimus [a] *amictum in circuli figuram*, exiſtimo amictum eſſe rotundum quo infantis recens confirmati caput involvunt, ut antiquitùs apud Latinos præter veſtem candidam dabat eis Sacerdos Chriſmale, & nunc Chriſmalis locum tenet tænia, quá puerorum frontes amiciuntur. Ubi vertimus, *Pſallitur*, in textu eſt ψάλλουσι, errorem credimus, & legendum ψάλλοντες, vel ψάλλεται.

In antiquiſſimo manuſcripto

a De amictu rotundo loqui non videtur Euchologium, ſi verba attendis, ſed fortè ſacerdotem, ſuſceptorem & infantem ita collocatos, ut ſpeciem quandam circuli facerent.

Barberino, baptiſmo facto cantatur, Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. [a] *Poſteà faciente Diacono orationem* (hoc eſt, dicente, Dominum deprecemur) *orat Sacerdos orationem iſtam, Benedictus es Domine Deus &c.* Eadem prorſus oratio, quæ ſupra, tantùm ubi de peccatorum remiſſione agitur, abeſt vox ἀκουσίων, & ubi δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε, legitur, δέσποτα πολυεύσπλαγχνε. Deinde nonnulla habentur in plurali numero, quæ editum Euchologium refert in ſingulari. Finitâ igitur oratione, ſic manuſcriptus ille codex. [b] *Et oratione illâ finitâ dicit, Quicumque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ungitque Sacerdos baptizatos ſacro unguento, faciens crucis figuram in fronte, & in oculis, & in naribus, & ore, & in utrâque aure, dicens; Signaculum doni Spiritûs ſancti, inchoatque ſive præcinit, dicens: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Deinde ingreditur Sacerdos cum recens illuminatis in introitum, celebraturque divina liturgia.*

Ingreditur Sacerdos in introitum cum recèns illuminatis; hoc eſt, his peractis defertur Evangelium cum pompâ & proceſſione à menſâ propoſitionis per Eccleſiam ad altare, comitanturque Sacerdotem & Diaconum recèns illu-

a Καὶ μετὰ τοῦτο ποιοῦντος τοῦ διακόνου εὐχὴν ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην, εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ θεός. &c.

b Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην λέγει, ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χριστὸν ἐνεδύσασθε. Καὶ χρίει ὁ ἱερεὺς τοὺς βαπτισθέντας τὸ ἅγιον μύρον, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων λέγων, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Καὶ ἀπάρχεται λέγων, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. Καὶ εἰσέρχεται ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν νεοφωτίστων εἰς τὴν εἴσοδον, καὶ γίνεται ἡ θεία λειτουργία.

c Καὶ μετὰ τὸ βαπτισθῆναι πάντας νίπτονται καὶ ἐκβάλλει τὸ λέντιον καὶ τὰ μανίκια. Καὶ τοῦ ἀρχιδιακόνου λέγοντος, πρόσχωμεν, ἄρχονται οἱ ψάλται τὸ, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. ὁ ὁ ἱερεὺς σὺν τῷ λαῷ τρίτον, καὶ οὕτως δοξάζει, καὶ μετὰ τοῦτο ποιοῦντος τοῦ διακόνου εὐχὴν λέγει. Εὐλογητὸς εἶ κύριε &c. eſt prorſus ſimilis ei, quæ eſt in codice Barberino. Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην ἀποδύεται τὴν στολὴν τῶν βαπτισμάτων, καὶ βάλλει τὸ τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπάγων εἰς τὸν ἅγιον πύργον, καὶ τοῦ ψάλτου λέγοντος, ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χρίει τῷ ἁγίῳ μύρῳ τοὺς βαπτισθέντας, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, τῶν ὀφθαλμῶν, τῶν μυκτήρων, τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, λέγων Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Καὶ μετὰ τοῦτο συμψάλλουσι τοῖς ὀψαρεῦσι, τὸ, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν. εἰσέρχεται μετὰ τῶν νεοφωτίστων εἰς τὴν εἴσοδον, καὶ τελεῖ τὴν θείαν λειτουργίαν.

minati.

Antiquissimus manuscriptus Monasterii Cryptæ ferratæ prorsus est alteri si nilis, sed non nullas cæremonias explicatiùs refert, illius verba ex scribere operæ pretium ducimus. [a] *Postquam omnes baptizati sunt, lavat se (Patriarcha) & exuit lentium, & Manicia. Dicente vero Archidiacono; attendamus. Cantores inchoant*, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, *vel Sacerdos cum populo ter; & sic glorificat; deinde orationem faciente Diacono dicit*; Benedictus es Domine &c. *completâque hac prece exuit stolam baptismalem, induitque ea, quæ ad liturgia celebrationem pertinent, secedensque in sanctum Petrum, & Cantore dicente*, quicumque in Christum baptizati estis, *ungit sacro unguento baptizatos, crucis figuram faciens in fronte, oculis, naribus, ore, utrâque aure, dicens, signaculum doni Spiritûs sancti. Quo facto concinens orphanis istud:* Beati quorum remissæ sunt: *ingreditur cum recens illuminatis in introitum & perficit sacram liturgiam.*

Manicia, brachiale est κολόβιον quod Sacerdos celebraturus induit, à pugni commissurâ ad cubitum brachium involvunt, aliàs ἐπιμανίκια dicuntur, duplicia sunt, dextrum & sinistrum. Lentium ornamenti Patriarchalis genus est. Secedens in sanctum Petrum, aut oratorium est in Ecclesiâ Patriarchali sic dictum, aut alius locus ibidem, in quo confirmare solet Patriarcha. Και μετὰ πάντων legendum est καὶ μετὰ ταῦτα. In eodem Euchologio cautio sequitur ritualis, quam hic exscribere utile forsan erit.

[a] *In cæteris Festis, cum illuminationes*, (baptismata) *fiunt in parvo illuminatorio*, (baptisterio) *adveniens Patriarcha omnia peregit modo descripto confirmatisque divino unguento in apodyto recens illuminatis, sedet expectans imperatorem. Orphani vero & Cantor canentes*. Beati quorum remissæ sunt, *introducunt recens illuminatos in Ecclesiam.*

Apodytum Locus est in quo Patriarcha sacras vestes deponit, ἀπὸ τοῦ ἀποδύεσθαι exue-

a Ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς ἑορταῖς ὅτε ἐν τῷ μικρῷ φωτιστηρίῳ γίνονται τὰ φωτίσματα καταλαβὼν ὁ πατριάρχης πάντα ποιεῖ κατὰ τὸν προγεγραμμένον τύπον καὶ μετὰ τὸ σφραγίσαι ἐν τῷ ἀποδύτῳ τοὺς νεοφωτίστους τῷ θείῳ μύρῳ καθέζεται ἐκδεχόμενος τὸν βασιλέα· οἱ δὲ ὀρφανοὶ καὶ ὁ ψάλτης ψάλλοντες τό, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν εἰσάγουσι τοὺς νεοφωτίστους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

re deponere, ἀποδυτήριον, Latinis ſecretarium, eodem fere ſenſu Latinis & Græcis Diaconicum, & diaconium. præclarè vocat baptiſterium φωτιστήριον ex uſu orientalis Eccleſiæ, quæ baptizare dicit φωτίζειν.

Idem referemus ex codice vaticano, qui præcedente uno aut altero ſæculo eſt recenſior. Nonnullis ceremoniis à præcedentibus differt. Baptizatis igitur Baptizandis, & cantato, *Beati quorum remiſſæ ſunt &c.* ἐπισυνάπτει ὁ διάκονος τὴν συναπτήν. ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης &c. ſequitur oratio. εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, quæ ſuprà relata & tranſlata eſt.

[a] *Hac prece finitâ ingreditur Pontifex apodytum, & exuit baptiſmatis veſtem, & induit veſtes liturgicas, & progreditur ad altare; pſaltæ verò ſtant cum Diacono, canentes,* Quicumque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Alleluya. *Et ungit baptizatum, faciens cum divino unguento Crucis figuram, in fronte & dorſo, & naribus, & ore, & utrâque aure, dicens:* Signaculum doni Spiritûs ſancti.

Poſtquam autem conſignavit recens illuminatos divino unguento, *ſuſceptor ipſius .... Quo facto procedit cum eis Pontifex ad introitum Orphanis concinens hoc:* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. *Deindè incipit Pontifex, acceptoque à Diacono Euchologio, dat recèns illuminatorum aliquis orationem divini unguenti.*

Quæ in hoc manuſcripto leguntur ſimillima ſunt iis, quæ in manuſcripto cryptæ ferratæ habentur. Sed multa ſunt pravè & oſcitanter ſcripta. Verba illa græca parentheſi clauſa prorsùs ſunt irreptitia. Non enim ungit baptizatos ſacro unguento Diaconus; deindè hoc dato, non ungeret Diaconus præſente Epiſcopo. At Euchologium baptiſmum & confirmationem exhibet à Pontifice celebratam. Deniquè lo-

---

a Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην εἰσέρχεται ὁ ἀρχιερεὺς ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἀποδύεται τοῦ βαπτίσματος τὴν στολὴν, καὶ βάλλει τὰ τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπάγει εἰς θυσιαστήριον; οἱ δὲ ψάλται ἵστανται μετὰ τοῦ διακόνου (τοῦ χρίοντος αὐτὸν τῷ θείῳ μύρῳ) ψάλλοντες, ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε ἀλληλούϊα, Καὶ χρίει αὐτὸν τὸν βαπτισθέντα, ποιῶν σὺν τῷ θείῳ μύρῳ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου καὶ τῶν μεταφρένων, καὶ μυκτήρων, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τῶν β ὤτων, λέγων, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, καὶ μετὰ τὸ σφραγισθῆναι τοὺς νεοφωτίστους τῷ ἁγίῳ μύρῳ. εἶτα ὁ ἀνάδοχος αὐτοῦ ἀντιπο[illegible] οὕτω ἔρχεται ὁ ἀρχιερεὺς μετ' αὐτῶν εἰς τὴν εἴσοδον συμψάλλων τοῖς ὀρφανοῖς, τὸ, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. εἶτα ἄρχεται ὁ ἀρχιερεὺς καὶ λαβὼν παρὰ τοῦ διακόνου τὸ εὐχολόγιον δίδωσι τῶν νεοφωτίστων τινὶ τὴν εὐχὴν τοῦ θείου μύρου.

quitur Euchologium de Unctione factâ antè Confirmationem; sed apud Græcos Unctio illa fit τῷ ἐλαίῳ oleo simplici, non τῷ μύρῳ. Quare in Translatione prætermisimus illa verba διατυπῶν σταυρὸν vel διατυπῶν σταυρῷ per compendium enim erat scriptum στρ nescimus quid significet. In fine expungenda particula ,τις ridiculum enim, Neophytum statim à confirmatione orationem recitare, & præsente Episcopo. Deindè δοῦναι τὴν εὐχὴν dare orationem, phrasis est antiquis Latinorum ritualibus usitata, non Græcis. Oratio autem illa, quam vocat divini unguenti, Latinorum est oratio Græcè translata. Nullam ejusmodi habent Græci post Confirmationem, ut ex præcedentibus manifestum est. Est autem ejusmodi.

[b]*Omnipotens & omnibus dominans Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex beneplacito tuo regenerasti servos & ancillas tuas, per aquam & Spiritum sanctum, qui per ipsum tribuisti eis remissionem peccatorum suorum. Ipse, Domine, mitte in eos sanctum & septuplicem Spiritum tuum, Spiritum sapientiæ & intellectûs, Spiritum concilii & fortitudinis, Spiritum cognitionis & pietatis. Imple eos Spiritu tuo, timore magni Dei, & consigna eos signo Crucis tuæ. Propitiare in vitam æternam, per Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo benedictus es, cum sanctissimo & bono & vivifico Spiritu tuo, nunc & semper &c.*

Videtur codex exscriptus aut collectus ab Italo Græco homine simplice, qui hanc Latinorum orationem loco præpostero adjunxit. Quidquid sit, manifestum est ex his codicibus ab annis circiter octingentis in hodiernum usque diem, nullum apud Græcos in confirmationis administratione [c] impositionis manuum usum fuisse.

b Παντοδύναμε καὶ παντοκράτωρ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυ ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ ἀναγεννήσας καὶ ἐνδυσάμενος τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας σου διὰ ὕδατος καὶ πνεύματος ἁγίου. ὁ καὶ δι' αὐτοῦ παρασχὼν αὐτοῖς τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, αὐτὸς δέσποτα καταπέμψον ἐπ' αὐτοὺς τὸ ἅγιον καὶ ἑπταπλάσιον σου πνεῦμα, πνεῦμα σοφίας καὶ συνέσεως, πνεῦμα βουλῆς καὶ ἰσχύος πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας, ἔμπλησον αὐτοὺς τοῦ πνεύματός σου, τοῦ φόβου τοῦ μεγάλου θεοῦ. καὶ σημείωσον ἐπ' αὐτοὺς τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ σου, σπλαγχνίσθητι εἰς ζωὴν αἰώνιον, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ &c.

c Ἔχων ὁμοίως τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ χειροτονουμένου ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐπεύχεται. vel καὶ ἔχων ἐπικειμένην τὴν χεῖρα ἐπεύχεται.

Compara rituales Chirotoniarum, seu ordinationum Græcarum semper videbis, ἐπιτιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα ἐπεύχεται, & immediatè antè secundam orationem. c ἔχων ὁμοίως &c.

Hæc aut similia verba bis repetuntur in unâquâque ordinatione, & præterea sæpè in ordinationis textu manuum impositionis fit mentio, per quam ordinandus consecratur. In confirmationis autem ritu ubique altissimum de hac re silentium.

CAPUT QUINTUM.

Solius Chrismatis apud Græcos usus expressis scriptorum Græcorum testimoniis comprobatur.

GRÆCI autores, quum de manuum impositione, quâ dabant Apostoli spiritum sanctū verba faciunt, modó dicunt τὸ μύρον, sive τὴν μύρου σφραγῖδα Apostolicæ manuum impositioni successisse, modò in abaptisinum factam, quâ spiritus sanctus tradebatur, extraornuum illam impositionem post dinariam fuisse, & Apostolis peculiarem, idem verò nunc fieri invisibiliter διὰ τῆς μύρου σφραγῖδος Nun quam autem, vel leviter innuunt, in unguenti signaculo seu confirmatione, manuum impositionem usurpari. Sic de confirmatione philosophatur Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis in vaticano manu scripto. p. 129. & 130.

c Vtimur igitur & nos necessario spirituali hoc unguento, potissimùm verò in baptismo: nec fieri potest ut quis perfectè baptismo regeneretur, & spiritu à peccatis abluatur, qui nondum consequutus fuerit, nec arrhabonem gratiæ,

d Χρώμεθα οὖν καὶ ἡμεῖς κατ' ἀνάγκην τῷ πνευματικῷ μύρῳ τούτῳ, καὶ μάλιστα ἐν τῷ βαπτίσματι καὶ οὐκ ἔστι τέλειος τις βαπτίσματι ἀναγεννᾶται, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἀπολύεται πνεύματι. οὐκέτι δὲ τὸν ἀρραβῶνα ἔχει τῆς χάριτος, εἰ δὲ τὴν ὀσμὴν τῆς ζωῆς, οὐδὲ τὴν σφραγῖδα τοῦ πνεύματος· διὸ ὡς βαπτισθῆναι ἀναγκαῖον, καὶ τῷ μύρῳ χρισθῆναι ἐστιν ἀναγκαῖον. καὶ τοῦτο χρίειν τοὺς βεβαπτισμένους ὑπὸ φιλίππου ὡς μόνον τὸ βάπτισμα δεξαμένους πέτρος καὶ ἰωάννης ἐπετίθουν τὰς χεῖρας, καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον· ὃ δὲ τὸ μύρον ἐστίν. ὁ γὰρ ἐπίθεσις τῶν χειρῶν τὸ μύρον παρεῖχεν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἀποστόλοις ἐγίνετο. καὶ δι' αὐτῆς πολλοῖς ἄλλοις. καὶ τότε μὲν ἐπίθεσις τῶν χειρῶν. νῦν δὲ ἀντὶ τῶν χειρῶν αὐτὸ ἐστὶ τὸ ἡγιασμένον καὶ λεγόμενον μέγα μύρον, ἁγιαζόμενον οὐ παρ' ἀρχιε-

nec suaveolentiam gratiæ, nec signaculum spiritûs. Ideò ut baptizari necesse est, sic & unguento ungi. Hujus rei gratiâ Petrus & Joannes baptizatis à Philippo, qui solum baptismum acceperant, manus imposuerunt, & Spiritum Sanctum receperunt. Ille verò unguentum est; Manuum enim impositio unguentum præbuit, ut in Apostolis factum est, & per eos multis aliis. Tunc autem erat manuum impositio, nunc verò vice manuum ipsum est sanctificatum, quod dicitur magnum unguentum. Sanctificatur autem sacris precibus & benedictionibus, non à Presbyteris, sed à Patriarchis & Episcopis Petri & Joannis virtutem possidentibus, & ditantibus, quod etiam in orbis terræ fines missum impositionis manuum virtutem nanciscitur. Enimverò necesse est eo Consignari & sigillari in baptismate omnem fidelem, ut divinissimum baptisma Omnis baptizatus in sese perfectum possideat. Si enim servator baptizatus spiritum accepit, & à Philippo baptizati manuum impositione Petri & Joannis Spiritum accipiebant, ut imperfecti non essent, & Spiritûs sancti signaculo minimè vacui, sic quoque qui baptizantur fideles in baptismate, eo debent perfundi unguento.

Amplissimè testimonium istud retulimus, eo quod liber editus [a] non sit, & Sacramenti Confirmationis virtutem & necessitatem apertè doceat, undè colligi potest, quæ sit Ecclesiæ orientalis hâc de re sententia. Clarum est ex Simeonis verbis Græcos in hujus sacramenti administratione manuum impositione non uti, sed ejus loco, unguenti signaculo, impositionem verò manuum ad Apostolorum tempora restringere. Petrus [b] Arcudius hujus testimonii partem refert, sed in ipsius Græco textu, ut & in translatione prætermittit hæc verba, τῶν δὲ ἀντὶ τῶν χειρῶν quæ vaticanum exemplar exhibet, & ratio Grammatica resque ipsa subjecta,

βυτέρων, ἀλλὰ παρὰ πατριαρχῶν, καὶ ἀρχιερέων ἱεραῖς εὐχαῖς καὶ εὐλογίαις τὴν τοῦ πέτρου καὶ ἰωάννου πλουτούντων δύναμιν, ὃ δὴ καὶ ἀποστελλόμενον εἰς τὰ πέρατα δύναμιν ἔχει τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, καὶ ἀνάγκη τούτῳ σφραγίζεσθαι πάντα πιστὸν ἐν τῷ βαπτίσματι. ἵνα καὶ τὸ θειότατον βάπτισμα πᾶς βαπτισθεὶς τέλειον ἔχῃ ἐν ἑαυτῷ. εἰ γὰρ ὁ σωτὴρ τὸ πνεῦμα ἐδέξατο βαπτιζόμενος, καὶ οἱ βαπτισθέντες παρὰ φιλίππου τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν πέτρου καὶ ἰωάννου, ἵνα μὴ ἀτελεῖς ὦσι καὶ ἀσφράγιστοι τῷ πνεύματι, καὶ οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ τούτῳ ὀφείλουσι κεχρῖσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι.

a Habetur nunc in Bibliotheca Regia editus in Metropoli Moldauiæ.

b Vacillat apud eruditos Arcudii fides. Hic rectè perstringitur.

præcedit enim, καὶ τότε μὲν ἐπίθεσις τῶν χειρῶν redditionis ratio postulat, νῦν δὲ &c. *Tunc quidem, nunc verò &c.* Deindè sensus, his verbis omissis, est absurdus, vertit Arcudius, *Et tùm quidem impositio manuum, ipsum est consecratum, ac magnum unguentum appellatum.* Nam vel adverbium τότε *tùm*, est expungendum, necessariò enim referri debet ex textu ad Apostolorum tempora, vel verbum præsens, ἐστὶν in præteritum imperfectum mutandum, si legas in textu τότε, legendum postea, αὐτό ἦν, ipsum erat; vel si legas ut uterque fert textus, αὐτὸ ἐστὶν expungendum τότε, ut sensus commodus elici possit. Juxtà autem codicem, ex quo hæc verba exscripsimus, omnia & Grammaticæ, & rationi peroptimè quadrant. Paulò antè ubi exscripsimus, ὃ δὲ τὸ μύρον ἐστὶν scripsit μυστήριον, quod minùs commodè contextui convenit. Vult enim docere Simeon, eos, quibus manus Apostoli imponebant, per illam manuum impositionem Spiritum sanctum accepisse, qui per divinum unguentum confertur, eo quod manuum impositio eumdem tùm effectum habuerit, quem nunc divinum unguentum, ut in Apostolis videre est, qui Spiritum sanctum per manuum impositionem acceperunt, & eodem modo aliis contulerunt. Tunc enim erat manuum impositio, nunc verò vice manuum, ipsum est sacrum & magnum unguentum. Hic est autoris sensus, hoc ratiocinium.

Nicolaus Cabasilas idem Evidenter docet in oratione. 3. de vitâ in Christo, cujus verba Græca refert Arcudius, post quam divinissimi unguenti virtutem enarravit Cabasilas, subjicit. [a] Quod sic transfert, *fitque nunc initiatis, quod olim per manus Apostolorum baptizatis. Quippe imponentibus manus Apostolis Sacramento baptismatis imbutis, Spiritus, inquit, exhibebatur. Nunc similiter in unctos paracletus accedit.* Meliùs vitatâ homonymiâ & ad textum pressiùs verteretur, fitque nunc initiatis id quod olim baptizatis manus Apostolorum præstabant. En quomodo unguentum

---

a Καὶ γίνεται νῦν τοῖς τελουμένοις, ὅπερ ἐπὶ τῶν προτέρων χρόνων αἱ τῶν ἀποστόλων χεῖρες τοῖς ὑπ᾽ ἐκείνων βαπτιζομένοις. καὶ γὰρ ἐπιτιθέντων τὰς χεῖρας τῶν ἀποστόλων τοῖς μεμυημένοις, φησί, τὸ πνεῦμα ἐδίδοτο, καὶ νυνὶ ὁ παράκλητος τοῖς χριομένοις ἐπιδημεῖ.

vicem gerit manûs Apostolicæ, quod sane esset perabsurdum dicere, si unguento manuum impositio conjuncta fuisset.

Idem non obscurè docet Oecumenius in c. 6. Epistolæ ad Hebræos. [b] *Loquitur autem non eo sensu, quo supra perfectos appellavit; id enim non poterant audire: sed aliter sermonem dextrè disponit, principium appellans, baptismum, & quæ in eo fit manuum impositionem & signaculum.* Tria ait significare Apostolum per sermonem initii Christi, baptismum, manuum impositionem, quæ fit in baptismo, & signaculum, quod scilicet post baptismum confertur. Græci enim cum baptizant, initio ritûs manus imponunt, ut disertè in Euchologio præcipitur, & testatur sanctus Clemens lib. 7. constitut. c. 40. & manu impositâ super caput baptizandi, longam habet orationem presbyter aut Episcopus; à manûs enim impositione apud eos incipit fieri quis catechumenus, omnesque exorcismos præcedit. Quum autem antiquitùs sæpiùs exorcismi repeterentur, sæpiùs quoque manus eis imponebantur. Deinde manus adhuc baptizando imponebatur, quum oleo caput ipsius ab Episcopo ungebatur, ut testatur S. Clemens lib. 3. c. 15.

[c] *Sed solùm in manûs impositione caput ipsius unget Episcopus.* Manuum illam impositionem negat esse ordinationem; sed ab eâ fideles dici regale sacerdotium, Gentem sanctam ut ab unctione Christianos. Ideò hanc unctionem soli tribuit Pontifici. Utramque manûs impositionem commemorat sanctus Dionysius c. 2. Hierar. Eccles. in mysterio baptismatis, & eam quæ fit initio ritûs baptismi, & eam quæ fit, quum Pontifex ad olei unctionem sese accingit, ut loco citato legere est. Sæpiùs manus Catechumenis imponebant Latini, ut legere est in antiquis ritualibus, ubi baptismi scrutinia enarrantur. Et. Can. 85. Concilii quarti Carthaginensis nos docet. *Baptizandi nomen suum dent, & diù sub abstinentiâ vini & carnium, ac manûs impositione, crebrâ examinatione baptismum percipiant.* Clariùs aliquantò post hoc ex-

b Λέγει δὲ οὐχ ὡς ἄνω τελείους ἐκάλεσεν, οὐ γὰρ ἴσχυον ἀκούειν. ἀλλ' ἑτέρως μεθοδεύει τὸν λόγον, ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα.

c Ἀλλὰ μόνον ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ χρίσει ὁ ἐπίσκοπος.

plicat Oecumenius, specialiter explicans hæc verba textûs, *manuum impositionis. Scilicet*[a] *quæ in baptismate fiunt, vel cum Apostoli manus imponentes Spiritum tradebant, quod Simon sibi vendi postulabat.* Itaque non refert manuum illam impositionem ad confirmationem, sivè τοῦ θείου μύρου mysterium, sed ad baptismale manuum impositiones, aut cum refert ad manuum impositionem, quâ τοῦ μύρου & confirmationis effectus confertur, ad Apostolicam & extraordinariam restringit: Nec sanè aliter intelligere potuit, cùm nusquam in confirmationis ministratione manum apud Græcos imponi videret. Sic etiam intelligenda sunt, quæ eo capite refert Oecumenius ex Gennadio de manuum impositione, περὶ ἐπιθέσεως τοῦ πνεύματος, loquitur enim de manuum impositione illius temporis sancti Spiritûs collativâ, cui unguenti mysterium successit. Utramque istam Oecumenii explicationem amplexi sunt sanctus Chrysostomus & Theodoretus; Priorem scilicet Theodoretus, posteriorem Chrysostomus, seù potiùs utramque ab iis mutuatus est Oecumenius. Theodoretus enim in c. 6. Epist. ad Hebræos manuum illam impositionem ad eam quæ fit in Baptismo, refert. [b] *Qui enim crediderunt, eorum tetrum odorem abhorrentes, & pœnitentiâ utentes accedunt ad divinum baptismum, & per manum sacerdotalem Spiritûs gratiam accipiunt, & in divino baptismo resurrectionis figuram suscipientes, expectant communem omnium resurrectionem.* Manus illa sacerdotalis accessionem ad baptismum sequitur, sed baptismum, qui per immersionem & emersionem confertur, quibus sepultura & resurrectio significantur, omninò præcedit. Spiritûs autem gratia, de quâ loquitur, ea est quam per baptismum consequimur, quamque infrà videbimus sanctum Chrysostomum & Oecumenium appellare gratiam remissionis peccatorum. Sanctus vero Chrysostomus adventum interpretatur in idem, C. 6. ad He-

a Τῶν ἐν τῷ βαπτίσματι γινομένων ἢ ὅτε ἐπιτιθέντες χεῖρας οἱ ἀπόστολοι τὸ πνεῦμα ἐδίδοσαν, ὅπερ καὶ Σίμων ὠνεῖν ἐζήτει.

b Οἱ γὰρ πεπιστευκότες τὴν τούτων βδελυττόμενοι δυσωδίαν, καὶ μεταμελείᾳ χρώμενοι προσίασι τῷ θείῳ βαπτίσματι, καὶ διὰ τῆς ἱερατικῆς χειρὸς ὑποδέχονται τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, καὶ ἐν τῷ θείῳ βαπτίσματι τὸν τῆς ἀναστάσεως δεχόμενοι τύπον, προσμένουσι τὴν κοινὴν πάντων ἀνάστασιν.

bræos initiũ.[a] *Et impositionis manuum. Sic enim Spiritũ accipiebant, dicitur enim imponente illis manus Paulo venit Spiritus sanctus.* Nota lector sanctum Chrysostomum scribere, sic enim scilicet per manuum impositionem Spiritum accipiebant. Non erat igitur suo tempore usitatus ille modus post baptismum accipiendi Spiritum sanctum per manûs impositionem: Sed ex istorum Doctorum sententiâ erat extraordinarius, & huic tempori conveniens. Multò aliter Latini patres, ut vidimus philosophati sunt. Dixerunt enim hanc tradendi Spiritum formam adhuc Ecclesiam in præpositis suis observare, &c.

Idem Oecumenius in caput octavum actorum donationem illam Spiritûs sancti per impositionem manuum omninò refert ad extraordinariam, miraculosam & sensibilem Spiritûs sancti donationem, quâ erant præditi Apostoli, non autem Diaconi, qualis erat Philippus. [b] *Quid ergo? an à Philippo baptizati non acceperant Spiritum sanctum? Spiritum Sanctum acceperant quidem, quoad peccatorum remissionem, sed non acceperant quantùm ad signorum editionem.* Et paulò post, *licet autem intelligere, quòd in datione Spiritûs sancti sensibile quippiam admirandum contingebat, neque enim aliòquin Simon ad petendum accessisset, nisi hoc conspexisset, &c.*[c] *Quod autem hoc verum sit, quod Spiritum ad edenda signa non acceperit, vide quomodo dicat, quod videns virtutes & signa, quæ fiebant, stupens admirabatur, & hoc petiturus accessit.*

Ità quoque sanctus Chrysostomus in hunc locum, quem hîc, ut in omnibus aliis, sequitur Oecumenius. [d] *Quomodo igitur, inquit, Spiritum non acceperant illi? Spiritum acceperunt remissionis, sed signorum nondum acceperant. Quod autem*

a Καὶ ἐπιθέσεως χειρῶν· οὕτω γὰρ τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον· ἐπιθέντος γὰρ αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας, φησὶν, ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

b Τί οὖν; οἱ βαπτισθέντες ὑπὸ Φιλίππου οὐκ ἔλαβον πνεῦμα ἅγιον; πνεῦμα μὲν ἅγιον ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως, τὸ δὲ τῶν σημείων οὐκ ἔλαβον &c. ἔστι δὲ συνιδεῖν ὅτι ἐν τῇ δόσει τοῦ ἁγίου πνεύματος αἰσθητόν τι ἐγίνετο παράδοξον. καὶ ὁ Σίμων οὐκ ἂν προσῆλθεν αὐτοῖς, εἰ μὴ τοῦτο ἐθεάσατο.

c Ὅτι δὲ τοῦτο ἀληθὲς καὶ τὸ τῶν σημείων πνεῦμα οὐκ ἔλαβεν, ὅρα πῶς φησὶν, ὅτι θεωρῶν δυνάμεις τε καὶ σημεῖα γινόμενα ἐξίστατο, καὶ προσῆλθε τοῦτο αἰτῶν.

d Πῶς οὖν, φησὶ, πνεῦμα οὐκ ἔλαβον οὗτοι; πνεῦμα ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως· τὸ δὲ τῶν σημείων οὔπω ἦσαν λαβόντες. Καὶ ὅτι τοῦτό ἐστι, καὶ τὸ τῶν σημείων πνεῦμα οὐκ ἔλαβεν, ὅρα πῶς ἰδὼν ὁ Σίμων προσῆλθε τοῦτο αἰτῶν.

hoc

hoc ità sit, & signorum Spiritum non acceperint, vide quomodò hoc animadvertens Simon, accessit illũ petens. Nihil unquam Patres & Autores Græci ex hoc loco colligunt, quod ad Confirmationis Sacramentum pertineat, multò minùs quo probari possit, Confirmationi ab iis adhibitam fuisse manuum impositionem. Refert quidem sanctus Chrysostomus ex eo quod hoc loco sancti Spiritûs donatio illa miraculosa speciale fuerit Apostolorum privilegium, factum esse, ut præcipui, & non alii hoc facerent, Spiritum scilicet sanctum darent. Nihilominùs tamen paulò antè dixerat, ut & Oecumenius, Philippum Diaconum ab hac donatione abstinuisse, eò quod id honoris causâ deferebat Apostolis, aut potiùs quod esset Diaconus, cui ejusmodi Spiritûs traditio sensibilis non conveniebat. Sed de hoc infrà. Quidquid sit, nihil hoc ad manuum impositionem in Confirmatione ex eorum Sententiâ adhibendam.

CAPUT SEXTUM.

Tertium Græci ritûs Argumentum expenditur: quod nimirùm nullus autor Græcus occurrat, qui manûs impositionem Chrismationi conjungat.

TERTIUM hujus rei Argumentum est, quòd sicut vix videas ullum Autorem Latinum paulò antiquiorem, qui Chrismati manûs impositionem non conjungat, sic nullum unquam videas Græcum, qui hæc conjungat, aut qui de Chrismate loquens ullam manûs impositionis mentionem faciat. Undè quæso tantùm de hac re apud eos silentium, si manuum impositionem non secùs, ac Chrisma administrationi hujus Sacramenti adhibuissent? Quamobrem vix unquam eos legas de ordinibus Clericorum aut disserentes, aut obiter verbulum inferentes, quin vel manuum impositionem commemorent, vel ipsum ordinem per solam manûs impositionis mentionem significent: In Confirmationis verò doctrinâ aut memoriâ, nunquam? Sanctus Clemens l. 3. c. 15. 16. 17. & lib. 7. c. 23. & 45. fusè satis explicat ceremonias Baptismi & Confirmationis, at de

manuum impositione nihil. De Unguento verò, quo baptizati unguntur, ubique verba facit, illudque ab oleo sacro distinguit, quo unguntur baptizandi; hoc ἔλαιον vocat, oleum: illud μύρον, unguentum; quod vocat βεβαίωσιν τῆς ὁμολογίας, *Confirmationem Confessionis.* Alludens procul dubio ad verba Apostoli 2. Corinth. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo; & qui unxit nos Deus, &c.* Juxtà enim utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis sententiam, Sacramentum istud institutum est ad fidem, quam in Baptismo accepimus, & coràm Ecclesiâ professi sumus publicè, coràm hostibus profitendam. Sensu non multùm diverso vocat l. 7. c. 23. μύρον unguentuum σφραγῖδα τῶν συνθηκῶν, *sigillum pactionum.* Illo enim unguento pactiones omnes & promissiones in Baptismo factæ, confirmantur, & veluti sigillantur.

Sanctus Dionysius c. 2. Hierarchiæ Ecclesiasticæ Ceremonias Baptismi & Confirmationis explicat, bisquè dicit, baptizando manus imponi; sed ubi de Confirmatione, manûs impositionis nulla memoria, solius unguenti mystici mentio. Et cap. 4. quod est de iis quæ in unguento fiunt, & de iis qui per illud consecrantur, fusissimè agit toto capite de Chrismatis consecratione, compositione & ejus effectibus. At de manûs impositione, cùm perficiendo applicatur, ne verbum quidem. Versùs capitis finem verba facit de Chrismatis effectu mirabili, qui est Spiritûs sancti donatio; sed de manûs impositione nulla mentio, quæ tamen erat tùm maximè consentanea. [a] *Quin etiam ei, qui sanctissimo divini ortûs sacramento initiatus est, divini Spiritus adventum unguenti dat perfusio; quòd significet, ut mihi videtur, sacra signorum descriptio ab eo, qui causâ nostrâ ut homo à divino Spiritu sanctificatus est, immutabili divinæ essentiæ statu permanente divinissimum Spiritum dari.*

Eusebius lib. 3. historiæ c. 17. ex Clemente Alexandrino historiam refert Adolescentis cujusdam, quem sanctus Joannes Apostolus fidei cujusdam Episcopi educandũ cõmiserat.

a Ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτῷ τῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς θεογενεσίας τελετὴν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρίσις, ὑποτυπώσεις ὡς οἶμαι, τῆς ἱερᾶς τῶν συμβόλων εἰκονογραφίας, ὑπ᾽ αὐτοῦ δι᾽ ἡμᾶς ἀνθρωποπρεπῶς τῷ θεαρχικῷ πνεύματι καθαγιασθέντος, ἀναλλοιώτῳ τῇ ὑπάρξει θεότητος ἔχει τὸ θειότατον πνεῦμα χορηγούμενον.

[a] *Episcopus adolescentem sibi concreditum in domum suam recipiens, educavit pro suo, in officio continuit, fovit humaniter, ad extremum Baptismi sacramento illuminavit. Posteà verò ubi sigillo Domini tanquam perfectâ tutâque animi custodiâ obsignasset, nonnihil de cura & observatione in eo constituendo suscepta remisit.* Manifestum est eum per sigillum [b] Domini σφραγῖδα τοῦ κυρίου Confirmationem intelligere, atquè etiam ab Epitheto addito τέλειον φυλακτήριον sacrum illud unguentum. S. Cyrillus Catech. Mystag. 3. vocat similiter σώματος καὶ ψυχῆς σωτήριον de manûs autem impositione nihil prorsùs.

Silentium prætereà sancti Cyrilli Hierosolymitani in hac causâ maximè considerandum, Catechesi 3. Mystagogicâ nihil aliud tractat, quàm hujus sacramenti administrationem. Hoc dari spiritum sanctum sæpiùs docet. Vobis similiter ex piscîna sacrarum aquarum ascendentibus datum est Chrisma. [c] *Quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus.* Et aliquantò post, [d] *Et corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* Nullam tamen manuũ impositionem, vel levissimè innuit. Si de formâ nobis esset quæstio dici forsan posset, mystica verba reticuisse, ne mysteria proderet, sed quare manuum impositionem potiùs reticuerit quàm Chrisma, si utrumque ab Orientalibus, usurpabatur, fingi non potest. Ubique enim manuum impositionem, quum usurpatur, non modò rituales libri, sed autores commemorant, nihilque frequentiùs, quàm manuum impositio prædicatur.

Sanctus Damascenus libro 4. de orthodoxâ fide c. 10. agit de baptismo, ibi versùs finem de Confirmatione aliquid addere videtur. Apostolis datus est Spiritus sanctus in for-

a Ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον, ἔτρεφε, συνεῖχε, ἔθαλπε· τὸ τελευταῖον ἐφώτισεν. καὶ μετὰ τοῦτο, ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου.

b Per sigillum Domini intelligit Clemens Baptismum, ut probat Valesius in notis in citatum locum Eusebii, & ad illud Clementis opusculum Combefisius in Auctario biblioth. Patrum. In errorem induxit Morinum Christophorsoni interpretatio Eusebii.

c Τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη Χριστός. τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἅγιον πνεῦμα.

d Τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται, τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται.

mâ ignis, nobis per oleum. [a]*Quod enim, inquit, igni, specie in S. Apostolos descenderit, hoc eo factum est, quia Deus erat. Deus porrò ignis consumens est. At verò oleum ideo ad Baptismum adhibetur, quia unctionem nostram designat, christosque nos efficit, ac Dei misericordiam per spiritum sanctum nobis pollicetur.* Locus sanè erat de manuum impositione, si ulla fuisset in hoc Sacramento, verba faciendi. Manùs enim impositio, ut docet sanctus Dyonisius, [b] *Divinũ præsidium sacramento annexum declarat, quo tanquam sancti pueri patris charitate foventur &c. contrariasque potestates procul ab eis fugat.* Quod rationi igni oppositæ, & consilio sancti Damasceni hoc loco, multò magis quàm olei natura convenit. At de manuum impositione, ne γρῦ quidem. Multò plura sunt Patrum Græcorum testimonia, in quibus Chrismatis fit mentio, nusquam tamen σὺν τῷ μύρῳ manuum impositionem conjungunt.

Christiani Syri, ut colligere est ex ritu Baptismi à Severo quodam, qui falsò dicitur Patriarcha Alexandrinus, manûs impositione in administratione hujus Sacramenti non utuntur. Statim post Baptismum precatur Sacerdos, deindè ungit Chrismate omnia eorum membra frontemque ter dicens. *Chrismate sancto, suavitatis & odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus sancti obsignatur talis N. in nomine Patris. Amen; & Filii. Amen; & Spiritus sancti ad vitam sæculi sæculorum. Amen.*

Manuum impositionis nullum verbum, nullum vestigium. Severum illum, Patriarcham Alexandrinum non fuisse ex dialecto, quà scripsit, evidens est. Alexandrinis enim & Ægyptiis lingua Syriaca nusquam fuit in usu; sed Græca & Ægyptiaca, seù Coptica, quæ cum Syrâ nihil habet commune; Coloniis scilicet Græcis Græca lingua, & indigenis Coptica. Sic Anthiochenis & Syris lingua Græca & Syra. Carthaginensibus & Afris lingua Latina & Punica. Ab annis autem mille & ampliùs diver-

a Ἐπὶ δὲ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους πυροειδῶς κατῆλθε. Θεὸς γὰρ ἐστί. ὁ δὲ Θεὸς πῦρ καταναλίσκον ἐστί. τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται, μηνύον τὴν χρίσιν ἡμῶν, καὶ χριστοὺς ἡμᾶς ἐργαζόμενον, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἔλεον.

b Ἡ δὲ τῆς ἱεραρχικῆς χειρὸς ἐπίθεσις ἐμφαίνει τὴν τελεταρχικὴν σκέπην, ὑφ' ἧς ὡς παῖδες ἱεροὶ περιέπονται πατρικῶς. &c. τὰς ἐναντίας δὲ αὐτῶν δυνάμεις ἀπῤῥαπίζουσα.

si quatuor Episcopi sese Episcopos Antiochenos, & Orientis Patriarchas insigniunt, Græcorum Antiochenorum Episcopus, Nestorianorum, Jacobitarum & Maronitarum; Severus ille Jacobita fuit, & Eutychianus; & si Patriarcha, Antiochenus fuit, Jacobitarum in Oriente caput.

Ex demonstratis evidentissimum est, Chrismatis usum in Confirmatione ab ipsis Apostolis initium cepisse, semperque ab universâ Ecclesiâ, Latinâ, Græcâ & Barbarâ usurpatum. [1] Manuum verò impositionem in Ecclesiâ tantùm Latinâ & Alexandrinâ adhiberi solitam, saltemque in Ecclesiâ Latinâ ab ipsis Apostolis in hunc usque diem in Sacramento Confirmationis perpetuò fuisse observatam.

CAPUT SEPTIMUM.

De innumeris Aromatibus, quæ in Ecclesiâ Græcâ chrismati seù unguento immiscentur, & Sacramenti Confirmationis materiam simul componunt. Quid apud Syros, Æthiopes, Alexandrinos & Afros? An Balsamum Syriacum per aliud aroma suppleri possit? An Chrisma benedici & ab Episcopo, sit necesse?

EX iis, quæ hactenùs demonstrata sunt, manifestum est apud omnes nationes, quæ nomen Christianum profitentur, si Neotericos hæreticos heri nudiùsque tertiùs exortos excipias, Chrisma, seù unguentum esse materiam Sacramenti Confirmationis, atquè ità nobis tradidisse Patres omnes Latinos & Græcos, ab ipsis Apostolis in hunc usquè diem. Duo tamen sunt in hac causâ, quæ Latinis hominibus non mihi videntur satis cognita, quæque ab eorum usu non parùm discedunt. Priùs ipsum Chrisma seù unguentum respi-

1. Si manuum extensio à manuum impositione diversa est, minùs constabit ab ipsis Apostolis ad hunc usque diem perpetuò adhibitam esse in Ecclesiâ Latinâ manuum impositionem: Imò fortè hodiè nullibi observatur, ut liquet ex Pontificali.

cit, quænam illi mixtura cum oleo conveniat. Exploratum est enim apud omnes [a]ex oleo Olivæ fieri debere. Ecclesiæ Latinæ consuetudo est antiquissima Balsamum oleo miscere; Græcæ verò & Orientalis innumera alia aromata, quorum enumeratio prostat in ejus Euchologiis. Consuetudo Ecclesiæ Latinæ, neminem, ut opinor latet; Græcæ verò non omnibus perindè nota, ut ex Doctoribus scholasticis colligitur, quapropter ejus antiquitas nobis est demonstranda.

Nullum hactenùs autorem Græcum legi, aut citatum audivi, qui sigillatim omnia aromata, ex quibus divinum unguentum conficitur, enarraret. Antiquum Euchologium Barberinum antè circiter octingentos annos, illa ex antiquâ traditione enumerat. Itaquè necessariò colligitur ex illis Euchologiis, illam Græcorum mixtionem à Catholicis autoribus fluxisse, longèque antè schisma cœpisse, & consequenter à Catholicorum nemine improbandam esse. Antiquissimi autem autores & Græci recentiores Balsami in specie mentionem non faciunt, sed τὸ μύρον, aut χρίσματος nomine contenti, rariùs olei, sed Euchologia Græcorum triplex Balsami genus commemorant, ξυλοβαλσάμου, καρποβαλσάμου & βαλσαμελαίου Tria tamen illa Balsami genera, conjuncta simul, aromatum, quæ unguenti istius confectionem componunt, sunt pars minima, si quis supputet, forsan trigesimam partem non attingent. Imò ne alterius quidem aromatis speciem, quam ego sciam, indigitant antiqui & recentiores Græci.

Quomodò igitur, inquies, ex istis Autoribus probamus diversissimam illam aromatum mixturam, quam antiqua & recentia Euchologia nobis exhibent ab iis fuisse cognitam & approbatam? Respondeo id probari ex eorum verbis, quibus testantur unguenti materiam esse diversorum aromatum mixturam, unguentum illud esse odoriferum, suave admodum olens, illud Mosaïco, quibus sacerdotes & vasa sacra ungebantur, comparant. Importunum enim, & tædiosum fuisset, tùm scribenti triginta novem, aut quadraginta spe-

---

a Λέγομεν τοίνυν ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τίς ἐστιν εὐωδῶν ὑλῶν ἐν ἑαυτῇ πλουσίως ἔχουσα ποιότητας εὐόσμους ἧς οἱ μετασχόντες εὐωδιάζονται, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ ποσοῦ τῆς ἐγχεομένης αὐτοῖς τῆς εὐωδίας μετέξεως.

cies aromatum deſcribere, tùm lectori eaſdem legere. Sic de eo ſanctus Dionyſius c. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. [b] *Dicimus igitur unguenti compoſitionem eſſe aggregationem quandam materiarum ſuave olentium, quæ in ſe magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat, cujus qui facti ſunt participes, odorem bonum ex ſe efflant, proportione fragrantis communionis, quæ in eis ineſt:* Et paulò poſt varios iſtos odores myſticè refert ad varias animæ noſtræ facultates, quæ gratiæ Dei ſuavitatibus perfunduntur. [b] *Unguenti ergò myſtica compoſitio, quaſi in figuratione eorum, quæ formari non poſſunt, nobis Jeſum ipſum depingit, fontem eſſe copioſum, ex quo ſuavitates divinorum odorum recipiantur, diviniſque proportionibus in mentes, quæ divinitatis ſpeciem maximè præ ſe ferant, diviniſſimi ſuffitus infundantur, &c.* Paulò antè id retulerat ad varias ſpiritaleſque Dei pulchritudines. Quæ omnia diverſiſſimorum aromatum mixturam ſignificant. Eadem, quæ Dionyſius, habet Pachymeres ipſius Paraphraſtes, ad ſpecialem tamen aromatum enumerationem non deſcendit; illa enim ritualibus reſervatur.

Idem docet ſanctus Clemens lib. 7. c. 45. licèt minus evidenter, [c] *qui odorem cognitionis Evangelii omnibus gentibus ſuavem præbuiſti, tu etiam nunc præſta ut unguentum hoc in baptizato efficax efficiatur, ut bonus odor Chriſti tui firmus, & omni parte ſanctus in eo maneat, &c.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtagogica. 3. divino illo unguento dicit poſt Baptiſmum nares ungi, [d] *ut divinum recipientes unguentum dicatis, Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis qui ſalvantur.* Spectat igitur in illo unguento potiſſimùm εὐωδίαν; quæ ex variis illis aromatis conflatur. Ideò illud comparat unguento Moſaïco, quo Sacerdotes & Reges ungebantur, quod ex variis aromatum ſpeciebus conflabatur, ut le-

b Οὐκοῦν ἡ τοῦ μύρου συμβολικὴ σύνθεσις ὡς ἐν μορφώσει τῶν ἀμορφώτων, αὐτὸν ἡμῖν ὑπογράφει τὸν Ἰησοῦν πηγαῖον ὄντα τῶν θείων εὐωδιῶν ἀντιλήψεσιν ὅλον, ἀναλογίαις θεαρχικαῖς εἰς τὰ θεοειδέστατα τῶν νοερῶν ἀναδιδόντα τὰς θειοτάτας ἀτμούς.

c Ὁ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως τοῦ εὐαγγελίου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν εὔοσμον παρεχόμενος σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ χριστοῦ σε.

d Ὅπως τοῦ θείου ἀντιλαμβανόμενοι μύρου λέγητε, χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις.

gere est Exodi cap. 30. v. 2. & sequentibus.

Ad hæc respiciens Gabriel Metropolita Philadelphiensis sic definit unguenti illius materiam [a] *Materiam unguenti remotam esse dicimus hominem unctum, proximam verò oleum cum aggregatione suave spirantium materiarum qualitates habentium odoriferas.* Quænam autem sint illæ non enarrat, ne lectori tædium creet.

Rectè Suidas in dictione μύρον istud ex psalmo μύρον ἐπὶ κεφαλῆς explicans scribit. [b] *Oleum Pontifical ex suavibus odoribus componebatur. At nullus eorum per se ipsum tantam suavitatem emittebat, sed omnium mixturâ & temperamentum maximam odoris suavitatem producebat. Quapropter jure illi fraternam concordiam comparavit. Multorum enim rectè factorum concursus & collatio suavem virtutis odorem operatur.* Ideò Græci unguentum suum chrismale ex diversissimis odoribus conficiunt.

Quemadmodum autem Syri Græcos imitantur in omissione manuum impositionis, ità quoque in unguenti compositione. Colligitur enim non inevidenter ex Severo de ritu Baptismi, Chrismatis materiam fuisse ex variis odoribus oleo commixtis compositam. Sic orat Sacerdos antè unctionem. *Hanc autem obsignationem in sancto nomine tuo recipiant isti servi tui ut per baptismi fidem cum cultoribus tuis annumerentur, ità ut hoc chrismate omni suavitate odoris repleti, spiritualiter ab inimicis potestatibus non invadantur, &c.* & dum ungit, *chrismate sancto, suavitate odoris Christi Dei, &c, obsignatur talis.* Referuntur ista verba, *omni suavitate odoris repleti*, ut & hæc; *suavitate odoris Christi Dei*, ad varia illa aromatum genera, ex quibus τὸ μύρον componitur. Æthiopes verò & Alexandrini, qui Latinos hac in causâ imitantur, & manuum impositionem chrismati conjungunt, disertè Balsami mentionem faciunt. Initio ritûs, *sacerdos dicit sequentem orationem super eos qui baptizati sunt, priùsquam eos, ungat Balsamo:* Finitâ oratione, *posteà sacerdos accipit Balsamum,*

---

a Ἡ ὕλη τοῦ μύρου ἡ πόῤῥω, εἶναι φαμὲν, τὸν ἄνθρωπον τὸν χριόμενον. ἡ δὲ ἐγγὺς τὸ ἔλαιον μετὰ συναγωγῆς εὐπνόων ὑλῶν ποιότητας ἐχουσῶν εὐόσμους.

b Τὸ ἀρχιερατικὸν ἔλαιον ἐξ ἡδυσμάτων συνέκειτο. ἀλλ' οὐδὲν ἐκεῖνο αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τοσαύτην εὐοσμίαν ἐδίδου. ἡ δὲ πάντων μίξις καὶ κρᾶσις πλείστην ἔσχε τὴν ἡδονὴν εἰργάζετο. τοῦτο τῇ ἀδελφικῇ εἰκότως συμφωνίᾳ ἀπείκασεν. ἡ γὰρ τῶν πλειόνων κατορθωμάτων συνεισφορὰ τῆς τελείας ἀρετῆς τὴν εὐοσμίαν ἐργάζεται.

&

& erat super ipsum, dicens, &c. Confirma Domine virtute tuâ omnem gratiam Spiritûs sancti super hoc balsamum, fiat sanctum, amen. Fiat signum vitæ, amen, & confirmatio famulis tuis. Amen. per.

Idem probat ipsa dictio τὸ μύρον quâ Græci omnes utuntur. Non enim significat compositionem ex oleo & balsamo tantùm, sed quid ex variis odoribus & liquoribus cum oleo compositum, quod suaviter spirat. Latinè unguentum dici potest scilicet ex variis aromatis confectio, quâ homines deliciarum causâ sese ungere & perfundere solent. Undè nitere unguento, perfricare caput unguento; & Tibullus, stillant unguenta capillo. Sic apud Athenæum legas libro 1. μύροισιν ἀλείφεσθαι lib. 2. πλήξειεν τὴν κεφαλὴν μύρῳ ut apud Aristophanem mulier μακαριωτάτη ἐγὼ ὑπεραμύρομαι τὴν κεφαλὴν μυρώμασιν ἐγχεοῦσι *O me fortunatam, quæ caput uncta sum unguentis optimis.* Et libro 12. ex Anaxilâ Poëtâ, ξαινῶσι τὸν χρῶτα λιπαίνων. Hinc μυροθήκιον vas unguentarium, alabastrum unguenti, μυρόπνους unguentum spirans, quod delicatulis hominibus convenit, & vitio vertitur. μυροπωλεῖν, μυροπώλης, μυρόπωλις *Unguenta vendere, unguentarius, unguentaria.* μυροπωλεῖον *officina unguentaria*, μυρίζειν *unguentis inungere*, γυναῖκες φυκιούμεναι καὶ μυριζόμεναι, *Mulieres fucatæ, & unguentis perfusæ.*

Plutarchus sympos. 6. μεμυρισμένος, *unguentatus, unguentis delibutus*, & plurima ejusmodi. Undè Julius Pollux de aromatariis illis compositionibus & mixturis verba facturus, lib. 6. c. 19. inscribit caput illud, περὶ μύρων variaque enumerat τῶν μύρων seù unguenti ejusmodi pretiosi genera, Migalesium, Plangonium, Brentium, Nardum, Babylonicùm & Ægyptium, μύρα δὲ οἶδεν καὶ βάκκαριν, καὶ ἀμάρακον καὶ ἶριν. &c. *Unguenta quoque cognita habuerunt, Baccarim, Amaracum, & Erin, &c.* σφόδρα δὲ ἦν εὐδόκιμον τὸ βασιλικὸν μύρον *Regium vero unguentum plurimùm erat celebre, &c.* Ipsa igitur dictio, quâ Græci utuntur, ut confirmationis materiam significent, vel sola satis evidenter ostendit præter balsamum, multa alia aromatum genera ad ejus confectionem concurrisse.

Ecclesia Africana videtur eamdem cum eâ, quam describit sanctus Dionysius, materiæ confectionem huic sacramento supposuisse. Sic enim scribit Optatus libro 7. adversus id quod Donatistæ Catholicis adscribebant ex Proverbiis Salomonis. Muscæ mori-

turæ exterminant olei suavitatem. *Quasi Muscas morituras nos appellant, & oleum nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur, quod chrisma, postquam conditum est, nominatur.* Et aliquantopost, *Igitur oleum antequam à nobis conficiatur, tale est, quale natum est; confectum, suavitatem ex nomine Christi accipere potest &c.* Paulòpost, *Oleum enim simplex est, & nomen suum unum & proprium habet; confectum, jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusâ duritiâ peccatorum, quæ animum innovat lenem, quæ sedem spiritui sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugatâ, libenter inhabitare dignetur.* Condîtum, confectum, suave, probabiliter innuunt ex variis odoribus & liquoribus quid temperatum, ex quo suavissimus odor exhalatur, si solum balsamum oleo mixtum fuisset, quid prohibebat vocem illam textui inserere, cum toties oleum & suavitas, condîtum & confectum repetantur? Aliquandò videtur Optatus, suavitatem, condimentum & confectionem soli Christi nomini tribuere, itâ ut videatur dicere oleum purum solâ benedictione confici & condiri. Verùm hic sensus omnem mixtionem excluderet, quod ab usu Ecclesiæ catholicæ alienum est, Hoc igitur sibi vult Optatus; transit â suavitate & condimento variorum odorum externo ad internam suavitatem, quam per chrisma operatur in animis nostris Spiritus sanctus, ut videre est in postremo testimonio citato, & evidenter colligitur ex his verbis: *Vos exterminastis in rebaptizatione suavitatem olei illius, quod in nomine Christi confectum est, unde condirentur mores, unde incenderetur lumen mentis, ad salutarem & veram intelligentiam. Vos exterminastis rem, ubi oleum fuit & suavitas.* Virtutem mutuatur Chrisma à Christo, in cujus nomine conficitur, suavitatem inde derivat, interiorem scilicet & spiritalem, quam Donatistæ rebaptizando & iterùm ungendo exterminabant.

Videtur quoque idem innuere Autor eloquens tractatûs de unctione Chrismatis apud sanctum Cyprianum. *Hodie, ut diximus, unguentum ad sanctificationem paratur, cujus fragrantiâ adolescentulæ & novellæ animæ accedentes ad fidem, illectæ delectantur, & exinanitionis ejus suavitate delibutæ, diligunt & sequuntur aromatum largitorem, & usquè ad Regis accu-*

bitum spiramine illo trahuntur, & post odorem illum ubiquè desiderio sancto perurgente, sitibundæ discurrunt. Hæc verba videntur omninò variorum odorum & aromatum mixturam innuere, quod etiam probabiliter confirmatur ex perpetuâ comparatione, quam instituit olei istius cum oleo Mosaico, quo Reges, Sacerdotes, & omnia tabernaculi vasa inungebantur. Inter autem aromata illa balsamum adnumeratum fuisse, verba ejusdem Autoris, quæ sequuntur, demonstrant.

Ex usu igitur Ecclesiæ perpetuò colligi videtur materiam Sacramenti Confirmationis necessariam, oleum esse aromatis conditum, inter quæ præcipuas partes obtinet balsamum. Et consequenter si Ecclesiæ varias consuetudines spectemus & sibi invicem comparemus, potuisse Pontifices, Paulum tertium, & Pium quartum dispensare, ut in Indiâ, ubi balsamum Syriacum non crescit, illius Regionis aroma balsamo simile, oleo misceretur ad veram confirmationis materiam, verumque chrisma conficiendum. Istius dispensationis mentionem faciunt Henriquez lib. 3. de Confirmatione c. 2. & Suarez de Confirmatione art. 4. sect. 1. Ratio ex præcedentibus datur, quod ex usu Ecclesiæ universæ materia necessaria sit oleum aromatis temperatum: Ubi igitur verum balsamum haberi non potest, aliud aroma jus habet Pontifex substituendi, quum semper illud, in quo materiæ ratio constat, conservetur. Consequitur prætereà manuum impositionem in hoc Sacramento non esse de necessitate Sacramenti absolutè loquendo, quum apud Græcos vera sit confirmatio, saltem olim veram fuisse negari non potest, nequè etiam nunc, cum ex demôstratis constet nihil eos in hoc Sacramento mutasse.

[a] At in illius administratione nunquàm manuum impositionem adhibuerunt. Lectoris mentem subit, an igitur Confirmatio sine manuum impositione ab Episcopo Latino data sit verum Sacramentum, hæc quæstio ab aliâ generali

a Videtur tamen hujus manuum impositionis mentionem apertè facere Firmilianus apud Cyprianum, Epist. 75. pag. 100. editionis Pamelii his verbis: Sed & cæteri quique hæretici, si se ab Ecclesiâ Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt: quando omnis potestas & gratia in Ecclesiâ constituta sit; ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & *manum imponendi*, & ordinandi possident potestatem. Hæreti-

pendet; an Sacramenta à Latinis more Græco, aut à Græcis more Latino, collata valeant. Sed de hâc quæstione, & nonnullis aliis, quæ affines sunt, infrà disputabitur. Quæri solet an materiam istam benedici & ab Episcopo necesse sit. Et benedici necesse est, atquè ut ab Episcopo benedictio illa fiat. In ejusmodi rebus non ex ratione Metaphysicâ respondendum est; sed ex decreto & usu Ecclesiæ, qui est optimus legum interpres. Verùm & Conciliorum & Patrum tàm Latinorum quàm Græcorum id jubent & decernunt disertissimè Canones & Decreta: Hanc consuetudinem hactenùs illibatam conservarunt constantissimè Ecclesiæ omnes Latinæ, Græcæ, Barbaræ. Quid aliud hinc definiri potest, quàm Episcopalem consecrationem ad istius Sacramenti substantiam pertinere?

co enim sicut ordinare non licet, *nec manum imponere*, ità nec baptizare; nec quicquam sanctè nec spiritaliter gerere; quando alienus sit à spiritali & deïficâ sanctitate. Et infrà: Quale est autem, ut cum Paulum post Joannis Baptisma iteratò discipulos suos baptizasse videamus; nos eos, qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, post illicitam & prophanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his Episcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus, ut hi quidem possint *per solam manûs impositionem venientibus hæreticis dare spiritum sanctum*; Paulus autem idoneus non fuerit, qui à Joanne baptizatis *Spiritum sanctum per manûs impositionem dares*, nisi eos priùs etiam Ecclesiæ baptismo baptizasset.

Hoc ipsum repetit ibidem pag. 202. ubi, Quotquot, inquit in Christo tincti estis, Christum induistis: Utique qui illic in Christo baptizatus est, induit Christum: Si autem induit Christum, accipere potuit & Spiritum sanctum qui à Christo missus est. & frustrà illi venienti *ad accipiendum spiritum sanctum manus imponitur*: Nisi si à Christo Spiritum induit, ut apud hæreticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus sanctus. Pag. deniquè 203. ibid. Sed in multis inquit, proficit nomen Christi ad fidem & Baptismi sanctificationem, ut quicunque & ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi; quando huic loco breviter occurri possit, & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manûs impositio ad accipiendum Spiritum sanctum.

Ejusdem manûs impositionis meminit Oecumenius. Scribit enim ista in cap. 6. Epist. ad Hebræos, editionis Morelli 1631 pag. 353. & 354:

Ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα· τελειότητα δὲ τὴν δι' ἔργων φιλοσοφίαν.

Sermonem aggreditur Apostolus, *vocans quidem principium, baptisma & manuum impositionem ac signaculum, quæ in eo sunt: Perfectionem verò doctrinam per opera.* Et infrà pag. 355. hæc citat ex Gennadio Constantinopolitano, quæ clara videntur.

Βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι τοῖς νῦν πρῶτον προσιοῦσι τῇ πίστει, τὴν περὶ τούτων διδασκαλίαν, οἱονεὶ θεμέλιον προκαταβαλλόμεθα· μετανοεῖν μὲν ἀπὸ τῶν νεκροποιῶν ἔργων εἰκότως πρῶτον αὐτοὺς προτρεπόμενοι· μετανοοῦντας δὲ πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεόν, πιστεύοντας δὲ βαπτίζεσθαι, βαπτιζομένους δὲ τῇ τῶν ἱερατικῶν χειρῶν ὑπάγειν ἑαυτοὺς ἐπιθέσει πρὸς μετουσίαν τοῦ πνεύματος. Τούτου δὲ μεταχθέντας, περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως μακρὰν διανοεῖν.

Hoc est, *Vult autem dicere, quod nunc primum ad fidem accedentibus, harum rerum doctrinam tanquam fundamentum proponimus; meritò ipsos primum adhortantes ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant; credentes autem baptizentur; baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus. Porrò hujus facti participes de Resurrectione ex mortuis deinceps non vacillent* &c. & infrà:

Ποῖος δὲ οὗτος; τὸν, τὸν βαπτισμῶν, καὶ διδαχῆς καὶ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν (δι' ἧς τὸ πνεῦμα, φησίν, ἐλάβετε) καὶ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τοῦ κρίματος τοῦ αἰωνίου, ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα.

Quis autem ille est? sermo initii ad Deum, *Qui de baptismatis est, & de doctrinâ & de impositione manuum (per quas Spiritum, inquit, accepistis) & de Resurrectione ex mortuis ac æterno judicio, ad perfectionem feramur.* Et inferius ex eodem adhuc Gennadio Constantinopolitano:

ὥσπερ ἔλεγε νήφετε· οὐκ ἔστι γὰρ ζῆσαι ῥαθύμως, καὶ πάλιν βαπτισθῆναι, καὶ δι' ἐπιθέσεως χειρῶν λαβεῖν πνεύματος ἁγίου ἐπιφοίτησιν.

Ac si diceret, Vigilate: Neque enim licitum est, ut, segniter vivas, & rursum baptizeris, & per manuum impositionem accipias Spiritus sancti superventionem. Denique ibidem Oecumenius pag. 356.

ἀδύνατον γάρ, inquit οὐκ εἶπε, δύσκολον, ἀλλ' ἀδύνατον. γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς, τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν τῆς ἐν τῷ βαπτίσματι. αὕτη γὰρ δωρεὰ ἐπουράνιος, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν καθὼς ἄνω φησί.

Impossibile enim est: non dixit, difficile, sed impossibile. *Gustaverintque donum*, remissionis peccatorum, quæ fit in Baptismate. Si quidem hoc donum cæleste est. *Et participes fuerint Spiritus sancti*. Per manuum impositionem, sicut dixit superius. Vidit hæc Morinus, & adhibitâ explicatione cum sententiâ suâ conciliare conatus est: An rectè, & ità, ut nulla omninò difficultas supersit, ipse videris.

CAPUT OCTAVUM.

De materiâ proximâ Sacramenti Confirmationis, seu de ipsâ unctione, maximè apud Græcos, Syros, Alexandrinos & Æthiopes.

POsterius, quod nobis exponendum capite præcedente proposuimus, materiam spectat, quam vocare solent proximam, Unctionem videlicet, seu ipsissimam materiæ Sacramenti applicationem. Plurimùm enim in Unctionis modo Ecclesia Romana cæterique Latini à Græcis, cæterisque orientalibus differunt. Omnibus notum est apud Latinos unctionem Chrismatis in Sacramento Confirmationis, fieri tantùm in fronte, antiquissimamque esse in Occidente hanc consuetudinem. Testimoniis non opus est, cum jam allata id disertè testentur, vixque legi possit aliquod antiquorum & recentiorum Latinorum testimonium de Confir-

matione ; quod hoc non confirmet ; sed Græcorum longè alia ratio, nec eorum consuetudo Latinæ cedit antiquitate. Juxtà vulgatum Euchologium Unctio chrismatis fit primò super frontem, deindè super oculos, tertiò super nares, posteà super os, quintò super utramque aurem, super pectus, deniquè super manus & pedes. Duo tamen antiquissima Euchologia Unctionem pectoris manuum & pedum omittunt. Tertium vaticanum, quod est recentius, eadem membra omittit, prætereà pro oculis habet τὰ μετόπια interscapillum. Euchologiorum verba hic non referemus, quia suprà fusè relata sunt. Antiquissimis nostris Euchologiis, prorsùs conveniunt Canon septimus Concilii secundi generalis, & Canon 95. Concilii in Trullo, in quibus agitur de diversis modis diversos hæreticos in Ecclesiam recipiendi. Præter autem tomos Conciliorum, reperiuntur Canones illi integri apud Zonaram, & Balsamonem, & in Synopsibus harmenopuli, Aristeni, & aliorum compendiosè. Canon insuper ille Concilii secundi Generalis, seù Constantinopolitani primi in Synagoge Canonum Theodoreti deprehenditur, quæ extat manuscripta in Bibliothecâ Regiâ, & commentariis illustrata à Gregorio scholastico, qui Justiniano primo imperante scribebat, & ad eum alludunt Timotheus Presbyter & Ecclesiæ Constantinopolitanæ custos, qui Anastasio imperante scribebat de differentia eorum qui accedunt ad fidem nostram, & Sanctus Methodius Patriarcha Constantinopolitanus de hac re scribens. Sed de his Autoribus Fusius posteà. Quare nullum dubium est hanc ungendi Consuetudinem apud Orientales esse antiquissimam.

Idem confirmatur ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Episcopo in catechesi mystagogicâ. 3. Quæ tota est de Confirmationis Sacramento. Unctiones illas enarrat, & mysticè explicat : sic ille ad recèns baptizatos & confirmatos. [a] *Primum quidem illinebamini frontem, ut pudore liberaremini, quem primus homo transgressor ubique circumferebat, atque ut facie retectâ, & apertâ gloriam contemplaremini : Deinde aures,*

a Καὶ πρῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, ἵνα ἀπαλλαγῆτε τῆς αἰσχύνης ἣν ὁ πρῶτος παραβάτης ἄνθρωπος πανταχοῦ περιέφερε, καὶ ἵνα ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κατοπτρίζεσθε. εἶτα ἐπὶ τὰ ὦτα, ἵνα προσλάβητε τὰ ἀκουστικὰ τῶν θείων μυστηρίων ὦτα,

ut acciperetis aures audiendi divina mysteria capaces; de quibus dicebat Esajas, Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum: & Dominus in Evangelio, Qui habet aures audiendi audiat. Posteà nares, ut divino accepto unguento dicatis, Christi bonus odor sumus in iis qui salvantur. Insuper & pectus, ut induti thoracem justitiæ subsistatis adversùs fraudes, & versutias Diaboli. Omittit oculos Sanctus Cyrillus, & loco oris, quod reliqui habent, substituit pectus. Forsan aliquod membrum omisit. Hoc enim facile factu est concionē ad Populum habenti. Quæ fuerit antiquissima & probatissima totius Orientis consuetudo ex dictis satis superque demonstratum est. Quis audeat tantis autoritatibus approbatum ritum improbare?

Syri, Alexandrini & Æthiopes ungunt adhuc plura corporis membra, quàm Græci; Scribit Severus in fine ritûs baptismi sacerdotem sacro unguento ungere. *Omnia baptizatorum membra, eorumque frontem tribus vicibus dicentem &c.* Et paulò post, *& ungit omnia eorum membra, & manus & pedes & nares eorum.* In ordine Æthiopico administrationis Sacramenti Confirmationis sigillatim hæc enumerantur, quæ sacro unguento in figuram crucis illinuntur; frons, dorsum, oculi, nares, labia, aures, os stomachi, tibiæ, ulnæ, genua, & omnes juncturæ eorum, planta pedum, & spina. In istorum membrorum unctione, quinquies verborum formulæ apud Alexandrinos mutantur. De quâ formularum mutatione posteà verba faciemus. En Ecclesiasticarum consuetudinum varietas, quam nemo, ut opinor, sine temeritatis notâ culpabit. a

περὶ ὧν Ἡσαΐας ἔλεγε, καὶ προσέθηκέ μοι κύριος ὠτίον τοῦ ἀκούειν· ὁ Ἰησοῦς ἐν εὐαγγελίοις ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, εἶτα, ἐπὶ τὴν ὄσφρησιν, ὅπως τοῦ θείου ἀντιλαμβανόμενοι μύρου, λέγητε, Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις. μετὰ ταῦτα, ἐπὶ τὰ στήθη, ἵνα ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, στῆτε πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου.

a Per hæc, quæ præcessere capita, in eo totus est Morinus, ut probet Sacramenti Confirmationis materiam, quam vocant essentialem, in Chrismatione omnino positam esse: Manûs autèm impositionem meram esse ceremoniam, quæ pro variâ Ecclesiarum consuetudine, & adhiberi possit & omitti, sine ullo Sacramenti vel augmento vel detrimento. Id enim ad substantiam Sacramenti pertinere, quod in Ecclesiâ universali ubique & semper usurpatum est. At in Orientali totâ & Occidentali Ecclesiâ semper adhibitam esse Chrismationem: Impositionem verò manûs in Orientali nullam fuisse, nec etiamnum esse. Caruisset ergo, & adhuc hodie careret Sacramento Confirmationis Ecclesia tota Orientalis, si manûs impositio esset de essen-

tiâ Sacramenti Confirmationis. Id quod profectò ne is, nec dixit unquam, nec hodie dixerit. In eo videtur esse præcipua vis argumenti, quo sententiam hic demonstrat Morinus.

Sunt autem Theologi alii, numero non pauci, scientiâ, nomine & autoritate insignes, quos citat Doct. Jacobus de Sainte-beuve tract. de Confirm. disp 3 Art. 1. qui contrà volunt ejusdem Sacramenti materiam essentialem esse impositionem manûs: Chrismationem verò, aut partem ejus tantùm integralem, aut meram ceremoniam adjunctam Sacramento. Quam sententiam suam confirmant Scripturæ sacræ, Conciliorum & sanctorum Patrum autoritate multiplici: Quodque omninò pugnat cum Morini opinione, probant etiam in Ecclesiâ Orientali usurpatam esse manûs impositionem; ut liquet ex citatis in superiori observatione Firmiliano, Occumenio, & Gennadio Constantinopolitano.

Non deest, ut vides, sua singulis autoritas, ratio sua: ita ut in hac tantâ utriusque sententiæ diversitate vix definire possis, quid potissimùm sentias. Quamcunque enim partem elegeris, illam etsi facillimè probes, solves tamen difficillimè, quæ opponentur argumenta plurima, eaque validissima.

Fecit hæc, quæ me nonnunquam inter docendum & disputandum vehementer angebat difficultas, ut si quam possem etiam inirem conciliationis. Mihi ergo multa ac varia meditanti venit ista in mentem, quam in lectionibus nostris Sammagloriaiis proposui Discipulis, plerisque nunc sapientissimis Magistris meis Sorbonicis, ut dicerem, & manûs impositionem, & Chrismationem, materiam essentialem esse Sacramenti Confirmationis; sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantùm, pro diversâ locorum ac temporum, pro diversâ Ecclesiarum consuetudine usurpatam. Ubi verò utraque simul adhibetur, nihilo plus conferri, quam si alterutra tantum adhibeatur: Dari per utramque simul, dari per alterutram Spiritum Sanctum.

De materiâ ergo Confirmationis idem ferè dicendum, quod de materiâ Eucharistiæ pane & vino credimus. Nam & qui speciem utramque simul sumserit, & qui alterutram tantùm, ille Eucharistiam verè sumserit; nec ille amplius, quam hic acceperit: quia utraque & alterutra, materia est Eucharistiæ essentialis. Igitur qui confirmationem per manûs impositionem simul & Chrismationem acceperit, nihil amplius acceperit, quam qui per solam vel manûs impositionem vel Chrismationem: Dari enim semper & accipi verum Confirmationis Sacramentum: Dari & accipi Spiritum sanctum; quod SS. Patres, quod Concilia ubique prædicant, ubique verbis expressis docent.

Placuit illa non paucis opinio, & à nonnullis publicis in Sorbonâ Thesibus est propugnata. Eo certè faciliùs probatur ac defenditur, quod & qui pugnant pro impositione manûs, & qui pro Chrismatione, mecum omnes faciunt, nemo contra me facit. Tu si voles consentientes habere omnes, adversarium neminem, nisi alia aliqua obstant, quæ me fugiunt, opinionem hanc poteris sequi.

CAPUT NONUM.

De discrimine utriusque Ecclesiæ circà chrismationem, quæ unica apud Orientales, duplex apud Occidentales.

A MATERIA, in quâ versamur, alienum non est, alterum discrimen notare; quod viget Occidentales inter &

& Orientales. Orientales enim omnes unâ tantum chrismatione utuntur, in Sacramento scilicet confirmationis, quæ nihil aliud est, quàm Sacramenti istius administratio. Occidentales verò duplici chrismatione; priore, quæ ipsis tantùm est ceremonialis, quæque fit à Presbytero in capitis vertice; posteriore, quæ in fronte fit, & jungitur semper manuum impositioni: hæc est ipsa confirmatio, quæ in Occidente solis Episcopis licita est. Nunquam Orientales usi videntur priore istâ chrismatione: bis enim tantùm ungunt: Prior unctio similis prorsùs est Latinorum unctioni cum oleo scilicet benedicto, quo baptizandi unguntur, quod eâ de causâ vulgò vocari solet oleum Catechumenorum. Posterior fit cum chrismate modo capite præcedenti explicato. Nequè tantùm hodierna Enchologia unam nobis unctionem antè confirmationem representant, sed etiam antiquissima. Euchologium Barberinum, ut etiam sequentia, quæ referuntur, post descriptionem rituum insufflationis in eum qui fit Catechumenus, post triplices exorcismos, post aliam insufflationem, & crucis signũ ter impressum in fronte, ore, & stomacho, post varias orationes, abrenuntiationes, orationes super aquam, insufflationem in eam, insufflationem in vas unguenti, & crucis signationem, tandem sic scribit, p. 209. & sequentibus.

[b] *Amen dicto, dicit Diaconus, attendamus. Tùm Sacerdos accepto vase olei sancti; facit ex eo in aquam tres Cruces, canens cum turbâ ter Alleluia. Quo facto reponit vas, altâque voce dicit, Benedictus Deus, qui illuminat & sanctificat omnem hominem venientem in mundum, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. Tunc producitur baptizandus, sumitque sacerdos digito ex oleo sancto, & facit crucis figuram super frontem & pe-*

b Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν ὁ διάκονος λέγει πρόσχωμεν. καὶ λαμβάνει ὁ ἱερεὺς τὸ τρύβλιον τοῦ ἁγίου ἐλαίου, καὶ ποιεῖ δι' αὐτοῦ εἰς τὸ ὕδωρ σταυροὺς γ' ψάλλων τὸ ἀλληλούια. σὺν τῷ ὄχλῳ γ'. καὶ μετὰ τοῦτο ἀποτίθεται τὸ τρύβλιον. εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ φωτίζων καὶ ἁγιάζων πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Καὶ προσφέρεται ὁ βαπτιζόμενος, καὶ λαμβάνει ὁ ἱερεὺς ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου τῷ δακτύλῳ αὐτοῦ, καὶ ποιεῖ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τοῦ στήθους, καὶ τῶν μεταφρένων τοῦ βαπτιζομένου, καὶ λέγει, χρίεται ὁ δοῦλος ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ τότε ὑπὸ τοῦ διακόνου χρίεται ὅλον τὸ σῶμα, καὶ μετὰ τοῦτο βαπτίζεται ὑπὸ τοῦ ἱερέως λέγοντος, βαπτίζεται ὁ δοῦλος εἰς τὸ ὄνομα. καὶ μετὰ τὸ βαπτισθῆναι λέγει ὁ ψάλτης, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι.

ctus, & interscapilia baptizandi dicens, ungitur talis oleo lætitiæ in nomine patris & filii & spiritus sancti. Ungitur posteà totum corpus à Diacono, quo facto baptizatur à Sacerdote dicente, baptizatur talis in nomine &c. Et eo baptizato, dicit cantor, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Sequitur immediatè ritûs Confirmationis iis verbis, quæ suprà retulimus integra. Supplevimus dictionem ἱερεὺς quæ forsan scribendo est omissa, nam prorsùs necessaria est, aut similis. Formula baptismi non refertur integra, ut vulgata & omnibus nota. Textus antiquissimi Euchologii cryptæ ferratæ prorsùs ferè similis est, paucula sunt diversa, quia exhibetur Patriarcha ipse baptisans, textum Græcum referemus. [c]

Posteà sequuntur verba, quæ suprà retulimus integra, cum de Confirmatione egimus. Latinâ interpretatione opus non videtur, quum eadem ferè verba, quæ superiùs explicata sunt, hic repetantur.

Attexemus quoque hîc verba Euchologii vaticani præcedentibus multò recentioris. Post olei benedictionem sic legitur.

[d] *Sacerdos autem accipiens digito suo ex oleo sancto, crucis facit figuram super frontem & pectus, & inter scapilium dicens, ungitur servus Dei N. oleo exultationis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper, & in &c. Posteà ungitur à Diacono totum corpus, deindè sic baptizatur à Sacerdote, dicente, Baptizatur servus Dei, talis*

c Τοῦ διακόνου λέγοντος πρόσχωμεν, λαμβάνει ὁ ἱερεὺς τὸ τρύβλιον τοῦ ἁγίου ἐλαίου, καὶ ποιεῖ δι' αὐτοῦ εἰς τὸ ὕδωρ σταυροὺς τρεῖς, ψάλλων σὺν τοῖς ψάλταις ἐν τῷ ἤχῳ, τὸ ἀλληλουΐα τρίτον. εἶτα ἀποδίδωσι τὸ τρύβλιον ἐκφωνεῖ, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ φωτίζων καὶ ἁγιάζων πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ὁ λαὸς, ἀμήν. Καὶ προσφέρεται ὁ βαπτιζόμενος ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ λαμβάνων ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου τῷ δακτύλῳ αὐτοῦ ποιεῖ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τοῦ στήθους καὶ τῶν μεταφρένων, λέγων, χρίεται ὁ δεῖνα ἔλαιον ἀγαλλιάσεως εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Καὶ τότε χρίεται ὑπὸ τῶν διακόνων ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου ὅλον τὸ σῶμα. ἐν δὲ τῷ ἀλείφεσθαι, τοῦτον ὁ πατριάρχης βάλλει τὸ λέντιον καὶ τὰ μανίκια καὶ μετὰ τοῦτο βαπτίζει λέγων, βαπτίζεται ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἑκάστῃ προσρήσει κατάγων αὐτὸν καὶ ἀνάγων.

d Καὶ λαβὼν ὁ ἱερεὺς ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου τῷ δακτύλῳ αὐτοῦ ποιεῖ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τοῦ στήθους, καὶ μεταφρένων λέγων, χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα ἔλαιον ἀγαλλιάσεως εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς &c.

in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper, & in &c. Posteà dicit altâ voce, In remissionem peccatorum, & in &c. Et respondet populus, Amen. Tùm demùm cum populo canit, Beati quorum remissæ sunt &c. Gloriamq; dat Deo, dicens, Benedictus Deus qui illuminat & sanctificat omnem hominem in hunc mundũ venientẽ, nunc &, &c. Quo facto, sequentiam dicit Diaconus, in pace Dominum deprecemur. Pro supernâ pace, &c. συναπτὴ in Græcorum ritualibus sunt variæ precatiunculæ, quæ conjunctim & consequenter pro variis personis & rebus dicuntur. Exhortatur Presbyter, si Diaconus deest, ad Deum orandum pro iis rebus aut personis, respondet chorus, aut populus ad utramque adhortationem: τοῦ κυρίου δεηθῶμεν Dominum deprecemur, aut κύριε ἐλέησον Domine miserere. Dicitur autem, συναπτὴ colligatio, conjunctio, quia omnes consequenter dicuntur, hinc verbum ἐπισυνάπτειν ejusmodi precatiunculas recitare.

Euchologia edita paulò clariùs & distinctiùs ceremoniam istam explicant, & ab his manuscriptis tantisper differunt; ideò ex iis illam referemus. Peractis iisdẽ ceremoniis exorcismorum, abrenuntiationum, insufflationum &c. quas breviter initio ex manuscriptis indicavimus, dictoque post orationem extremam, Amen, Diaconus.

Attendamus, sacerdos ter canit, Alleluia, cum populo, & facit in aquâ cruces tres, cum oleo, deindè altâ voce dicit, Benedictus Deus, qui illuminat & sanctificat omnem hominem venientem in mundum, nunc & semper, & in secula seculorum. Chorus, Amen. Posteà adducitur baptizandus, sumitque sacerdos ex

---

Καὶ τότε χρίεται ὑπὸ τοῦ διακόνου ὅλον. Καὶ εἶτα οὕτως βαπτίζεται ὑπὸ τοῦ ἱερέως λέγοντος, Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς &c. Καὶ μετὰ τοῦτο ἐκφωνεῖ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς &c. καὶ ὁ λαὸς λέγει τὸ Ἀμήν. εἶτα ψάλλει σὺν τῷ λαῷ μακάριοι ὧν ἀφέθησαν &c. καὶ δοξάζει καὶ λέγει, Εὐλογητὸς ὁ φωτίζων, καὶ ἁγιάζων πάντα ἄνθρωπον τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, νῦν καὶ &c. καὶ μετὰ τοῦτο ἐπισυνάπτει ὁ διάκονος τὴν συναπτὴν, Ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν. Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ. ut in Euchologio.

a Πρόσχωμεν, ὁ ἱερεὺς ψάλλων τὸ ἀλληλούϊα τρὶς σὺν τῷ λαῷ ποιεῖ σταυροὺς γ' μετὰ τοῦ ἐλαίου ἐν τῷ ὕδατι, εἶτα ἐκφωνεῖ. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ φωτίζων καὶ ἁγιάζων πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ὁ χορ. Ἀμήν. καὶ προσφέρεται ὁ βαπτιζόμενος, ὁ δὲ ἱερεὺς λαμβάνει ἐκ τοῦ ἐλαίου, καὶ

oleo, & crucis figuram facit super frontem, & pectus & interscapillium, dicens, Ungitur servus Dei talis oleo lætitiæ in nomine Patris & Filii & spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen, consignatque ipsius pectus & interscapillium, in pectore dicens, in sanationem animæ & corporis; in auribus, in auditum fidei; in pedibus, ut incedant gressus tui; in manibus, manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Postquàm verò universum corpus unctum fuerit, sacerdos ipsum baptizat erectum tenens, & respicientem versus orientem dicendo, baptizatur servus Dei talis in nomine Patris, amen, & Filii, amen, & spiritus sancti, amen, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, amen, unâquâque appellatione eum immergens, & ex aquâ educens. Post baptismum lavat se sacerdos, canitque cum populo, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, & reliquum Psalmi. Hoc autem ter dicitur, & induens eum vestimentis dicit, induitur servus Dei talis togam justitiæ, in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, amen. Et canitur Troparium.

Sequitur ritus Confirmationis administrandæ suprà relatus & explicatus.

Ex istis antiquissimis & recentioribus Euchologiis evidenter colligitur nunquam apud Græcos verticalem chrismationem usurpatam fuisse. Idē colligitur ex S. Cyrillo Hierosolymitano Episcopo; his Euchologiis multo antiquiore, in secundâ catechesi mysticâ, quæ

ποιεῖ σταυροῦ τύπον ἀπὸ τοῦ μετώπου, καὶ τοῦ στήθους, καὶ τῶν μεταφρένων, λέγων, χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα ἔλαιον ἀγαλλιάσεως εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. καὶ σφραγίζεται αὐτοῦ τὸ στῆθος καὶ τὰ μετάφρενα. εἰς μὲν τὸ στῆθος λέγων, εἰς ἴασιν ψυχῆς καὶ σώματος, εἰς τὰς ἀκοὰς, εἰς ἀκοὴν πίστεως, εἰς τοὺς πόδας, τὸ πορεύεσθαι τὰ διαβήματά σου. εἰς τὰς χεῖρας, αἱ χεῖρές σου ἐποίησάν με, καὶ ἔπλασάν με. καὶ ὅτε χρισθῇ ὅλον τὸ σῶμα, βαπτίζει αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ὄρθιον αὐτὸν κατέχων καὶ βλέποντα κατ' ἀνατολὰς λέγων, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, ἀμὴν, καὶ τοῦ υἱοῦ ἀμὴν, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀμὴν, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμὴν, ἑκάστῃ προσρήσει, κατάγων αὐτὸν καὶ ἀνάγων. καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα νίπτεται ὁ ἱερεὺς ψάλλων σὺν τῷ λαῷ, μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι, μακάριος ἀνὴρ, καὶ τὸν λοιπὸν ψαλμόν. τοῦτο δὲ λέγεται τρὶς, καὶ ἐνδύων αὐτὸν τὰ ἱμάτια λέγει, ἐνδύεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα χιτῶνα δικαιοσύνης εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμὴν καὶ ψάλλεται τροπάριον.

est de Baptismo ad recens baptizatos, sic scribit, [a] *Deinde verò jam exuti exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis; & participes effecti fructifera illius oleæ Jesu-Christi, &c. Posteà deducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum, &c.* Postea nulla alia fit unctionis mentio præter unctionem Confirmationis, ἐκ τοῦ μύρου sequente catechesi, quàm capite præcedente ex sancti Cyrilli verbis explicavimus. Notandum autem, quod dixit nudos ungi antè Baptismum, ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, *à summis capillis verticis usque ad imos*, quod omninò convenit cum eo, quod jubent omnia Euchologia totum corpus oleo sancto inungi, primò quidem certa mēbra, deindè totūcorpus.

Idem quoquè disertissimè docet sanctus Dionysius, cap. 2. de Hierarch. Ecclesiastic. quod est totum de Baptismo. [b]*Cum ei planè vestes Ministri detraxerunt, tùm sacerdotes sacrum unctionis oleum afferunt: ipse eum inungendi ac perfundendi ter exprimendo signo crucis principium fecit, virumque deinceps perfundendum toto corpore sacerdotibus tradidit, ad matrem adoptionis venit.* Habes ipsissimis verbis, quæ jubent antiqua Euchologia, Pontifex ter signum crucis oleo imprimit baptizando, hoc est in fronte, in pectore, & in interscapillio, posteà toto corpore unguendum tradit Sacerdotibus. Cùm verò Sacerdos ceremoniam peragit, tribus similiter in locis unctionem inchoat, & toto corpore perficiendam tradit Diaconis. Baptisterium eleganti metaphorâ vocat μητέρα τῆς υἱοθεσίας *matrem adoptionis*, Posteà vir sanctus, explicato Baptismi ritu, dicit, baptizatum Sacerdotibus & sponsori reddi vestiendum, indutum iterùm ad Episcopum duci. [c] ***Ille verò, cum virum unguento, quod maximè divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ sacrosanctissimæ participem facit.*** Alterius Chrismationis, quàm confirmativæ, nulla mentio, nullum vestigium.

Sanctus Clemens idem nos

---

a Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν ἁγίαν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐχειραγωγεῖσθε κολυμβήθραν.

b Καὶ τελείως ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον· ὁ δὲ τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι παντελῶς παραδοὺς αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται.

a Ὁ δὲ τῷ θεαρχικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας.

docet lib. 7. c. 23. verbis quoquè disertissimis. [b] *Unges autem priùs oleo sancto, deindè baptizabis aquâ; postremò signabis unguento chrismatis &c.* Ità quoquè lib. 3. c. 15. & 16. sed in his duobus posterioribus locis videtur unctio illa fieri tantùm in capite, quam priora omnia testimonia faciendam jubent per corpus universum. Si ità strictè intelligatur sanctus Clemens, ut ipsius verba sonare videntur, hanc consuetudinem ab ipsis Apostolorum temporibus variam fuisse necesse est, aut mutatam. Quidquid sit, id quod contendimus, S. Clementis verbis demonstratur; unicam tantum fuisse apud Orientales ab omni ævo chrismationem.

CAPUT DECIMUM.

Undenam ortum istud discrimen Chrismationis. Utrùm duplex semper fuerit in Ecclesiâ Latinâ?

UNDE igitur, quæret lector, factum est ut in Ecclesiâ latinâ duplex sit Chrismatio, prior in capite, posterior in fronte: prior à sacerdote statim post baptismum imprimatur, posterior in fronte ab Episcopo multis annis post baptismum, priorque tantùm æstimetur ceremonialis ad baptismi ceremoniam pertinens, posterior sit ipsum confirmationis Sacramentum, & cum manuum impositione semper conjuncta. An semper & ubique apud Latinos ita observatum est? Respondeo antiquitùs unam fuisse quoque apud Latinos & Occidentales, non secùs ac apud Orientales Chrismationem eamque Sacramento confirmationis propriam; unicam enim commemorant Tertullianus & Sanctus Cyprianus, & unicam fuisse disertè tradit [2] Sanctus Pontifex Sylvester. Tertullianus de baptismo c. 7. *Exinde egressi de lavacro perunguimur benedictâ unctione de pristimâ discipli-*

b Χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ· ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ.

2. Tritum est apud eruditos decreta & acta, quæ sub Sylvestri Pontificis nomine circumferuntur, supposita esse.

nâ, quâ ungui oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse unctus est, unde Christus à Chrismate dicitur, quod est Unctio &c. Quibus verbis, ut & sequentibus manifestum est eum de Chrismate confirmationis agere. Sed unicam fuisse ex verborum consequentiâ evidentissimè demonstratur, explicato enim verbis sequentibus unctionis istius Chrismalis effectu, statim infert. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans spiritum sanctum.* Statim igitur secundum Tertullianum postquã baptizati è baptisterio egressi sunt, chrismate unguntur, & manus impositio Spiritûs sancti advocatoria illis confertur, unctioni secundæ post baptismum nullus locus relictus est.

Tria ista successivè nullâ interpositâ morâ peragebantur, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, ut cap. 36. de præscript, *aquâ signat, Sancto spiritu vestit. Eucharistiâ pascit.* Et cap. 40. docens Diabolum Sacramenta nostra in idolorum mysteriis æmulari. *Tinguit & ipse quosdam, utique credentes, & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ, signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem &c.* Unicæ chrismationis tum usum fuisse colligitur præterea ex cap. 8. lib. de resurrectione carnis jam citato, *Caro abluitur, ut anima emaculetur.* En baptismus. *Caro unguitur, ut anima consecretur.* En Chrismatis unctio post baptismum. *Caro signatur, ut anima muniatur.* En signum crucis quod fit ipsâ unctione, unctio enim illa ab omnibus Christianis, & ab omni ævo in crucis figuram solita est fieri. *Caro manûs impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* En manûs impositio Spiritus sancti advocatoria.

Sanctus quoque Cyprianus in Epistolâ ad Jubajanum, testimonio suprà enarraro, baptismo statim manuũ impositionem subjungit, & manuũ impositioni signaculum dominicũ. Clariùs in Epistola ad Januarium 70. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit.* Quâ unctione? *ut accepto Chrismate, idest, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*, Unctione Chrismatis, quæ dat spiritum sanctum. Idem quoque evidentissimè demonstrant verba sequentia, quibus colligit hæreticos baptizatis Spiritum Sanctum dare non posse. Hinc cum agere de unc-

tione confirmationis fit manifestiſſimum, nec, ut opinor, quiſquam hoc negat. Nulla igitur chriſmalis unctio præter eam, quæ manuum impoſitioni conjuncta dat Spiritum Sanctum, fuit ſancto Cypriano cognita.

Quando igitur, inquies, cœpit apud Latinos Chriſmalis illa duplex unctio? Tempus definit [3] Damaſus in pontificali, iſtamque inſtitutionem Sylveſtro Pontifici tribuit. *Privilegium Epiſcopis contulit, ut baptizatum conſignent, propter hæreticorum ſuaſionem. Hic & hoc conſtituit, ut baptizatum liniat preſbyter Chriſmate, levatum de aquâ, propter occaſionem tranſitus mortis.* Id igitur, quod antea unicum erat, bifariam diviſit ſanctus Sylveſter; duobuſque attribuit, Sacerdoti & Epiſcopo; neve ejuſdem rei repetitio fieret, utriuſque partes ſecrevit, verticem presbytero: frontem Epiſcopo chriſmandam tradidit. *Conſtituit ut baptizatum liniat Preſbyter.* Hoc igitur antea non aggrediebatur. Verùm non definit ſanctus Sylveſter quam Chriſmationẽ Presbytero conceſſerit, quam verò ſolis Epiſcopis tribuerit. Priorem interpretati ſumus verticalem, ex uſu hodierno, & antiquiſſimorum ritualium. Deinde etiam ex ſancto [4] Ambroſio lib. 3. de Sacram. c. 7. fine & initio. c. 1. l. 4. Ibi enim verba facit de unctione poſt baptiſmum quæ ſupra caput effunditur, ut diſertiſſimè locus inſpectus uterque demonſtrat. Deinde cap. illo. 1. libri. 4. Explicatâ illâ unctione verticali, & ritu Eccleſiæ Mediolanenſis de lotione pedum, quam notat Romanam Eccleſiam non obſervare, infert initio cap. 2. lib. 3. *Sequitur Spiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, ſpiritus ſapientiæ & intellectûs &c.* Enumerat ſeptem Spiritus dona quæ hoc ſignaculo conferuntur, quibus explicatis, ait Neophytum ad altare duci, ut ſcilicet communicet. Manifeſtiſſimum eſt de utraque Chriſmatione S. Ambroſium agere, & priorem vocare verticalem, poſteriorem verò, ſi non frontalem, at aſſe-

3. Damaſus ille alius eſt à Damaſo I. Pontifice; nec fortè ſcripſit antè annum ferè octingintefimum. Is, ſivè Anaſtaſius eſt, ſivè quis alius, non magnam meretur fidem.

4. Opus illud non videtur eſſe ſancti Ambroſii Eccleſiæ Doctoris, ſed alterius poſt Ambroſium Antiſtitis, antiqui tamen.

rere esse Spiritus Sancti & perfectionis productricem, & consequenter ipsum Confirmationis Sacramentum. Utrúque præterea hinc probatur, quod in posteriori Chrismatione explicandâ, ea verba refert, quæ & nunc & ab omni ævo in confirmationis collatione profert Ecclesia. In priori verò, eadem fermè verba, quæ & nunc & ab omni ævo similiter profert Ecclesia in eâ conferendâ. *Ergo mersisti; venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ & Spiritu Sancto &c.*

Innocentius verò. Epist. 1. c. 3. docet ex antiquâ consuetudine, frontis Chrismationem Episcoporum esse propriam, aliam verò Presbyterorum; atque post Innocentium omnes frontis cum Chrismate signationem Episcopo soli tribuunt, ut S. Leo Epist. 88. ex Regulâ Ecclesiasticâ, est que res notissima. Ideo post hos Pontifices solius Bedæ testimonium hic referam commentario in ps. 26. tres Unctiones. *Animam meam illuminavit per notitiam fidei datam mihi, & in primâ unctione olei, quando satanæ & Pompis ejus abrenuntiavi, & in secundâ unctione Chrismatis, quando nominis ejus manifestè professor fui.* Et paulò post, *Sciendum autem, quod illa unctio quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia á duabus prædictis, & vulgo confirmatio dicitur, eadem est cum secundâ; propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.*

Sanctus tamen Gregorius lib. 3. Epist. 9. Presbyteralem Chrismationem factam testatur Romæ non in vertice, ut ex S. Ambrosio & omnibus ritualibus colligitur, sed in pectore. Verum sive hic mos esset Romæ S. Gregorii tempore, ut presbyteralis Chrismatio fieret in pectore, & post modum more mutato facta fuerit in vertice: Sive tum sanctus Gregorius [5] memoriâ lapsus unctio-

5. Videtur potiùs deceptus Morinus, quàm memoriâ lapsus Gregorius. Nequè verò pro certo & constanti habuerim, quod solis pseudo-damasi scriptis, & suppositis Sylvestri decretis, & Amalarii, annis post Sylvestrum quingentis, autoritate nititur. A quibus autem mos ille initium sumserit, definire facile non est. Suppostores & inprimis Isidorus mercator veritus non est mores in Ecclesiis Latinis multis ævo suo receptos, non solùm Sylvestri sed & vetustissimorum Romanorum Pontificum autoritate munire; sub eorumque nomine decreta plurima sæculo octavo conficta venditare. Hinc sæculo sequente Rabanus, Amalarius, virique alii celeberrimi decepti canones spurios & commentitias epistolas pro legitimis ac genuinis & suscepere & habuere.

nem pectoris, quæ fit ante baptiſmum ex oleo Catechumenorum, pro unctione Chriſmatis verticali ſumpſerit, noſtra parùm aut nihil intereſt, cum ſemper conſtet Sylveſtrū preſbyteris Chriſmationem permiſiſſe, quod antea non licebat. Eadem quoque teſtatur Amalarius, & probat ex eodem Sylveſtri decreto lib. 1. Officiorum c. 27. *Ut in geſtis Pontificalibus legitur, Sylveſter Papa inſtituit, ut à preſbytero ungeretur Neophytus in cerebro, ita enim ſcriptum eſt, hic conſtituit &c.* Ut ſupra. *Dein, ut reor, Patres ſancti Conſtituerunt, ut ungerentur Neophyti à preſbyteris Chriſmate conſecrato ab Epiſcopo.* Et paulò poſt, *Quod ſi antea agebatur, ſuperfluè conſtitutum à S. Sylveſtro, quod jam agebatur.*

Hujus conſtitutionis Sylveſtrinæ cauſa fuit perpetuus Eccleſiæ Latinæ mos, quo aliis confirmationis Sacramentum miniſtrare non licuit, quàm Epiſcopis. Cum igitur Chriſtiani per oppida pagoſque ſuccreſcerent, & ubique Epiſcopi, qui in ſolis urbibus, conſtituebantur, adeſſe non poſſent; aut omnes baptizati in urbem confirmationis cauſâ convenire, neceſſe erat plurimos baptizatos, Infantes & adultos ſine Chriſmatione decedere. Huic incommodo aliquatenus mederi conſtitutione ſuâ voluit Sylveſter, ut & ratio jam enarrata, & ipſa conſtitutionis verba demonſtrant, *Propter occaſionem mortis.* Ab hoc incommodo longè abſunt Orientales, qui Preſbyteris baptizantibus, hoc eſt, ſaltem Archipreſbyteris & Protopapis, baptizatos ſtatim à baptiſmo Chriſmate ungere permittunt. Eandem rationem reddit Amalarius capite allegato. *Si quis ſine iſto baptiſmate* (Spiritus Sancti) *migraverit de ſæculo, periculoſum iter arripit. Hoc prævidens Sylveſter Papa, quantùm potuit, ſubvenit: & propter abſentiam Epiſcoporum, neceſſitate addidit, ut à presbytero ungeretur. Timendum eſt, ne illa differentia ſit inter illum, qui ſine impoſitione manus moriatur, & inter illum, qui eam accipit, quæ eſt inter ſtellarum claritudinem, hoc eſt, quamvis non excludantur à Regno Dei propter cætera bona, tamen non habent illum locum, quem haberent, ſi illam acciperent.* Eandem rationem eodē cap. ſed longè ante iſta verba non minùs evidenter expreſſerat, *etiam verba S. Sylveſtri, qui ob remedium difficultatis Epiſcoporum conſequendi ante exitum animæ, juſſit ut liniretur Neophytus*

à Presbytero Chrismate salutis in vitam æternam, sic sonant, quasi possit recipi in regno Cœlorum sine impositione manûs Episcopi. Diversæ enim sunt mansiones in domo Patris. Notanda quoque sunt verba quæ sequuntur; nam toto illo Sermone respondet quæstioni ab aliquo, quem non nominat, motæ. An sine impositione manûs Episcopi possit Neophytus possidere regnum Cœlorum? Rabanus Maurus lib. 1. de institu. Clericorum c. 28. eamdem reddit rationem, citatoque Sylvestri decreto, & illustrato concludit. *Ideoque necessarium est, ut statim succurratur baptizato cum chrismatis unctione, ut, Spiritûs Sancti participationem accipiens, alienus à Christo non existat.* Eadem docet, atque, ut plurimùm, iisdem verbis Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. Parte 7. c. 3. toto illo capite, quem lector consulere potest. In fine capitis sic scribit. *Manifestum est, quod primis temporibus omnis unctio Chrismatis per solos Pontifices fiebat. Sed et posteaquam institutum est, ut baptizatum Sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reservatur.* Hinc nova oritur quæstio, quam definire difficile est, deficientibus antiquorum testimoniis; An scilicet ante S. Sylvestrum Pontifex baptizati verticem & frontem Chrismate illiniret, an solam frontem, ita ut nullus esset tunc verticalis chrismationis usus. Prius suaderi potest ex eo, quod nihil vetet unâ actione morali, hoc est, unâ administratione Sacramenti sine interruptione verticẽ & frontẽ chrismasse, non secus ac Græci & Orientales varias partes totum que hominem. Si ita est, discrevit tantum ista S. Sylvester, & verticalem Chrismationem Presbyteris, quod antea non solebat Romana Ecclesia, attribuit. Huic sententiæ tantisper favet Clemens Romanus locis jam citatis, qui solius Chrismationis verticalis meminisse videtur. Forsan igitur Romæ verticalis quoque Chrismatio à Pontifice & Episcopis Provincialibus erat in usu, quam Sylvester Presbyteris concessit. Posterius tamen, hoc est, solam frontis Chrismationem in Ecclesiâ Latinâ ab Episcopis usurpari solitam, credibilius videtur. Id enim Tertullianus non obscurè significat. c. 40. de præscript. supra allegato. *Signat illic & frontibus Milites suos.* Et Pontius S. Cypriani Diaconus in ejus vitâ. *Quis denique tot Confessores frontium notatarum*

secundâ inscriptione signatos, & ad exemplum Martyrii superstites reservatos incentivo tubæ cœlestis animaret? Constat enim loqui Tertullianum, Pontium quoque de confirmatione, quam solâ frontis notâ indigitant. Videtur igitur Latinis ante Sylvestrum sola frontalis Chrismatio usurpata, & consequenter verticalem à S. Sylvestro esse primùm ob causas dictas institutam, & Presbyteris concessam.

CAPUT UNDECIMUM.

An omnes Ecclesiæ Latinæ, Silvestrinæ constitutioni adhæserint? An antiquum morem retinentes, unicam Chrismationem observaverint?

DEFINITA hac quæstione, succedit alia, an [6] Sylvestri constitutionem statim secutæ fuerint Ecclesiæ omnes latinæ, & tribuerint Presbyteris verticalem Chrismationem, frontali Episcopis reservatâ; An verò antiquum morē non nullæ secutæ unicam Chrismationem retinuerint. Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non omnes secutas evidentissimè colligi posse videtur ex Can. 1. Concilii Arausic. 1. qui secundùm antiquos omnes codices sic se habet. *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel Chrismari. De eo autem, qui in baptismate quâcumq necessitate faciente non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos monebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non ut præjudicans quemquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Hunc canonem exscripsi ex manuscripto scripto anno Christi. 1009. qui collectionem canonum in 12. partes pro diversâ materiâ divisam continebat. Hic canon, ut exscriptus est, habetur parte 9. istius collectionis. Refertur sed non

6. Nec Sylvestrinæ hujus nec alterius constitutionis meminit Innocentius primus in Epistolâ ad Decentium: sed affirmat solis deberi Pontificibus, ut vel consignent, vel Spiritum Paracletum tradant; idque non solùm probat consuetudine Ecclesiasticâ sed & autoritate desumtâ ex Act. Apostolorum.

integer in antiquissimâ aliâ collectione à Reginone Abbate, jussu Ratbobi Treverensis Archiepiscopi compilatâ primi lib. c. 79. Non refertur integer, quia pars postrema, quæ omittitur ab his verbis, *Nam inter nos &c.* ad titulum canoni à collectore præfixum, qui est ejusmodi: *Ut nullus Minister sine Chrismate proficiscatur*, nihil conferebat, Sic refertur. *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate Chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quâcumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur.* Hæc canonis lectio confirmatur autoritate variorum manuscriptorum, cum quibus editionem suam comparavit postremus Conciliorum Gallicanorum collector.

Postremam pericopen non nullæ editiones sic repræsentant, *Non ut præjudicans quicquam (* vel cuiquam *) dico, sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita.* Quæ lectio præterquã quod nullis idoneis manuscriptis nititur, videtur mihi antecedentibus plane contraria. Dicunt Patres juxta quemlibet textum & editum manuscriptum placuisse sibi unicam in baptismate chrismationem, atque ideo velle, ut chrisma secum ferant ii, qui ex officio baptizandi jus habent. Objiciunt sibi: verùm si quis quâcumque de causâ in baptismate Chrismatus non fuerit, quid opus est factu? Num chrismate privabitur? Respondent, Sacerdotem esse hac de re admonendum in confirmatione. Quamobrem verò? quia inter nos una est Chrismatis benedictio, hoc est, chrisma eodem modo à Presbytero & Episcopo confertur. Idem est, sive Sacerdos chrismate ungat, sive Episcopus. Hæc erant illi Provinciæ specialia, ut demonstrant hæc verba: *Nam inter nos &c.* Inter alios igitur duplex erat Chrismatis benedictio, duplex Chrismatio. Ut quid enim hæ canonis exceptiones & correctiones, si duplicem chrismationem verticalem seu pectoralem & frontalem, ut Romani & vicini sui observassent? Excusant se tamen verbis sequentibus, *Non ut præjudicantes quicquam.* Nolunt hoc suo statuto aliis præjudicare, id est, eos, qui aliter faciunt, condemnare, *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Hoc est, aliis, qui aliter faciunt,

præjudicare nolumus, neminem condemnamus, volumus tantùm chrismationis repetitionem non esse necessariam. Unusquisque in suo sensu abundet, quod ad nos attinet, chrismationis repetitionem usurpari nolumus. Sensus planus, facilis, nullis involucris verborum aut ambagibus impeditus.

Finge nunc tollendam negationem; colligunt igitur Chrismationem esse repetendam. Concilia hoc cum priore canonis parte; *Inter nos placuit semel in baptismate Chrismari.* Si semel sufficit aliquem chrismari, ut volunt Patres, procul dubio chrismationem repetere ex eorum sententiâ non est necessarium. Objicies semel sufficit in baptismate chrismari, sed hoc non impedit, quominus post baptisma, hoc est, in confirmatione quis iterũ chrismetur. At quis audivit unquam bis aliquem in baptismate chrismari, si à baptismate separes confirmationem? Hoc est apud omnes Gentes christianas prorsùs inauditum. Adversum quos igitur agunt Patres, cùm dicunt, *inter nos placuit*? Qui nam erant illi populi, qui bis ante Cõfirmationẽ chrismabant? Præterea id sole meridiano clariùs colligitur ex verbis sequentibus.

Objiciunt sibi, fieri posse aliquo casu, ut quis non chrismetur in Baptismate. Respondent, cum ejusmodi casus contingit, tùm esse chrismandum: exceptio illa manifestè docet quod priùs dixerant, si in Baptismate quis Chrismatus fuerit, non esse iterùm chrismandum. Quià verò hæc sententia absolutè pronuntiata vicinis aliisquè populis, qui aliam consuetudinem sectabantur, Chrismantes scilicet iterùm post Chrismationem in Baptismate receptam, dura & insolens videri potuisset, eam emolliunt postremâ Canonis clausulâ. Qui aliter sapit, ingenii nostri debilitatem excuset, qui alienas ab hac interpretatione istius Canonis interpretationes nunquam capere potuimus.

Ponamus iterũ negationẽ non exhibere nobis manuscriptos codices, sanè ipsâ ratione dictante, si volumus Patres sibi non contradicere, erit in priore parte expungenda dictio, *semel*; sed tùm propter ista verba, *placuit inter nos*, colligetur contrarius sensus, alios scilicet populos in Baptismate non chrismasse. Sed quomodò hoc conciliabitur cum postremâ clausulâ, quâ in hac suppositione

repetitionem Chrismationis volunt esse necessariam? Nolunt illis populis præjudicare, attamen dicunt illam repetitionem esse necessariam. Quibus verbis, ipsis clariùs præjudicare poterant? Quibus verbis eos clariùs condemnare?

Gratianus. de Consecratione distinct. 4. c. *Nullus ministrorum*, postremam hanc pericopen sic legit. *Non præjudicantes cuiquam hoc dicimus, sed ut necessaria habeatur Chrismatio.* Tolerabilior est hæc lectio præcedente; tolerari tamen non potest: supponit enim alias provincias plerasque Chrismationem æstimare non esse necessariam, quod falsum est. Ut uno verbo dicam, cardo differentiæ, quàm tangunt Patres in eo vertitur, an una Chrismatio sufficiat, an verò sit repetenda, ut ab aliis communiter observabatur. Declarant Patres Arausicani unam sufficere, non condemnare tamen eos, qui duas usurpant.

Duobus aliis modis enuntiari potest quæstio; primò, an Chrismatio post Baptismũ sit necessaria, necne? Istam quæstionem supponit lectio Gratiani, & secundùm eam respondent, necessariam esse, & semel in Baptismate chrismandum esse; sed hanc quæstionem præ oculis habere non potuerunt Patres illi, quia nemo Catholicus negavit unquam unam saltem in Baptismo Chrismationem necessariam esse. Secundò, potest sic fieri quæstio, an seclusâ Chrismatione Confirmationis, duplex sit post Baptismum necessaria Chrismatio, necne. Quæstionem istam supponit lectio, *sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita*, respondentque Patres repetitionem illam esse necessariam. Sed propter causas jam dictas absurda quæstio, quæ cum antecedente textu non cohæret, & consuetudini innititur apud nullos Christianos usitatæ. Posset denique quæstio sic enuntiari, an duplex necessaria sit Chrismatio, una antè Baptismum, altera post Baptismum? Responderent Patres juxtà lectionem negationis omissæ utramque necessariam. Verùm iisdem incommodis urgetur, quibus præcedens: postrema enim pericope priori contradicit; nec fingi potest species aliqua, cum quâ cohæreant. Deindè ab usu universæ Ecclesiæ alienum est, ut quis antè Baptismum sacro Chrismate perfundatur. Ne verò quis verborum nostrorum homonymiâ laboret, cum dico antè vel post Baptismum, intelligo distinctionis causâ, an-

tè vel post ablutionem seù immersionem, & Trinitatis invocationem, non autem antè vel post actionem seù ritum Baptismi, qui unctionem, quæ antè immersionem, & Chrismationem, quæ post immersionem, & multa alia continet, semper quoquè confirmationem ipsam, non secùs ac cætera ex usu illius temporis, apud eos, qui confirmandi licentiam presbyteris concedebant; apud eos verò; qui hanc licentiam non concedebant, quoties aut baptizabat Episcopus, aut copręsente baptizabatur. Itàque cum distinctionis majoris causâ diximus antè vel post Baptismum, non negavimus actiones illas fieri in Baptismo, hoc est, in ritu, & ceremoniâ Baptismi.

Est igitur evidentissimum nullam lectionem nec cum textu Canonis, nec cum antiquâ Christianorum consuetudine subsistere posse, quæ negationem in postremâ pericope non admiserit. Atquè hinc non minùs evidenter consequi, non statim omnes Latinos duplicem illam à sancto Sylvestro institutam Chrismationem amplexos esse; sed diù post Sylvestrinam illam constitutionem antiquissimæ unius Chrismationis consuetudini adhæsisse. Negorium forsan lectori facessent verba ista Canonis. *De eo autem, qui in Baptismate quâcumque necessitate faciente Chrismatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos monebitur.* Qui sunt illi juxtà Patrum istorum sententiam & consuetudinem, qui in Baptismate non chrismantur? Dictu facile est, omnes in casu necessitatis à Laicis & minoribus Clericis baptizati. Illi enim chrismandi autoritatem non habebant. Deindè fieri poterat facile, ut quis in eodem necessitatis casu à Sacerdote baptizatus, Chrismatus non esset, eò quod tùm Chrisma Sacerdoti præsto non esset, & urgens necessitas moram non pateretur, quod multò faciliùs eo tempore contingere poterat quàm nunc, & ab aliquot sæculis. Tunc enim necessitate non urgente extrà vigilias Paschatis & Pentecostes baptizare nunquàm solebant. In eo igitur necessitatis casu, quod omissum fuerat de ritu Baptismi, in Confirmatione supplebatur.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

Utrùm administratio Sacramenti Confirmationis Presbyteris aliquando concessa fuerit, tàm in Oriente quam in Occidente? Ac primum utrum in Gallicanâ Ecclesiâ.

EX iis, quæ capite præcedente dicta sunt, longè major emergere videtur difficultas. Toto enim illo capite visus est inniti sermo noster huic axiomati, Presbyteros Sacramentum Confirmationis administrare posse, & re ipsâ in nonnullis Occidentis Regionibus tunc tēporis administrasse. Imò idem videtur necessario deduci ex nostrâ Canonis interpretatione: cùm enim Chrismatio in Baptismo facta ab illis Patribus in Provinciâ suâ repeti prohibeatur, & chrismari jubeantur publici Baptismi Ministri, quibus verbis saltem intelligendi sunt Presbyteri, necessario consequitur Presbyteros Confirmationem in illâ Provinciâ administrasse. Clara est consequentia, nec inficias imus. Ut autem ordine in hac quæstionis discussione procedamus, disputationem nostram in duas partes dispescemus. Prior pars de Occidentalium, posterior de Græcorum & Orientalium hac in causâ consuetudine disceptabit. Postquàm quid factum fuerit, edocti fuerimus, facile erit de jure decernere.

Præter igitur Canonem istum Arausicanum, ex cujus verâ lectione id necessariò consequitur, præsto nobis sunt multi alii Canones, ex quibus idem apud Celebres Ecclesias in usu fuisse evidenter colligitur. Demonstratâ istâ multarum Ecclesiarum Occidentis consuetudine, manifestè constabit de verâ Canonis Arausicani lectione. Nulla est enim alia in dubium revocandi ratio, quàm quod plurimorum animis usum antiquum ex hodierno putantium medullitùs inhæsit opinio, presbyteris Sacramentū Confirmationis administrandi, nunquam concessam fuisse potestatem, quam illis Canon ille evidentissimè tribuit. A Galliæ Conciliis incipiemus. Concilium Regiense in Viennensi Provincia celebratum, sicut

Arausicanum, Presbyteris chrismandi Neophytos potestatem facit. Eo concilio irrita declaratur Armentarii cujusdã ordinatio in Episcopum Ebrodunensem, & Presbyter tantùm declaratur, eò quòd à duobus Episcopis temerè convenientibus sine Metropolitani autoritate, & comprovincialium litteris expetitis consecratus fuerat. Verùm quia Armentarius juvenis erat, culpam professus fuerat, & veniam deprecatus, Concilium hoc statuit, Can. 3. Primùm, ut Chorepiscopi officio in oppidis aut pagis fungi possit, si ità Episcopo illius loci visum fuerit; dummodò in Provinciâ Alpinâ maritima id non fiat: In Provinciâ enim illâ Episcopus fuerat contrà Canones ordinatus. Deindè ne unquam in Civitatibus præsente Episcopo præsũat offerre. Tertiò nec ordinare tentet vel ultimum Clericum, ne quidem in parœciâ, quæ illi cujuscunque misericordiâ concessa fuerit. Solebant enim jure ipso Chorepiscopi Subdiaconos & inferiores Clericos ordinare. Quartò Ne ullus Episcopus quantũvis juvenis ei etiàm seni, senectutis reverentiâ ductus locum cedat. Deniquè nullum Episcopale officiũ usurpet; *præterquàm in Ecclesiâ, quam cujusquam misericordiâ fuerit adeptus, in quâ ei solùm Neophytos confirmare, & antè Presbyteros offerre conceditur.* Denegantur huic invalidè ordinato Episcopo omnia munia Episcopalia, præter hæc duo. Inter igitur munia illa, hæc duo sunt concessu facillima. Hunc ergò Civitatensem Presbyterum irritâ ordinatione ad Episcopatum evectum culpæ confessione humanitùs commoti Patres primùm inter rusticanos Presbyteros constituunt, ut antè Presbyteros offerat, & Neophytos in Parœciâ ipsi attributâ confirmet, hoc est antè Presbyteros, ità ut ipso præsente illos confirmare non debeant; ut in fine Canonis clariùs adhuc definitur. *Plebi, quam acceperit ex constitutionis hujus permissu benedicere, &, ut suprà definitum est, in unâ eâdemque Ecclesiâ Neophytos confirmare in castellis ac vicis, totum illi antè Presbyteros, sicubi venerit, liceat, quod in civitatibus omninò præscribitur.* Ex quibus omnibus hæc colliguntur. 1. Confirmationem ex iis officiis, quæ ad Episcopum pertinent, esse iis concessu facillimam. 2. huic Armentario Presbytero jus confirmandi concessum fuisse, ut publicè benedicendi populo in Ecclesiis Rusticanis, & antè

Presbyteros offerendi. 3. Jus hoc confirmandi præ cæteris Presbyteris, & antè illos datum illi fuisse. 4. Presbyteros, non modò Chorepiscopos, in illâ Provinciâ hoc jure potitos. Deniquè hoc jure Neophytos confirmandi & aliis concessis, in oppidis & vicis uti tantùm poterat, non autem in urbibus. Hujus rei ratio perspicua est, licet enim Armentarius ille rusticanis Presbyteris prælatus fuisset, non ideò tamen urbicis erat præferendus, ut ex can. 13. Neocæc. colligitur. dist. 95. c. ultimo. [a] *Presbyteri ruris in Ecclesia civitatis Episcopo præsente, vel Presbyteris ipsius urbis, offerre non possunt, nec panem sacrificatum dare, calicemque porrigere.*

Idem deducitur ex Canone 2. Concilii Arausicani, qui est ejusmodi: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placet.*

Ut vis istius argumenti percipiatur, explicandum est quod infrà speciali [1] capite tractabimus, quomodò Ecclesia hæreticos, quorum erat validus & ratus baptismus, in gremium suum recipiebat. Id faciebat per Sacramenti Confirmationis administrationem. Ita Græci & Orientales omnes, ut testatur S. Gregorius l. 9. Ep. 61. ad Quirinum Episcopum, Concilium. 1. Constantinopolitanũ. c. 6. & antiqua Euchologia; de quâ quæstione postea. Ecclesia Romana, & occidentales permulti id faciebant solâ manuum impositione per Episcopũ. S. Leo Ep. 35. vel 37. c. 2. [b] *Si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenùs Sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantùm, quod ibi defuit, conferatur, ut per Episcopalem manùs impositionem, virtutem Sancti Spiritûs consequatur.* Et Concilium Hispal. 2. c. 7. *Per impositiones manûs fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi, Spiritum Sanctum tradere Episcopis tantum licet.* Huic manuum Episcopalium impositioni, quæcumque illa fuerit, negat S. Gregorius loco citato, conjunctam fuisse unctionem. *Arianos per impositionem manûs Occidens, per unctionem vero sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens* Nov. edit. Ep. 155.

a ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων πόλεως, ὅτι μὴν ἄρτον διδόναι ἐν εὐχῇ, οὐ δὲ ποτήριον.

1 In lib. de Pœnit.

r.format. Ita quoque de Eusebio Papa Damasus. *Hæreticos invenit in urbe Româ, quos solâ manuum impositione reconciliavit.* Græci & Orientales præter Unctionem addebant & formam seu verba eadem, quibus Sacramentum Confirmationis conferebant, ut constat ex eodem Concilii Constantinopolitani canone & multis aliis infra dicendis. Eo quod igitur per verum Confirmationis Sacramentum hæreticos illos reciperent, receptionem illam absente Episcopo Presbyteris delegabant.

Eamdem consuetudinem nonnullæ Galliæ, & Hispaniæ plurimæ Ecclesiæ observabant. Hæreticos per Sacramentum Confirmationis in Ecclesiam recipiebant, & absente Episcopo eam autoritatem Presbyteris permittebant, hoc est, quod evidenter canon 2. Arausic. nos docet, *Hæreticos*, inquit, *si desit Episcopus, cum Chrismate & benedictione consignari placet.* Vix evidentiùs id declarare poterat. Notandum porro diligenter Concilium aliam addidisse conditionem præter Episcopi absentiam, mortis scilicet periculum. Itaque ex Concilii mente, ut hæreticos Presbyter ad Ecclesiam recipere possit, idest, illis conversis Sacramentum Confirmationis impertiri, duo necessaria sunt, Prius, absentia Episcopi, Posterius instantis mortis periculum. Prior tantũ conditio, ut ex canonibus infra referendis constat, requirebatur ad Neophytorũ Confirmationem Presbyteris permittendam; sed hæreticorum receptionem, qui hæresi suâ Ecclesiã universam cõmoverunt & conturbarunt, par sanè erat multò difficilius admittere, eamque Presbyteris sine urgentissimâ necessitate non committere. Quid quæso præter Confirmationis Sacramentum fingi potest, cujus sanctificatio tanti fuerit momenti, ut instante morte illius administrationis licentia extraordinariè fuerit Presbyteris concedenda? Verticalis Chrismatio? At instante morte ex usu Ecclesiæ perpetuò, & verticalis Chrismatio, & pectoralis humeralisque unctio, & exorcismorum, & salis, & sputi, & aliarum ceremoniarum celebritas omittitur.

Aliquid igitur principale & palmarium, sine cujus virtute moribundi salus periclitabatur, omnino intelligendũ est, cujus necessitas tanta à Patribus illis, ut hactenùs à Græcis, existimabatur, quanta nunc ab Ec-

clesiâ Latinâ Sacramentalis absolutio.

Idem prorsus quod Arausicanum Concilium, decrevit septuaginta annis postea Concilium Epaunense can. 16. *Presbytero propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate subvenire permittimus. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Presbyteris confirmare permittit tantùm in casu necessitatis, eâ non apparente, ad Episcopum jubet eos recurrere. *Conversuri* dixit pro, *convertendi*. Cum sit canon ille præcedenti similis, eadem puta hic esse repetita.

Quæri hic potest an Ecclesiæ illæ Latinæ, quæ Confirmationis administratione Presbyteris in casibus prædictis delegabant, manuum impositionem chrismati jungerent, an vero solò chrismate, ut solent Græci, id Sacramentum perficerent. Solius enim chrismatis & consignationis mentionem faciunt, non modo canones Arausicani & Epaunenses, sed etiam hispanici capitibus sequentibus enarrandi.

Probabile videtur manuum impositionem non adhibuisse, quia Græcorum morem cum in Confirmationis Ministro sequerentur, probabile est & in ejus materiâ secutos esse. Deinde canones illi manuum impositionis mentionem non faciunt, sed solius Chrismatis.

Probabilius tamen videtur propter autoritatem Concilii Arelatensis secundi utrumque conjunxisse, sic enim c. 17. *Bonosiacos ex eodem errore venientes, quos, sicut Arianos, baptizari in Trinitate manifestum est, dum interrogati, fidem nostram ex toto corde confessi fuerint; cum chrismate, & manûs impositione in Ecclesiâ recipi sufficit.* Propter autoritatem hujus concilii dixi, eo quod hæc Concilia in eâdem Provinciâ celebrata sunt, Viennensi scilicet, ut ex subscriptionibus constat. Viennensem intelligo, ut latè patet, & quatuor Viennenses complectitur, hoc est, ut nunc loquimur, Provinciam, Delphinatum, Sabaudiam & Provinciæ Gothicæ majorem partem. Quidquid sit de manuum impositione, evidentissimè mihi videtur ex his canonibus colligi Sacramenti Confirmationis administrationem Presbyteris apud illos populos fuisse permissam.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Hispaniæ consuetudo eadem, quæ Presbyteris Sacramenti Confirmationis administrandi facultatem largitur, ex Toletano Concilio primo colligitur.

EAMDEM consuetudinē apud plerosque Hispaniæ populos observatam fuisse, ex Concilio Toletano primo non minùs evidenter colligitur. Sic in fine canonis 20 decernitur, *Statutum est, Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Manifestum est apud Hispanos non magis prohibitum fuisse Presbyteris Chrismare, quam baptizare, missam celebrare, Pœnitentes reconciliare &c. Absente enim Episcopo actiones istas ex officio suo peragebant, præsente verò, id eorum injussu non licebat, ut ex variis Decretis & Canonibus constat. Damaso[1] Epist. 85. Leone Ep. 88. Gelasio Ep. 9. c. 8 Concilio Neocæsar. c. 13. Similiter igitur cum Presbyteris prohibent Toletani Patres præsentibus Episcopis id facere, concedunt, absentibus. Sed quid Syllogismo opus cum id canon verbis expressissimis ennuntiet?

Intelliget forsan aliquis eo canone chrismationem verticalem, non autem frontalem, quæ ad Confirmationis Sacramentum per se pertinet, sicque argumenti evidentissimi vim sese eludere posse existimabit. Verùm sic effugienti iter multa intercludunt. Primùm Innocentius. I. qui eodem, quo concilium, tempore Romæ sedebat: scribit ille ceremonialem illam unctionem exercere licitum esse Presbyteris, sive absentibus Episcopis, sive præsentibus. Sic scribit Ep. 1. c. 3. *Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum*

1 Damasi non est Epistola uti nec Leonis. Vide dissertationem R. P. Quesnel in Opera sancti Leonis.

tradunt Spiritum paracletum. Ad verba sancti Innocentii alludit Beda in c. 8. Actuum, licet eum non citet. *Hoc solis Pontificibus debetur, nam Presbyteris sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare &c.* Innocentius.III. majorum traditioni inhærens idem nos docet de sacrâ unctione cap. unico, in fine, ubi cum de Unctionibus quæ fiunt ante & post baptismum, egisset, subdit, *Unde cum cæteras unctiones simplex sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, id est, Episcopus debet conferre &c.* Istius consuetudinis praxim præter hodiernos mores, nobis repræsentant antiqui omnes rituales. Antiquissimum S. Gregorii sacramentarium ex vaticano editum exhibet nobis Presbiterum velut ex officio præsente summo Pontifice verticaliter Chrismantem. Explicatâ chrismatis in aquam fusione, *Tunc baptizantur infantes, primùm Masculi, deinde Fæminæ: Et tenente eo infantem, à quo suscipiendus est, interrogat Pontifex vel sacerdos ita, Quis vocaris? Respondet, N. Item interrogat Sacerdos, Credis in Deum &c* Finitis interrogationibus baptizatur, *Ut autem surrexerit à fonte, ille, qui eum suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus dicens &c. Pontifex verò redit in sacrarium expectans, ut cum vestiti fuerint Infantes, confirmet eos, qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit &c.* Deinde sequitur explicatio ritus Confirmationis. Omnia prorsus eadem leguntur in antiquissimo sancti Leodegarii Sacramentario. In Ordine Romano edito eadem fere iisdem verbis leguntur. Pontifex dicitur unum aut duos aut quantum illi placuerit, baptizare. Deinde Presbyteri & Diaconi, atque etiam, si necesse fuerit, Acolythi. *Ut autem surrexerint à fonte, illi, qui eos suscipiunt, levantes ipsos Infantes in manibus suis, offerunt eos uni Presbytero: ipse verò Presbyter facit de Chrismate crucem cum pollice in vertice eorum &c.* Dum hæc fiunt, egreditur Pontifex de fonte, ingrediturque sacrarium, expectatque donec Chrismati fuerint à Presbyteris & vestiti. *Et deportantur ipsi Infantes ante eum, & dat singulis stolam candidam, & chrismale, & decem siliquas &c.* Postea describitur confirmationis ritus.

Alcuinus quoque sui temporis ritus describens in lib. de Officiis divinis capite de sabbato sancto dicit à Presbytero baptizari Infantes, & in vertice chrismari. *Si vero Episcopus adest, statim, inquit, confirmari eum oportet chrismate, & posteà communicare, & si Episcopus deest communicetur à Presbytero.* Paulo-post ibidem docetur, quo ritu hoc Romæ fiat. *Postquam Pontifex baptizaverit, aut quibus jusserit ipse, levant ipsos Infantes in manibus, & offerunt eos uni de presbyteris, ipse vero facit crucem de chrismate cum pollice in vertice eorum dicens, Deus omnipotens &c. Quâ finitâ, sunt parati, qui eos suscepturi sunt, cum linteis in manibus suis. Deinde accipiunt ipsos à Pontifice vel à Diaconibus, qui eos baptizaverunt. Postquam vero vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum.* Apud Rabanum Maurum lib. 1. de institut. Clericorum c. 28. & 30 eadem legere est, quæ longum esset huc referre. Verum in antiquo Ordine Romano non edito chrismat in vertice non Presbyter, sed Episcopus, quia repræsentat Pontificem officio isto fungentem Episcopis comitatum. Sic etiam eâdem de causâ postquam dictus est Pontifex duos aut tres baptizare, dicitur alios baptizare Episcopus. Deinde veste candida & lampade baptizato & chrismato traditâ, itur ad Pontificem confirmationis suscipiēdę causâ.

Si proponas tibi Lector ante oculos ea, quæ dicta sunt de verticali illâ chrismatione, & finem Canonis, de quo quæstio, nihil tibi absurdius videbitur, quàm ea, quæ à nobis reprobatur, interpretatio; sequuntur enim in canone verba hæc, *Hujusmodi constitutionem meminerit semper Archidiaconus vel præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerendam, ut eam & Episcopi custodiant, & Presbyteri non relinquant.* Quæ ratio executionis istius statuti adeo severè exigendæ, si de ceremoniali tantùm agitur? Quid tantopere reformidant Patres in istius ceremoniolæ omissione, ut jubeant Archidiaconum illam semper inculcare, & præsentibus & absentibus Episcopis? Deinde quid erat periculi Diaconum chrismare, necessitate cogente, si chrismatio illa erat tantum ceremonialis? Diaconus enim absente Episcopo

Hic sibi Morinus videtur minùs constare. Docet enim confirmare Diaconis aliquando licuisse.

copo aut Presbytero, si urget necessitas, aut præsentibus, si jusserint, baptizare potest. Gelasius. I. Epist. 1. alias. 9. & Concil. Aurelian. 1. c. 14. ergò multò magis verticaliter chrismare poterit iis absentibus, aut jubentibus. Nihil igitur aliud per chrismationem illam intelligi debet, quàm illud, quo datur eximiè Spiritus Sanctus, Sacramentũ scilicet Confirmationis. *Hoc est enim, quod nunquam legitimè licuit Diaconis, neque apud Latinos, neque apud Græcos. *Si quis Diaconus*, inquit Concilium Eliberitanum c. 77. *Regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Hoc est, confirmare. Confirmatio enim baptismi est perfectio, ut infra declarabimus, & est in canonibus, & Patrum scriptis notissimum. Possunt igitur, Confirmatione exceptâ, quidquid ad baptismum pertinet.

* Hic sibi, &c. p. 64.

Est igitur antiquos ritus replicanti penitus exploratum, verticalem chrismationẽ Presbyteris ratione Presbyteratûs sui ab Ecclesiâ esse concessam, nec egere presbyteros, ut eam in præsentiâ Episcoporum administrent, ullâ licentiâ Episcopali; cum hoc illis à jure sit concessum. Imò si quis hæc, ut par est, consideret, verticalis chrismatio, inferior est dignitate Episcopali, ad eam administrandam demittere sese non debet Episcopus. Aliquid multò altius & eminentius illi reservatum est, Sacramenti scilicet Confirmationis administratio, & Spiritus sancti per manuum impositionem & chrismationem frontalem traditio. Ideò semper legas in antiquis ritualibus infante baptizato Pontificem aut Episcopum à fonte secedere in Secretarium aut Ecclesiam, & verticalem chrismationem Presbyteris relinquere, quâ factâ Neophytus vestes indutus, ad Episcopum adducitur, ab eo chrismationem in fronte accepturus, si Pontifici Baptisma celebranti adstant multi Episcopi, verticaliter chrismant Episcopi, frontaliter Pontifex, quia officium hoc inferius est dignitate principalis celebrantis, non secùs ac videas cum Archiepiscopo Missam solemniter celebranti assistunt Episcopi, officium unus agit Diaconi, alter Subdiaconi; quia corporis Christi consecratio, ut principalis actio Archiepiscopalem dignitatem decet. Ceteræ verò actiones ut ministratoriæ ad inferiores Archiepiscopo dig-

nitates pertinent. Ità Baptismus ad Episcopum pertinet, ad Presbyterum & Diaconum, si multitudo baptizandorum magna sit, jubente Episcopo. Verticalis verò Chrismatio ad Episcopum nunquam nisi absente Presbytero. Principales illas & eminentes actiones, præsente Episcopo, ipsius injussu aggredi non debent; ipso verò permittente, & possunt & debent.

Simili loquendi modo res evidentior adhuc fiet.. S. Leo in fine Epist. 88. *Nequè coram Episcopo licere Presbyteris in Baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec, eo præsente, nisi illo jubente Sacramentum Corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito, populum docere vel benedicere.*

Plura sunt ejusmodi exempla, quorum nonnulla suprà adnotavimus. Ex eo loquendi modo certum est, actiones illas esse principales, quæquè ideò Episcopum maximè deceant, primitùsque ad eum spectent. Absente tamen Episcopo, aut ipso jubente vel permittente, si præsens adsit, possunt omnes à quolibet Presbytero peragi. Verùm nunquam prohibent canones Presbyteris coràm Episcopo Catechumenos catechizare, instruere, exorcismis purgare, oleo benedicto ungere, Missæ celebrationi inservire, variaque ministeria, quæ, cum sacrificant Episcopi, ex antiquo ritu obire solent. Quamobrem verò? dictu facile. Actiones illæ sunt Ministeriales, aut præparatoriæ ad principalem & primario intentam. Itàque cum in Presbyterorum cœtu adest Episcopus, majestatem Episcopalem non decent, illas ad inferiores gradus remittit. Principales autem, ut baptizare, sacrificare, docere è cathedrâ, pœnitentem publicè absolvere, ad Episcopi dignitatem & majestatem propriè & primariò pertinent, ad Presbyteros secundariò, atque ex Episcoporum licentiâ, atque hoc sibi vult ista Canonum loquendi formula.

Cum igitur statuunt Patres Presbyterum absente Episcopo chrismare, præsente verò, si jusserit, principalem chrismationem intelligunt, non autem ministerialem, aut præparatoriam, qualis est verticalis, quam Episcopi, ut docent omnes Rituales Romani post Innocentium I. nunquam administrant, sed ad Presbyteros relegant: sed est juxtà istius

Concilii mentem, & phrasim Canonum ordinariam principalis & primaria chrismatio, frontalis scilicet, quæ ad dignitatem Episcopalem propriè spectat. Hanc igitur volunt Patres Presbyteris licere, si Episcopi absint, aut si adsint, ipsis jubentibus. Nec patitur ullo modo ista loquendi formula ut de verticali propter rationes dictas intelligatur.

Ex S. Innocentio atque ex allatis ritualium testimoniis masestum est, etiàm cum Episcopus baptizat, & chrismate confirmat, verticalem tamen chrismationem ex usu Ecclesiæ adhiberi solitam: quanquàm si institutionis verticalis istius chrismationis scopus attendatur, videri possit tùm supervacanea. Instituta est enim, ut dictum, quia baptizatis ubiquè adesse non possunt Episcopi. Cum igitur adsunt, superflua videtur. Alia tamen est Ecclesiæ consuetudo, quæ hanc ceremoniam, non secùs ac alias multas ut plurimum utiles & mysteriorum magnorum significatrices instituit. Itàque dicendum, licet id, quod dictum est, occasionem huic institutioni dederit, attamen propter utilitatem hinc emergentem ex sanctissimi unguenti contactu, & Ecclesiæ precibus super baptizatum conceptis, variisque istius chrismationis significationibus, ab Ecclesiâ, Episcopo baptizante simul & confirmante, meritò usurpari.

Difficile dictu est, quid intelligat S. Leo per, *signare*; quod Presbyteris licere non vult præsente Episcopo. Non enim intelligit frontis cum chrismate signationem: sequeretur enim Presbyteros, annuente Episcopo, ex ipsius sententiâ Confirmationis Sacramentum administrare posse, quod ab usu Ecclesiæ Romanæ plurimùm abhorrebat. Deindè eâdem epistolâ paulò antè verba citata inter ea, quæ Presbyteris nunquam licebant, hanc frontis cum chrismate signationem reponit. Nihil video in toto baptismi ritu, quod signandi verbo intelligi possit, & sit Episcopo peculiare, & Presbytero ex licentiâ communicetur. Itàque existimo irreptitiam esse vocem, licet in Concilio Hispal. 2. c. 7. hæc Leonis verba repetantur.

Aliquis imprudens illam addidit, ut significaret Confirmationem Presbyteris non esse licitam, non animadvertens verbis antecedentibus multò validiùs idem probari. Vel potiùs ex Epist, 5. Damasi in S. Leonem & Hispalense Conci-

lium irrepsit. Damasi autem epistolas, quæ circumferuntur palàm, aut νόθας aut multa in iis esse undequaque assuta. Ut autem se habet locus integer apud Damasum, evidens est multa esse falsa & perperam assuta. Nam inter ea, quæ Chorepiscopis non licent, ejusdem classis & juris cum Sacerdotum & [1] Diaconorum ordinatione, Virginum & Altarium consecratione, Confirmationis collatione &c. facit populi benedictionem, Baptismi celebrationem, in baptisterium & sacrarium introitum, & istam signationem, quod est apertè falsum. Deindè inter ea quæ illis licent cum Episcopi licentiâ, pœnitentis reconciliationem ponit, Corporis & Sanguinis Christi consecrationem, & præsente Episcopo populi exhortationem. Ex hac secundâ classe manifestum est, quàm insulsè sentiat de primæ classis plerisque membris, quæ verè & prudenter apud sanctum Leonem, & in illo Hispalensis Concili Canone in secundam illam classem relegata sunt. Hæc obiter inauditæ istius signationis occasione: nam ceteros epistolæ illius nævos persequendi non est locus.

Videtur quoque durum id, quod primò dicitur; *sed neque coràm Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire*. Assidebant enim Episcopo baptizanti Presbyteri. Decoris ratio videtur requirere, ut hoc intelligatur eodem sensu, quo apud Martinum Bracarensem can. 53. dicitur. *Non liceat priùs ab Episcopo in baptisterium introire, sed cum Episcopo, nisi fortè aut absens fuerit aut ægrotus. Coràm*, igitur ponitur pro *antè*. Canones illi spectant solemnia baptismata, quæ in vigiliis Paschatis & Pentecostes celebrabantur. Tùm igitur ad baptisterium præcedere Episcopum non debebat Presbyter, sed comitari. Illa præpositionis acceptio Gallica est & Italica, *devant* & *davanti* italicè, tempus significat & præsentiam, adverbium est & præpositio. Sic in antiquis Ritualibus cum Presbyteris & Diaconis descendit in fontem Episcopus, & aliquos, quotquot libuerit, primus baptizat, deindè cum ipso Presbyteri, aut etiam, si necessitas id postulat, Diaconi: vel Episcopus aliquot baptizatis à fonte abscedit, presbyteris cetera per-

[1] Ista pseudo-damasus non malè facit ejusdem classis & juris, si de populi benedictione, celebratione Baptismi & c. præsente Episcopo faciendâ intelligantur, uti licet intelligi.

mittens, atquè in Secretarium sese recipit, baptizatos, ut eos confirmet, expectaturus. Vana non est conjectura nostra, sed certa. [3] Quæ enim ex illâ sancti Leonis epistolâ sunt citata, exscerpta sunt ex sancti Damasi epistolâ quintâ; aut quæ apud Damasum, ex istâ. Apud Damasum autem scribitur, ut corrigendum ducimus: inter cætera enim, quæ Presbyteris non licent, enumeratur: *Nec antè Episcopum in baptisterio aut sacrario introire.* Huic Canoni similis est Canon 56. Laodicenus. [a] *Quod non oportet Presbyteros antè Episcopi introitum sacrum Tribunal ingredi, & sedere in Tribunali, sed cum Episcopo ingredi; præter quàm si Episcopus sit malâ valetudine, vel profectus sit peregrè.* Hæc obiter de sancti Leonis testimonio.

Aliud Argumentum ex initio ejusdem Canonis desumitur, quod præcedente non videtur minùs evidens. *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis, Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die, nullum alium nisi Episcopum Chrisma facere.* [4] Ex his verbis triplex argumentum colligitur. Primum, in aliquibus Provinciis Chrisma Presbyteri faciebant ex eorum testimonio: Ergò multò magis in illis Provinciis frontaliter chrismabant. Consequentia est evidens, nam severiùs multò chrismatis confectio prohibetur, quàm Chrismatio. Apud enim nullos Christianos, etiam nunc Presbyteris licet chrisma consecrare, sed apud multos licet confirmare. Hinc est, quod Episcopi illi priùs prohibeant, de posteriore verò nihil dicant; imò in fine Canonis illud Presbyteris disertè concedant. Sic & aliæ plures Hispaniæ Synodi priùs prohibuerunt, de posteriore nihil definierunt. Concil. Bracar. 1. c. 37. *Si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam, aut altarium consecrare*

3 Spuria Damasi epistola, spuria & Leonis. Epistolæ utriusque artifex hæc è Concilio Hispalensi secundo mutuatus est.

a Ὅτι οὐ δεῖ πρεσβυτέρους πρὸ τῆς εἰσόδου τοῦ ἐπισκόπου εἰσιέναι καὶ καθέζεσθαι ἐν τῷ βήματι, ἀλλὰ μετὰ τοῦ ἐπισκόπου εἰσιέναι, πλὴν εἰ μὴ ἀνωμαλεῖν ἢ ἀποδημεῖ ὁ ἐπίσκοπος.

4 Quæ hic à Morino dicuntur de consecratione Chrismatis, cum iis, quæ ab eodem antè cap. 7. dicta sunt, non facilè concilies. Videntur tamen hæc probabiliora. Sic enim scribit in Can. Concilii Toletan. 1. Lucas Holstenius 1. Dissertatione de ministro Confirmationis Romæ editâ an. 1666. *Vides hujus Concilii tempore an. 438. presbyteros alicubi Chrisma confecisse; non solos Episcopos, quod posteà fieri vetant.*

à suo officio deponatur: Nam & antiqui hoc canones vetuerunt. De Chrismatis unctione nihil, sic Martinus Bracar. c. 51. & Toletan. 8. c. 7.

Secundum Argumentum ex comparatione initii hujus Canonis cum posteriore pericope, in quâ Diaconis chrismare prohibetur, sic co li itur: Presbyteri Provinciarum istarum id usurpabant, quod erat eximium, & secundum consuetudinem omnium Chr stianorum & Canonum autoritatem solis Episcopis attributum: ergò multò magis id quod erat in eâdem specie illis secundum consuetudinem multarum gentium concessum, & nullis saltem canonibus Provinciarum suarum & v cinarum prohibitum. Solet enim facile unusquisque vendicare sibi quod spectat ad dignitatem suæ proximam, non autem quæ ab eâ longiùs recedunt. v. g. Diaconi nonnunquam sacrificare & confessiones audire tentarunt, atquè ideò illis est hoc Canonibus prohibitum. Hæc enim sunt Presbyterorum munia, à quorum dignitate proximè absunt. Sed non leges Diaconos ordinationes sibi usurpasse, quia apud omnes exploratum est hoc munus ad Episcopos pertinere, qui Diaconorum ordinem longissimè antecedunt. Verùm Chorepiscopi, qui inter Presbyteralem & Episcopalem dignitatem medii sunt, id sæpiùs tentarunt; estque illud quod ad majores ordines attinet, Canonibus sæpissimè interdictum. Sed in hoc Canone Diaconis prohibetur chrismare. Hoc igitur ex officio præstabant Presbyteri; si enim hoc solis Episcopis in illis Provinciis tributum fuisset, id tentare nunquam ausi fuissent Diaconi; sed cum viderent hoc Presbyteros ex officio quotidiè aggredi, ultràque progredi, ad Chrismatis scilicet consecrationem, Chrisma etiam frontibus baptizatorum illinere sibi permissum esse crediderunt. Deniquè consideratione non vacat, quod chrisma confectum à Presbyteris, prophanum nec Patres Toletani declarant, nec alia Concilia, quæ consimiliter idem prohibuerunt, cum tamen in ejusmodi causis rem irritam aut prophanam pronuntiare soleant. Deindè consecrationem illam Episcoporum esse propriam fatentur non esse universæ Ecclesiæ consuetudinem: dicunt enim hoc *penè ubique custodiri*, atque ideò volunt hoc etiam observari in locis & Provinciis sibi subjectis.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Eadem sententia pluribus testimoniis confirmatur. Vocis Confirmatio *usus declaratur. Frontalis Chrismationis, non verticalis propria.*

ALIIS testimoniis eadem sententia demonstratur. Martinus Bracarensis Archiepiscop. in collectione suâ can. 52. *Presbyter præsente Episcopo non signet Infantes, nisi forte ab Episcopo fuerit illi præceptum.* Capite præcedente evidenter ostendimus hoc de verticali Chrismatione intelligi non posse: restat igitur ut de frontali intelligatur. His accedit, quod nunquam legas in libris ritualibus, aut apud autores Ecclesiasticos, verbum, signare, aliâ significatione usurpatum, quàm pro signi crucis delineatione. Nunc igitur detur mihi signatio, vel signi crucis effigiatio Infantibus aut etiam aliis fieri solita, præter eam, quæ in fronte cum Chrismate effigiatur, quam Presbytero effigiare non liceat. Cum igitur nulla alia sit, superest ut, signare, sit apud Martinum confirmare.

At vero si exemplis agere velimus, videbimus verbum *Signare*, cum apud autores Ecclesiasticos aliquid singulare & Episcopo reservatum indicat, Confirmationis Sacramentum significare, ut in locis Tertull. c. 40. de præscript. *Signat illic & frontibus milites suos.* Et de resurrect. carnis c. 8. *Caro signatur, ut & anima muniatur*: & Pontii Diaconi, *Frontium notatarum secundâ inscriptione signatos*, supra citatis & explicatis: & Apud Pacianum Ep. 3. *Vestræ plebi unde spiritus, quam non consignat unctus Sacerdos.* Apud S. Ambrosium Sæpius, ut cap. 7. de his, qui mysteriis initiantur, *signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus.* Et l. 3. de Sacram. c. 2. *Istæ sunt septē virtutes, quando consignaris.* similia habet lib. 6. c. 2. & lib. 1. de Spiritu S. c. 6. *sicut in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam spiritu signamur &c.* Et paulo post. *Nam & si specie signemur in corpore; veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem,*

Innocentius. I. Epist. 1. c. 3. jam aliquoties citato Presbyteris prohibet Chrismatis *oleo signare, quod solis debetur Episcopis.* Concilium Arausicanum c. 2. *Hæreticos &c. à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placet.* De hoc Canone actum in fine capitis præcedentis. Gelasius I. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam constitutos c. 7. *Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant.* S. Gregorius lib. 11. Ep. 22. quæ est ad varios Siciliæ Episcopos, reprehendit eos, quod cum *ad consignandos infantes egrederentur, ultrà modum sacerdotes gravarent.* Nonnunquàm additur chrisma, chrismate scilicet frontem consignare, ut apud Damasum Ep. 5. Leonem 1. Ep. 88. S. Greg. l. 3. Ep. 9. Concil. Hispal. 2. c. 7. Vormar. c. 8. Alcuinum c. 19. Rabanum Maurum l. 1. c. 30. & alios plures.

Alcuinus Avitus antiquus poëta christianus in libro ad sororem de Christi doctrinâ verba faciens, *Cælorum regnum*, inquit, *virginibus sacro signatis Chrismate confert.* Deniquè antiquissima illa oratio, quâ traditur Confirmationis Sacramentum, quam nobis omnia ritualia antiqua & hodierna exhibent, sic in fine habet, *& consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam.* Solemneque est Græcis istud Sacramentum absolutè vocibus σφραγὶς, σφραγίζεσθαι significare, sicut & sæpissimè Latinis per signaculum. Quùm igitur sit Latinis Patribus, qui antè, post, & eodem tempore vixerunt, quo Martinus Bracarensis, familiarissimum, atque etiam Græcis autoribus, Confirmationis Sacramentum significare per verba *signare*, & *consignare*, quid rationi, & verbis & contextui Canonis convenientius esse potest, quam eamdem iisdem verbis significationem attribuere? Qui alium sensum his verbis affingunt, illum ex antiquâ Patrum traditione similiter demonstrent. In ejusmodi enim rebus, quarum cognitio à Decretis, Canonibus & Patrum testimoniis, aut institutione pendet, Theoreticas & Metaphysicas distinctiones fingere, planè est ridiculum. Non est distinguendum, ubi leges non distinguunt; aliàs ex legibus & jure positivo nihil colligi posset. In Provinciâ igitur Bracarensi cum Episcopi licentiâ, aut eo absente, confirmabat Presbyter.

Barcinonensis Provinciæ eadem fuit ratio, id enim nos evidenter

denter docet Concilii Barcinonensis Canon secundus. *Simili etiam statutum conditione est, ut cum Chrisma Presbyteris Diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Quid clariùs? Nunquàm verticalis Chrismatio dicta est confirmatio, & in vertice ungere, dictum est confirmare, sed in fronte chrismare, ut plurimùm eo tempore dicebant confirmare. Non opus est testimonia longè conquirere. Canon Arausicanus tantoperè suprà ventilatus ità hoc nos docet: *Sacerdos*, inquit, *in confirmatione commonebitur.* Ità quoque S. Leo Epist. 79. c. 7. *qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum anteà baptizati non fuissent, solâ invocatione Spiritûs sancti per manuum impositionem confirmandi sunt.* Eucherius [1] Lugdunensis Episcopus S. Leoni æqualis, homil. in die Pentecostes, *sed quia diximus quod manûs impositio, & confirmatio, ei qui jam renatus in Christo est, conferre aliquid posfit, fortè cogitat sibi aliquis, quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis, &c.* Infrà suprâque sæpiùs easdem *confirmandi, confirmationisque* voces repetit. Sic S. Gregorius l. 12. Ep. 31. ad Felicem Episcopum *cum dubitatur de confirmatione, confirmetur.* S. Melchiades [2] Ep. 1. sæpiùs frontem chrismare, vocat confirmare, frontis chrismationem, confirmationem, & Gregor. III. *De homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illa talis reiteratio prohibenda est.* Nicolaus I. Rodolpho Bituric. Episc. *De his, qui filiastros suos ad confirmationem coràm Episcopis tenent.* Eodem verbo, eâdem significatione utitur Beda in c. 12. Lucæ, *in montem olivarum discipulos educit, ut omnes in morte suâ baptizatos altissimo S. Spiritûs chrismate confirmandos esse designet.* Atquè in ps. 26. dicit unctionem, quæ per manuum impositionem fit, vulgò confirmationem vocari. [3] Marcellin. in vitâ S. Suitberti, c. 63. *Episcopi Catechumenos baptizarunt, Neophytos confirmarunt, &c.* Aimo. ad c. 6. Epist. ad Heb. impositionem manuum appellat confirmationem, & alibi sæpissimè, ut Synodus Francorum, Capitul. l. 5. c. 2. Caroli ma-

1 Non est Eucherii homilia illa.
2 Videtur epistola Melchiadis ex Officinâ prodiisse subdoli Mercatoris.
3 Marcellinus scriptor est sequioris ævi, ut observat R. P. Mabillon in Act. Sanctorum Ord. S. Benedicti.

gni leges lib. 6. c. 83. & 174. Concilium Cabil. c. 27. & capitular., lib. 7, c. 53. in addit. Atquè ut omittam [4] Alcuinum, Amalarium, Vvalfridum, Strabonem aliosque divinorum officiorum autores, antiquissima Ritualia omnia alio nomine vix utuntur. Itàque cum antè Concilium Barcinonense, & eo tempore, quo celebratum est, & post ipsius celebrationem ad hoc usquè tempus, confirmare & confirmatio simpliciter posita, Confirmationis Sacramentum communissimè significaverint, quid hic par est aliud intelligere, quàm idem Sacramentum? Deindè quid aliud cum aliquâ probabilitate intelligi posset, cum doceri non possit, verticalem chrismationem, Confirmationis nomine aliquando fuisse appellatam?

Deniquè dicunt Patres se simili conditione hoc statuisse, quâ præcedentia statuerant. De quâ autem re, Canone præcedente statuerant? An de levi aliquâ ceremoniâ decreverant aliquid? minimè gentium; sed de ordinis Sacramento. *Ut cum ad officia Ecclesiastica Clerici provehuntur, nihil pro benedictione aut Subdiaconii aut Presbyterii conlatâ quicquam vel sub obligationis nomine à quocumque Episcopo, vel ab ejus Clero inquiratur.* Hic igitur similiter de Ecclesiæ Sacramento non de aliquâ ceremoniolâ res agitur, nec ullo modo probabile est, Patres ad ceremoniam accidentariam Clericos eâdem conditione constringere voluisse, quâ ad ipsissimum Ecclesiæ Sacramentum.

---

4 Liber de divinis Officiis, sub nomine Alcuini citatus, spurius videtur, & ferè post an. 1100. confectus.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Eamdem consuetudinem in Insulâ Sardiniensi viguisse ex celebri S. Gregorii Papæ I. testimonio eruitur. Quod & confirmatur ex Florentini & Tridentini Conciliorum verbis. Loci etiam Gregoriani lectio vulgata discutitur ac defenditur.

INSULÆ Sardiniensis eam olim fuisse consuetudinem ex sancto Gregorio est evidentissimum; nec id solum, verùm ex ejus verbis evidenter colligitur, Episcopum specialem esse hujus Sacramenti ministrum, juris esse merè positivi, in quo Ecclesia & Pontifex, datâ occasione, dispensare possit, cui tempore facilè præscribatur, quodque Populos, apud quos receptum non est, non astringat; nisi forsan justis de causis summo Pontifici visum esset, consuetudinem illam abrogare, Romanumque morem introducere. S. Gregorius l. 3. Ep. 9. audiverat in Sardiniâ Presbyteros Chrismate ungere baptizatos in fronte: id prohibet ad Januarium Calaritanum scribens Insulæ istius Metropolitanum, *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore; ut Episcopi post modùm ungere debeant in fronte.* Ità præcipit S. Pontifex. Ægrè tulerunt Sardiniæ Provinciales antiquam suam consuetudinem abrogari. Quid verò sanctus Gregorius, cum hoc rescivit? Concedit ut antiqua sua consuetudo illis inviolata permaneat, sic enim rescribit ad eumdem Insulæ Metropolitanum. *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, & nos q.idem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omninò hac de re aliqui contristentur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus.* Quæ verba, cum sint clarissima, non egent illustratione.

Notabit tamen lector sanctum Gregorium Sacramentum

sic administratum irritum non declarare, imò nequidem post prohibitioné. Epistola. 3. Eusebio Papæ vulgò tributa, aliter edicit, sed auctor epistolæ & epistola ipsa dubiæ sunt fidei. Itàque ex S. Gregorio evidenter colligitur Sacramentum istud à Presbyteris ritè administrari in iis locis, in quibus Pontifice non contradicente, consuetudo ab antiquo sic invaluit, licit istius administrationis nullam à Pontifice obtinuerint indulgentiam. Hinc Theologorum maxima pars sanctum Thomam secuti & Canonistæ omnes, in 1. distinct. 95. docent Episcopum esse Confirmationis Ministrum ordinarium, extraordinariè tamen, & ex Pontificis concessione illam administrare posse Presbyterum. Ità etiam longè antè illos Micrologus eodem persuasus testimonio cap 21. de observationibus Eccles. idem dixit. Et Gratianus dist. 95. post Can. 2. sanctorum Leonis & Gelasii dicta concilians, *istud Gregorii pro scandalo sedando semel concessum legitur; illud autem Leonis Papæ & Gelasii, usu approbante prævaluit, nisi fortè ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentiâ Episcopi extremâ necessitate cogente ex concessione Gregorii, Presbyteri baptizatos in fronte liniant. Prohibitio verò Leonis & Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi præsentes sunt, vel cum non cogit ultima necessitas.* Quæ conciliatio ferè cum Conciliis suprà relatis eadem prorsùs est. Nam Concilia illa hoc jus Presbyteris tantū concedunt, cū abest Episcopus, aut instat necessitas.

5 Eidem sententiæ omninò favet Concilium Florentinum in instructione ad Armenos, quod Episcopum vocat istius Sacramenti Ministrum ordinarium, alium extraordinariè Ministrum esse posse innuens, & Tridentinum sess. 7. quod anathema dicit iis, qui dixerint, quemvis simplicem sacerdotem istius Sacramenti esse Ministrū ordinarium. Benè isti Conciliorum Generalium Canones cum particularibus illis Synodis conveniunt, quæ, ut hoc Presbyteris liceat absentiam Episcopi aut necessitatem requirunt. Hoc reapse concedunt, quod Concilia Florentinum & Tridentinum concedi posse affirmant. Declarationes sanctæ Cardinalium Congregationis in Concilium Tri-

5 Eugenius potiùs summus Pontifex, post quàm Concilio Florentino impositus est finis.

dentinum commemorant non nullos Abbates hoc privilegum à Sede Apostolicâ obtinuisse : *S. D. N. consulto respondit non posse Abbates uti facultate conferendi sacro-sanctum confirmationis chrisma, nisi ordinarius loci consenserit, & quemadmodum & quamdiù placuerit ei*, Concilium quoque Senonense in Decretis morum c. 38. prohibet Abbatibus istius Sacramenti administrationem, nisi illius administrandi speciale privilegiũ nacti sunt, cujus vult eos fidem facere Episcopis, in quorum Diœcesi sunt, antequàm illo utantur. Idem concessit Adrianus VI. Papa anno 1521. 25. April. petentibus fratre Galapio, & Francisco de Angelis, ut Sacerdos regularis ex Minimorum ordine posset in Indiis cum chrismate ab Episcopo consecrato confirmare, Privilegii authenticum Hispali servatur in Monasterio S. Francisci. Hæc refert Henriquez l. 3. de Confirmatione c. 6. Hujus concessionis mentionem quoque facit Suarez de Confirmatione disput. 36. art. 11. sect. 2. in medio eandem habent Jesuitæ multi in Indiâ, ut testis est Arcudius lib. 2. de Sacramentis, c. 15. qui hoc accepit à R. P. Ludovico Fonsecâ Procuratore ex Indiis Romam misso ad Conventum generalem anno 1593. qui affirmabat se & multos alios hoc Sacramentum administrare solitos, indulgentiæque Pontificiæ diploma in Indiis asservari. Et forsan utilissimum esset propter Episcoporum in administrando hoc Sacramento negligentiam, hoc jus Presbyteris Pontificem sæpe delegare.

Cum ista sancti Gregorii concessio, & antiquæ consuetudinis veluti approbatio multorum animos torqueret, quod Pontificum Decretis parùm illis videretur consentanea, tentarunt quidam pravâ scriptione, aut textûs emendatione illius verba in alium sensum trahere. Ideò pleraque exemplaria manuscripta, quatuor legi; sed recentiora, in Epist. 26. ubi hoc concedit, pro *baptizatos*, scriptum habent, *baptizandos*, hoc modo, *ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* Sed est planè absurda lectio,& S.[a] Gregorii menti prorsùs contraria. Concedit, ut absente Episcopo baptizandum

[a] Vide ultim. edit. S. Gregor. ad hanc Epist. 26. ubi amplam MSS. codicum segetem notatam invenies.

chrisment in fronte Presbyteri. At quanta paucis verbis absurda! Nulla natio Christiana baptizandum unquam chrismavit, ne dum in fronte. Deindè quis unquàm fando audivit expectandum Episcopum, ut baptizandum & Catechumenum in fronte signet chrismate? expectandum Episcopum, ut non baptizato det Confirmationem? Cum chrismatio illa præcedat baptismum in hac lectione, est purè ceremonialis; quâ ratione per eminentiam reservatur Episcopo, & interdicitur Presbytero, cui ex officio convenit baptizare? Ad quam actionem præparat illa chrismatio? Cui ex officio convenit post baptismum verticalis Chrismatio? Deindè sancto Greg. contradicit: testatur enim se Chrismationem in fronte prohibuisse secundum veterem usum Ecclesiæ suæ. Legantur Pontificum S. Gregorii decessorum decreta, aliorum autorum de hac re testimonia, quæ variis in locis suprà sunt relata, ritualia denique omnia, invenies ubique Presbyteris esse prohibitum baptizatos, non baptizandos, in fronte chrismare. Deniquè non conveniret sibi S. Gregorius. Epistolâ enim nonâ prohibet Presbyteris baptizatos in fronte chrismare. Epist. verò 26. dicit quosdam ideò scandalizatos, atquè eâ de causâ concedere, ut baptizandos liniant, cum hac conditione, si desit Episcopus. At quæstio non erat de baptizandis, neque scandalizati fuerant Sardinienses, ob baptizandos à Presbyteris non chrismandos, sed propter baptizatos. Ex iisdem exemplaribus nonnulla habent ineptas alias iisdem in locis lectiones, quas nullum operæ pretium refutare, ut Ep. 9. *Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus bis chrismate non præsumant.* Illud, bis, quam ridiculum & ! ἀσύστατον sequitur; *sed Presbyteri baptizandos tangant in pectore &c.* Præter incommoda suprà enarrata, non cohæret, ullo modo cum præcedente membro. Hinc irrepsit, ut credo, in textum, *in pectore*, quod benè conuenit cum voce, *baptizandos*, sed cum, *baptizatos*, convenire non potest. In Epist. 26. aliud exemplar legebat initio, pervenit &c. *Quod Presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizandi sunt prohibuimus, &c.* Hanc lectionem editio Conciliorum Binii sequitur. Hæc si compares cum quæstione propositâ & responso S. Gregorii, nihil aliud sunt, quàm scopæ dissolutæ.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Ex Innocentio Papâ Sacramenti administrationem & Presbyteris & ipsis etiam Diaconis in extremâ necessitate esse concessam.

ALTIUS modò in ejusmodi permissione regredi possumus, quàm ad sanctum Gregorium. Sacramenti enim Confirmationis administrationem declaravit Innocentius I. licitam esse in casu necessitatis extremæ, non modò Presbyteris sed etiam Diaconis. Ejus ad Decentium Ep. 1. cap. 6. *De his baptizatis, qui postea à Dæmonio vitio aliquo aut peccato interveniente corripiuntur, quæsivit dilectio tua, si a Presbytero vel Diacono possint aut debeant consignari; quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est,*

Non id solus dixit Morinus, dixit & doctissimus Lucas Holstenius Hamburgensis, ab Urbano VIII. Vaticanæ Basilieæ Canonicatu, & ab Innocentio X. Bibliothecæ præfecturâ propter summam eruditionem donatus. Ille adversùs recentiorem quemdam dissertationes de sacrâ apud Græcos Confirmatione edidit duas; unam de Ministro, de forma alteram, Romæ an. 1666. cum approbatione Joannis Bona & permissu F. Hyacinti Mag. S. Pal. Apost. Capite ergò 1. Dissertationis primæ probat autoritate Scripturæ sacræ & D. Hieronymi Diaconos manu impositâ Spiritum sanctum dedisse. Capite verò secundo hæc habet: *Neque verò Innocentius I. (in Epist. ad Decentium) absolutè presbyteros Chrismatione interdicit, quamvis tertio capitulo innuere videatur. Nam cap. 6. de Baptizatis Energumenis & Sonticis interrogatus respondet, etiam presbyteros & Diaconos Episcopi præcepto & autoritate ipsos consignare manumque eis imponere posse. Quod, inquit, nisi Episcopus jusserit, non licet. Undè vides non Apostolicam dispensationem hic ab Innocentio requiri, sed solam autoritatem Episcopi ejusque præceptum sufficere, ut non solùm presbyter sed etiam Diaconus Chrisma cum manûs impositione in casu necessitatis tunc conferret.* Et cap. 4. agens de Canone 20. Concilii primi Toletani: *Si ergò*, inquit, *etiam Diaconi tum chrismabant (an. 438.) quantò magis presbyteri, non solùm absente, sed & præsente, jubente tamen Episcopo.*

Hoc verò mirum mihi profectò visum est à Romano Pontifice permissam esse Chrismationem Diaconis, quam Ecclesia Romana etiam Presbyteris, teste Gregorio magno, semper negaverit. Certè in Ecclesiâ Græcâ chrismasse Presbyteros passim, Diaconos nullibi reperies. Quis ergo credat in eâ re Romanam Ecclesiam indulgentiorem fuisse quàm Græcam?

Observanda diligentiùs Innocentii verba: Negat hic baptizatis Energumenis manum esse imponendam, negat hos esse consignandos à Presbytero vel Diacono, nisi Episcopus autoritatem dederit: dari autem autoritatem posse Presbytero vel cæteris Clericis. At quis dixerit cæteros promiscuè Clericos posse confirmare? Non agitur ergò in eo loco de

nisi Episcopus autoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei vel à Presbytero vel à cæteris clericis imponatur. Rationem addit quare possit Episcopus Presbytero jubere ut Energumenum consignet. *Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longè constitutus Energumenus ad Episcopum deducatur, cum si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Episcopum, nec ferri ad sua facile possit?* Si quis ad hujus capituli lectionem præjudicio vacuus, solâque antiqui ritûs, & testimoniorum antiquorum cognitione imbutus accesserit, nihil clarius, nihil planiùs ei occurrere potest,

---

Sacramento Confirmationis, quamvis manûs impositionis & consignationis voces usurpentur. Nam cum Baptismo Energumeni illi & Confirmationem & Eucharistiam simul pro more acceperant. Sed postea vitio aliquo aut peccato interveniente à Dæmonio correpti ac vexati, & impositione manuum & consignatione in integrum volebant restitui. Id quod ab Episcopo oportebat fieri, aut à Presbytero cæterisque Clericis, Episcopo jubente. Hoc innuunt verba Innocentii attentiùs considerata. *Nam quo modo*, inquit Innocentius, *id fieri sine magno labore poterit, ut longè constitutus Energumenus ad Episcopum deducatur? Cum si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facilè possit.*

Vexabantur ergò Energumeni nonnunquam ad ægritudinem usquè, quâ per manuum impositionem, orationem, consignationem & unctionem liberari poterant. Quæ omnia per Presbyteros cæterosque Clericos, Episcopo jubente, possunt fieri. Res erit clarior ex iis quæ leguntur in vitâ sancti Cæsarii Arelatensis, quam scripsit Messianus annis post obitum Innocentii ferè centum & quinquaginta, n. 15. *Ille* (Cæsarius) *capiti ejus* (mulieris Energumenæ) *manum imponens benedictionem dedit. Deindè oleum benedixit, ex quo eam nocturnis horis perungi jussit: statimque ita sana facta est, ut deinceps tentatio Dæmonis ad illam non reverteretur.* Et n. 16. *Antè sanctum Altare super caput ejus* (puellæ Energumenæ) *manus imponens, oleum benedixit, eique oculos & aures perunxit, cunctisque videntibus per plateam ad domum suam sana reversa est.* Et n. 22. *cum patre & matre puella* (Energumenæ) *oravit, erigensque se, signavit eam, & dimisit sanam.* Deniquè n. 23. *vidit in foro hominem, qui à Dæmonio agebatur. Quem cum attendisset contrà, manum sub casulâ habens, ut à suis non videretur, crucem contrà eum fecit, qui statim à tentatione inimici absolutus est.* At hæc ad Sacramentum Confirmationis nullo modo pertinent, & jubente Episcopo à Clericis omnibus fieri possunt: Et is mihi videtur esse genuinus verborum sensus epistolæ Innocentii I. ad Decentium.

Nequè verò constat, quod pro certo ponit Morinus, verba signandi, consignandi ubique apud veteres de Sacramento Confirmationis intelligi oportere. Laudatus enim Messianus præter citatum locum hæc habet c. 12. *Cæsarius dixit uni de Episcopis: Rogo, signa manus mulieris istius, qui obedientissimè paruit. Sed nihilominus manus mulieris solidè volvebantur. Illa vehementiùs clamans dixit: Domine Cæsari, ad te clamo. Te rogo. Tu signa. Iterùm in oratione procubuit, erigensque se Crucem super infirmas manus fecit.* Possim & huc adducere verba Cypriani, qui eamdem sancti Cæsarii vitam scripsit. Ille cap. 25. hæc de muliere contractâ, jubente Cæsario, ab Eucherio Episcopo sanatâ narrat. *Cæsarius dixit sancto Eucherio, descende, & signa eam. Descendit itaque & signavit eam.* Verùm hæc in eum locum plusquam satis.

ad

ad demonstrandum ex Innocentii. I. Papæ sententiâ in casu necessitatis extremæ potuisse Episcopum Presbytero aut etiâ Diacono jubere, ut in illâ necessitate constituto confirmationi Sacramentum administret.

Respondent aliqui Innocentium loqui de quâdam consignatione & chrismatione, quæ tantum esset ceremonialis, Episcopo tamen reservata. Si sic licet gratis & sine teste leges & responsa prudentum interpretari, nihil tam absurdum, & legibus consuetudinibusque contrarium fingi unquam poterit, quod ullis legibus aut decretis sive Patrum & prudentum testimoniis possit unquam refelli. Nullibi unquam invenies consignare absolutè positû alio sensu, quam pro Confirmatione; invenies autẽ sæpiùs pro eâ positû, ut ex tot testimoniis in hoc tractatu allatis constat. Neve longiùs vagemur, habes illud bis eodem sensu cap. 3. ejusdem S. Innocentii Epistolæ. Sed quid ad hoc? Consignatio illa manuum impositioni conjuncta est. Legantur omnia Patrum loca, antiqui rituales, nusquam invenies manuum impositionem junctam consignandi verbo, quin disertissimè de confirmatione sermo fiat. Quid dicam de augustâ reservatione istius ceremoniæ Episcopo factâ? *Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus dederit autoritatem id efficiendi.* Nullo modo licet id Presbytero, nisi specialiter ab Episcopo facultatem obtinuerit, consignationemque illam cum manuum impositione, ut ad eumdem ritum pertinentia permutat, quod omnes antiqui atque etiam recentiores Patres faciunt, qui de Confirmatione loquuntur. Evolvant Rituales omnes, & quæcumque sunt Patrum testimonia, si quid ejusmodi inveniant dictum, quod ad Confirmationem non pertineat. Deniquè quærere de Energumenis baptizatis, qui consignandi sunt ab Episcopo, sed ad eum duci non possunt, quid aliud est quam agere de Energumenis baptizatis, sed non confirmatis, de quibus quæritur, quid fiet, cum ad Episcopum adduci non possunt?

Legantur Rituales omnes antiqui, legantur libri exorcismorum, nihil fit Energumenis, quà Energumeni, quod à Presbytero ex officio non fiat, quid ab Episcopo dico? Hoc est officium Exorcistarum, quos sciunt omnes quantis gradibus sint Presbyteris inferiores. Imponuntur manus Energumen s.

Quis imponit? An Episcopus solus? Audiamus Cm. Carth. 4. Innocentii tempore celebratū c. 7. *Habeto potestatem imponendi manus super Energumenum sive baptizatum sive catechumenum.* Verba sunt hæc ordinationis exorcistæ, quæ ab antiquissimis, & recentioribus Ritualibus & divinorum officiorum autoribus hactenùs referuntur. Et Can. 90. *Omni die Exorcistæ Energumenis manus imponant.* Cum sanæ mentis sunt, quodnam est illorum officium. c. 91. *Pavimenta domorum Dei Energumeni verrant.* Qui hoc negaverit ostendat in Patribus aut antiquis libris vestigiolum vel umbellam augustæ istius ceremoniæ, quam Energumenis solos Episcopos propter illius majestatem administrare fas esset.

Reponet aliquis istorum verborum sensum, iis, quæ dixerat c. 3. S. Innocentius, non convenire. Respondeo & secum, & cum iis, quæ dicta sunt, optimè consentire Innocentium. Dixit. c. 3. solorum Episcoporum esse in fronte chrismare, & tradere Spiritum sanctum, hoc intelligendum autoritate propriâ, nativâ & ordinariâ. Capite verò sexto docet eosdem Episcopos, cum à baptizatis conveniri non possunt hanc autoritatem extraordinariè Presbyteris & Diaconis delegare posse. Itaquè optimè sancto Innocentio convenit cū Conciliis Tridentino & Florentino, cum sancto Gregorio aliisque Latinis autoribus à nobis suprà citatis: Nullaque differentia est in dogmate Ecclesiæ Latinæ cum Orientali, nisi quod hæc fuit in causâ istâ multò indulgentior quàm illa. Severioris disciplinæ autor fuit Sylvester, qui noluit, ut Episcopi baptizatos consignandi autoritatem Presbyteris tribuerent, ne facilè ab hæreticis circumvenirentur. *Privilegium Episcopis contulit*, inquit Damasus, ut baptizatum consignent, *propter hæreticam suasionem.* Voluit istius Sacramenti administrationem esse Episcopis loco privilegii, & singularis prærogativæ, quâ gaudere non possent Presbyteri, nisi extremâ necessitate occurrente, dispensarent Episcopi, ut ex sancto Innocentio colligitur. Hanc Sylvestrinam constitutionem severè admodum observarunt, qui sanctum Innocentium secuti sunt Pontifices.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Ecclesiam Bæticam cæterasque Hispanicas Romanæ consuetudini subscripsisse. Earumdem usus pluribus S. Hieronymi testimoniis confirmatur.

NOTABIT Lector ex Concilio Hispalensi. II. Provinciam Bœticam in hoc negotio, de quo agimus, Romanam consuetudinem, saltem tempore S. Isidori, quo Hispalis Bœticæ Metropolis Pontifice Concilium illud celebratum est, esse secutam. Sic enim Concilium illud, cui ut pote Provinciali præerat Isidorus, Can. 7. *Quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis Regulis sibi prohibita noverint: sicut Presbyterorum & Diaconorum ac virginum Consecratio: sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio. si quidem nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare &c.* De hoc verba faciens Isidorus cap. ult. lib. 2. de divinis Officiis verbis sancti Innocentii explicat, à quo potissimum, ut ipse loquitur, Sacramentum istud conferatur, quâ limitatione, *à quo potissimum*: alienum non esse innuit à potestate & dignitate Presbyteri, ut hoc jus illi ex indulgentiâ concedatur. Cæteræ Hispaniarum Provinciæ morem Romanum paulatim secutæ sunt. Idem fecerunt Viennenses Ecclesiæ in Galliâ, & si quæ aliæ in hac observatione cũ iis consentiebant.

Præcedentibus sancti Hieronymi testimonium attexemus. Sic ille Epist 85. quæ est ad Evagrium. Totâ Epist. disputat de prærogativâ & dignitate Presbyterorum adversus quemdam, qui eis quodammodo æquare satagebat Diaconos, probatque eos ad Episcopalem potestatem proximè accedere, atque inter multa argumenta isto utitur, nihil facere Episcopum præter ordinationem, quod Presbyter similiter non faciat. *Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Epis-*

copus, quod Presbyter non faciat? Si tunc Ecclesiarum omnium eadem fuisset consuetudo, quę nunc est totius Occidentis, quid facilius quàm S. Hieronymo regerere? Habes præter ordinationem confirmationis Sacramentum, quo Christiani perficiuntur, quo spiritu S. Donantur. Ut igitur sancti Hieronymi Argumentatio concludat, oportuit Presbyteros in multis Ecclesiis Sacramentum illud saltem ex Episcopi licentiâ administrasse; aliàs nullus fuisset interrogationi restrictivæ locus.

Idem probatur & illustratur ex eo quod dicit in dialogo adversus Luciferianos. *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipias Spiritum Sanctum, quem asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc observationem ex eâ autoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* En quam evidenter doceat Spiritum Sanctum, qué soli Episcopi ad Apostolorum imitationem tradunt, in multis locis hoc Episcopos facere ad honorem tantùm Sacerdotii, non ex legis necessitate. Et consequenter salvo honore Sacerdotii, ut, cum abest Episcopus aut necessitas urget, aut ipso jubente, eâdem Spiritûs Sancti tradendi potestate illis in locis Presbyteri potiuntur. Si ubique soli Episcopi, ut in Ecclesiâ Romanâ & plerisque aliis, eâ potestate exclusis omnino Presbyteris, eâ autoritate usi fuissent, quamobrem id quod indefinite primum & quasi universaliter Episcopis attribuerat, postea circumscribit, & affirmat multis in locis aliter fieri, ad honorem scilicet Sacerdotii potius, quàm ad legis necessitatem?

Ulteriùs progreditur S. Hieronymus, probat enim verbis sequentibus urgente necessitate Presbyteris id licere, *Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in Castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Id enim si Presbyteris non liceat, lugendi, inquit, erunt, qui ab iis baptizati sunt, & ad Episcopum morte præveniente non recurrerūnt: quod cum sit absurdum, ergò & illud ex quo consequitur, negatâ scilicet Presbyteris conferendi Spiritum sanctum potestatē Po-

ſteà colligit hanc autoritatem Epiſcopis eâ ratione potiſſimum datam, quâ ſuper Presbyteros conſtituti ſunt, ne ſcilicet ex Presbyterorum æqualitate ſchiſmata naſcerentur. *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Hinc originem ducit ſanctus Hieronymus Conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quâ ſine chriſmate Presbytero baptizare non licet, *indè venit, ut ſine chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.* Secundum igitur ſancti illius ſententiam, ut Presbyter abſente Epiſcopo, aut præſente, ſed jubente baptizare poterat, ſic & confirmare. Quæ ſententia eadem prorsùs eſt cum eâ, quam ex variis Conciliis ſuprà collegimus.

Verùm ex ſancti Hieronymi verbis difficultas emergit non contemnenda, videtur enim hanc poteſtatem, quæcumque illa ſit, Diaconis & Presbyteris communem facere, quod non abs re judicabit aliquis ab omni Eccleſiaſticâ conſuetudine alienum. Reſpondeo neminem diffiteri poſſe, hanc poteſtatem, quæcumque illa ſit, S. Hieronymũ Diaconis tribuere, ſed nego hanc poteſtatem, ut, interpretati ſumus, ab omni conſuetudine Eccleſiaſticâ eo tempore fuiſſe alienam. Hoc enim apertè Diaconis concedit Arauſicanum Concilium c. 1. de quo ſuprà multis actum eſt. *Nullus Miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari.* Per Miniſtros, qui baptizandi recipiunt officium intelliguntur neceſſariò Diaconi cum Presbyteris. Jubet igitur Diaconos non ſecùs ac Presbyteros ſine chriſmate nùnquàm progredi, & conſequenter ea, quæ ſuprà dicta ſunt de hoc Canone, Diaconis etiam tribuenda ſunt. Perpende Lector quàm exactè cum S. Hieronymo conveniat Concilium iſtud, ſine Chriſmate, inquit, ſanctus Hieronymus, neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi. Et Concilium prohibet utriſque ſine Chriſmate baptizare. Utrobique Chriſma requiritur, ut cum Baptiſmo Spiritus ſanctus detur. Sed ex conſuetudine Romanâ reverentior ergà Epiſcopos eſt ſanctus Hieronymus: præter enim Chriſma Epiſcopi juſſionem deſiderat. Præterea favet admodum huic ſancti Hieronymi teſtimonio Concil^m. Tolet.

1. c. 20. quod statuit ne Diaconus chrismet. Argumentum est evidens aliquos in Provinciis Concilio subditis, id facere solitos, cum Concilium hoc prohibeat; certum est illi displicuisse, anteà tamen factum non improbavit nedum irritum declaravit. Sed ita in hac causâ sese gessit, ut in legibus aut consuetudinibus, quæ honestâ aliquâ ratione ob rei aut personarum decus augendum vel conservandum a legislatoribus immutantur aut abrogantur.

Si quis S. Hieronymi verba de chrismatione verticali velit interpretari, textui non satisfaciet. Quomodo enim huic Chrismationi hæc applicabit? multis in locis Spiritum sanctū ab Episcopis tradi ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Deinde, jubente Episcopo, diaconos & Presbyteros cum chrismate baptizare, eo quod Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendeat, cum chrismatio illa, ut supra demonstratum, sit infra dignitatem Episcopalem, sitque tantùm ad frontalem Episcopo dignam dispositio. Si tamen color aliquis huic opinioni inducendus est, dicendum omnino idem sensisse de verticali illâ chrismatione, quod Beda in ps. 26. jam aliâ in causâ relatus unctioné, scilicet illam, quæ per manuum impositionem ab Episcopis datur, & confirmatio dicitur eamdem esse cum secundâ; verticali videlicet, *propter arrogantiam tamen non esse concessam singulis sacerdotibus, sicut & multa alia.* Cui sententiæ suffragatur Ivo Carnotensis sermone 1. de rebus Ecclesiasticis. *Completis jam Baptismi Sacramentis cum baptizatus de fonte ascenderit, sacro chrismate ungitur in vertice &c. Hoc Sacramento post aquam fit perfectio, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Exindè traditur Christiano vestis candida. &c.* Quæ verba à sancto Ambrosio mutuasse videtur. Verticalem autem chrismationem agnovisse S. Hieronymum nonnullis aliis ejus dictis suaderi potest, ut cum commentario in cap. 2. lament. Jeremiæ scribit de Christiano, qui sæculai sapientiæ nimium studet, *Polluit honorem regni, & principatum ejus, quem habuit in perceptione baptismatis, & sacri unctione chrismatis.* Cum propter unctionem illam dicat Christianum Regni honorem & Principatum habere ad verticalem respexisse videtur. Deindè eodem cap. *Maledicit sanctificationi suæ, quando christianum nomen in quo gloriabamur, &*

quod in sacro baptismate per sancti chrismatis unctionem suscepimus, pollutum dixerit. Plerique Patres Latini hoc referunt ad verticalem chrismationem. Plurimùm tamen elevatur ista conjectura, ex eo quod Commentarius iste falsò videtur sancto Hieronymo tributus.

Quidquid sit de illâ Bedæ & Ivonis sententiâ, quæ propter contrariam Ecclesiæ consuetudinem videtur minùs probabilis: semper enim verus & genuinus Confirmationis effectus per Episcopi manum dati creditus est: efficax admodum esse, & magni momenti æstimanda est verticalis illa chrismatio; non enim levi de causâ primùm à sancto Sylvestro instituta est, & à Confirmationis Sacramento veluti avulsa, sed, ut ait, Damasus, propter occasionem transitûs mortis: ne, si fortè baptizatus aliquo infortunio non posset Episcopo confirmanti accurrere, confirmationis effectu in totum privaretur. *Hoc prævidens Sylvester Papa, quantum, potuit, subvenit, & propter absentiam Episcoporum necessitate addidit, ut à Presbytero ungerentur*, inquit Amalarius, l. 1. c. 27. His similia Hugo à sancto Victore de Sacram. l. 2. p. 7. c. 3. Rupertus lib. 5. de divinis officiis cap. 16. Expressius illius effectum denotat Rabanus Maurus l. 1. de instit. Clericorum c. 28. scilicet S. Spiritûs donationem: *Benè quidem baptismo continuatur chrismatis unctio, quia spiritus sanctus, qui per illud chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato Jesu, statim super illum in Columbæ specie descendit, &c.* Et his fusiùs explicatis subjungit: *Ideoque necessarium est, ut statim succurrat baptizato, cum chrismatis unctione, ut spiritûs sancti participationẽ accipiens, alienus à Christo non existat.*

Quæres, quomodo igitur Rabanus effectũ frontalis chrismationis à verticali distinguit? Ipse explicat c. 30. *Novissimè à summo Sacerdote per impositionem manûs Paracletus traditur illi spiritus sanctus, ut roboretur per spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, &c. signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem verò in fronte, ut priori unctione significetur spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam, in secundâ quoque, ut ejusdem spiritûs sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine & scientiæ & virtutis, venire in hominem declaretur.* Ex quo fit, inquit posteà, ut intrepidè

Christi nomen coràm Regibus & Principibus profiteri audeat. Ab istâ unctione dicunt plerumque Latini Autores nos Christianos vocari, ut Prosper sententiâ 342. Isidor. l. 2. de Eccles. officiis. c. 25. Beda in Psal. 26.

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

De Græcarum & Orientalium Ecclesiarum consuetudine circà Sacramenti Confirmationis Ministrum. Episcopos, Archipresbyterosque ac etiam Presbyteros hoc munus ferè promiscuè exequi esse solitos, illos ordinariè ac proprio jure, istos extraordinariè & Episcoporum concessione. Ex Clemente, Dionysio, hujusque Commentatore maximo demonstratur.

LONGE alia ratio est Græcarum & Orientalium Ecclesiarum. Apud eos enim, quantum historiis & antiquorum monumentis assequi possumus, hoc Sacramentum semper administrarunt Presbyteri, non secùs ferè ac ipsum baptismum. Verum quidem est eos passim asserere ad Episcopum præsertim spectare, id munus exequi. Antiquitùs verò post Episcopos, non quoslibet Presbyteros, sed Archipresbyteros, Protopapas, aut alios Presbyteris præfectos id præstare solitos. His tamen absentibus cuilibet Presbytero illud administrare permissum. Ex quibus manifestum est Sacramentum istud, ut ità loquar, aptum natum esse, ut à Presbyteris ministretur, sic dispensante summo Pontifice, aut Conciliis generalibus, aut consuetudine Ecclesiarum aliquarum celebrium, sic ferente quolibet Episcopo: & consequenter Episcopum esse illius Ministrum ordinarium, Presbyterum verò extraordinarium; ità tamen ut ordinarius esse possit, non quidem, ut ità loquar, in actu primo, id est, primò & per se, virtuteque suæ ordinationis. Hoc enim ad Episcopalem dignitatem pertinet, sed in actu secundo, commissionis & delegationis continuatione, consuetudine perpetuò & nullâ interruptione per illas Ecclesias sic invalescente. Ità enim quod est

est naturâ suâ extraordinarium, tandem evadit ordinarium, jurisque communis per illas Ecclesias naturam induit. Hoc modo dici potest jure communi & ordinario in Oriente nunc & à primâ ferè antiquitate, confirmare Presbyteros. Ista sunt demonstranda.

Sanctus Clemens lib. 7. constitut. c. 23. ad Episcopum primùm, deindè ad Presbyterum Confirmationis administrationem spectare docet, sic enim initio capitis, [a] *De baptismo autem Episcope, aut Presbyter, jam ante constituimus, ac nunc rursus dicimus sic baptizandum esse, ut Dominus constituit.* Deindè explicatâ formâ subjicit, [b] *Unges autem priùs oleo sancto, deinde baptizabis aquâ, postremò signabis unguento,* μύρῳ Unges, repete, Episcope aut Presbyter: necessariò enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetuntur istæ voces. Id confirmatur prætereà ex verbis sequentibus, quæ ad utrumque pertinent. [c] *Sin autem non fuerit oleum, neque unguentum, satis est aqua tum ad unctionem, tum ad sigillum, & ad confessionem morientis, sive commorientis.* Insuper. cap. 43. & 44. ejusdem libri docet quomodo benedicat Episcopus oleum ad baptismum, & aquam: posteà inducit eum baptizantem & confirmantem. Cap. verò 45. refert orationem, quæ ab Episcopo dicenda est in chrismatis unctione, posteà sic addit: [d] *Nisi enim unicuique eorum talis invocatio à Pio sacerdote adhibeatur, in solam aquam descendit, qui baptizatur, ut Judæus, ac corporis tantùm sordes, non autem animæ deponit.* Per invocationem non intelligit tantùm orationem, quam docuit esse in Confirmatione dicendam, sed hoc loco potissimum baptismi formulam. solet enim sæpiùs tum ab eo, ut lib. 3. c. 16. quod paulò infrà referemus, tum ab aliis Patribus Græcis dici ἐπίκλησις, & à Latinis invocatio, quia tota baptismi virtus consistit in sanctæ Trinitatis invocatione, quam baptizans super baptiza-

---

a Περὶ δὲ βαπτίσματος ὦ ἐπίσκοπε ἢ πρεσβύτερε, ἤδη μὲν καὶ πρότερον διεταξάμεθα· καὶ νῦν δὲ φαμὲν. ὅτι οὕτω βαπτίσεις ὡς ὁ κύριος διετάξατο.

b Χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ.

c Εἰ δὲ μήτε ἔλαιον ᾖ, μήτε μύρον ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν καὶ πρὸς σφραγῖδα καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος ἤτοι συναποθνήσκοντος.

d Ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γένηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖος, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος. οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς.

rum invocat. Quæ igitur cap. 43. & 44. Episcopo tribuerat, eadem paulò post Presbytero tribuit. Baptismi autem ritus omnes Episcopis potissimum tribuit, quia in illis Ecclesiæ Christianæ incunabulis, cum paucæ essent Ecclesiæ, & in unaquaque urbe pauci Christiani, unaquæque Parœcia ferè suum habebat Episcopum, qui Sacramenta omnia ministrabat: nec enim tùm, nisi rarò admodum in unâ urbe plures erant Parœciæ. Ne tamen quis existimet hæc munia ad Episcopum solum pertinere, atque ab iis Presbyteros excludi, postquam Episcopo hæc attribuit, Presbyteros quoque complectitur.

Lib. 3. c. 16. expressiùs Episcoporum in Confirmationis administratione prærogativam explicat. [a] *Deinde, aut tu Episcope, aut Presbyter tuus, qui sub potestate tuâ est, factâ super eos nominatim sacrâ invocatione Patris & Filii & Spiritûs sancti, baptizabis, ac virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem verò Diaconissa*, ὅπως συμπρεπόντως ἡ μετάδοσις τῆς ἀρρήκτου σφραγῖδος γίνηται, *ut honestè & à quibus decet infractum sigillum imprimatur, ungat posteà baptizatos Episcopus.* Baptismo facto aut ab Episcopo, aut à Presbytero, confirmationem dicit convenienter & decorè ab Episcopo fieri. Illud enim, συμπρεπῶς ad præcedentia referendum non est, sed ad sequentia. Nullus enim esset sensus, si sic connectatur, virum baptizatum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa, ut decorè, atque ut decet Confirmatio detur. Susceptio enim illa Diaconi & Diaconissæ nihil ad decorem & honestatem Confirmationis confert. Hoc quidem dici posset de unctione & baptismo Catechumenorum. Nam apud Græcos viri & mulieres unguntur, & baptizantur nudi, cujus rei gratiâ potissimum Diaconissæ institutæ erant ut vel ex cap. 15. ejusdem libri constat. Sed de Confirmatione nullo modo, quâ induti super frontem, oculos, nares, os, & aures unguntur. Illud igitur adverbium ad Episcopum necessariò refertur, itaque ut nulla sit amphibologia, & verborum constructio rei subjectæ appositè quadret, loco movenda est conjunctio, καὶ: *Virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa*, post quæ verba comma

---

a ἔπειτα ἢ σὺ ὁ ἐπίσκοπος, ἢ ὁ ὑπὸ σὲ πρεσβύτερος τὴν ἱερὰν ἐπ' αὐτοῖς εἰπὼν καὶ ἐπικαλέσας ὀνομασίαν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος βαπτίσεις αὐτοὺς ἐν τῷ ὕδατι. καὶ τὸν μὲν ἄνδρα ὑποδεχέσθω ὁ διάκονος· τὴν δὲ γυναῖκα ἡ διάκονος.

figendum, & sic legendum, καὶ ἵνα συμπρεπῶς ἡ μετάδοσις τῆς ἀχράντου σφραγῖδος γίνηται. εἶθ' οὕτω ὁ ἐπίσκοπος χρίεται τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ, atque ut participatio puri & illibati sigilli decorè fiat, & à quo decet, baptizatos chrismate posteà ungat Episcopus. Potest tamen tolerari verborum ordo, ut est editus, & loco in quo est, relinqui conjunctio, modo periodus in dictione Diaconissa finiatur. Tum illud, καὶ μετὰ τοῦτο &c. reddendum erit. *Posteà etiam Episcopus baptizatos ungat chrismate*, ex quibus verbis manifestissimè colligitur Episcopum primò & per se Ministrum esse Confirmationis, secundariò verò Presbyterum, & cum eam Episcopus confert, tùm συμπρεπῶς conferri.

Sanctus Dionysius idem mihi videtur evidenter admodum docere. c. 5. Eccl. Hier. prima parte. [a] *Ut*, inquit, *omnis hierarchia in Jesum Christum desinit, sic unaquaque in suum divinum Pontificem; vis autem omnis hierarchica per omnes hierarchiæ suæ ordines penetrat & agit.* Et præterea, inquit, divina lex præter cæteros ordines diviniora opera ἐκκρίτως potissimùm & selectè illi tribuit exercenda. Posteà subdit velut objectionem, quam solvit, [b] *& si enim etiam à sacerdotibus signa quædam veneratione digna perficiuntur, nunquam tamen sacerdos sacram divinamque generationem* (hoc est, baptismum) *sine divinissimo unguento peraget, neque divinæ communionis mysteria perficiet, nisi communionis sacramenta in divinum altare imposuerit: quin ne sacerdos quidem ipse erit, nisi Pontificiis officiis ac consecrationibus ad id delectus fuerit.* Objectio est igitur ejusmodi, en divinissima opera facit Sacerdos, nec opus Pontifice: baptizat enim & sacro unguento ungit, & divinæ Communionis mysteria perficit solus, Pontificisque operâ non indiget. Respondet baptizare quidem, sed non sine sacro unguento, sacrificare; sed non sine altari, quæ à Pontificibus

---

a Ὡς γὰρ ἅπασα ἱεραρχία ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν ἀποπερατουμένη, οὕτως ἑκάστη εἰς τὸν οἰκεῖον ἔνθεον ἱεράρχην. ἡ δὲ τῆς ἱεραρχικῆς τάξεως δύναμις, ἐν πάσαις χωρεῖ ταῖς ἱεραῖς ὁλότησι, καὶ διὰ πασῶν τῶν ἱερῶν τάξεων ἐνεργεῖ.

b Εἰ γὰρ καὶ πρὸς τῶν ἱερέων τελεῖταί τινα τῶν σεβασμίων συμβόλων, ἀλλ' οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρίς, οὐδὲ τὰ τῆς θείας κοινωνίας τελέσει μυστήρια, μὴ τῷ θειοτάτῳ θυσιαστηρίῳ τῶν κοινωνικῶν ἐπιτεθέντων συμβόλων. ἀλλ' οὐδὲ αὐτὸς ἱερεὺς ἔσται μὴ πρὸς τῶν ἱεραρχικῶν τελειώσεων εἰς τοῦτο κεκλημένος.

consecrantur. Imò addit, quod ipse sit Sacerdos, id à Pontificis consecratione habet; itàque verum est, quod suprà dixerat: [a] *Virtutem ordinis Pontificii per omnes sacros ordines penetrare, & in omnibus operari hierarchiæ suæ mysteria.*

Verba, quæ apud sanctum Dionysium immediatè sequuntur eandem sententiam confirmant: sic enim objectionis solutionem concludit: [b] *Itàque divinus mos sanctam hierachicorum ordinum institutionem, divinique unguenti confectionem, atque sanctam Altaris consecrationem divinorum Pontificum efficacibus facultatibus singulari munere attribuit.* Sacerdos igitur sine Pontifice non baptizat & confirmat, nec sacrificat; duplici ratione, quia quod Sacerdos baptizet & sacrificet, id habet à consecratione Pontificis, qui ipsum in Sacerdotem ordinavit; deindè id sine ungnento non facit & altaris dedicatione, sed unguenti confectio & Altaris dedicatio ad Pontificem, non ad Sacerdotem pertinent.

Negotium fortè facesset, quod sanctus Dionysius baptismum confirmationi indistinctè conjungat.

Verùm loquitur ex consuetudine totius Orientis; ubi hoc Sacramentum baptismo semper conjungitur, atque etiam antiquitus in Occidente quoties Episcopus baptizabat, aut ipso præsente baptismus celebrabatur. Hanc autem consuetudinem ipse Dionysius docet c. 2. ejusdem libri, ubi baptismi ritum enarrat: sacri enim unguenti unctionem explicat ut actionem baptismum peractum consequentem, ut tu ipse legere poteris, tàm in fine τῷ μυστηρίῳ quàm Theoriæ. Hoc enim ipsa lectione clariùs colliges, quàm ullâ verborum nostrorum explicatione. Indè est quod cap. 4. ubi unguentum, sive, ut loquimur, chrismatis consecrationem explicat, ritusque omnes edocet, de confirmatione nulla verba faciat. Indè quoque quod nulla Græcorum Euchologia tàm recentia quàm antiqua ullum habeant de Confirmatione titulum, nec un-

a Τὴν δὲ ἱεραρχικῆς τάξεως δύναμιν ἐν πάσαις χωρεῖν ταῖς ἱεραῖς ὁλότησι, καὶ διὰ πασῶν τῶν ἱερῶν τάξεων ἐνεργεῖν τὰ τῆς οἰκείας ἱεραρχίας μυστήρια.

b Ὅθεν ἡ θεία θεσμοθεσία, τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιαστείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τελετουργίαν ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἰδιαίως ἀπεκλήρωσεν.

quam separatim illius ritus explicent, sed semper cum ritu baptismi, in ejus fine scilicet, licet innumeros habeant benedictionum & consecrationum suarum titulos sive ἀκολουθίας καὶ τάξεως : ità ut si velis in eorum Euchologiis τῆς σφραγῖδος, sivè quolibet alio nomine Confirmationem appelles ἀκολουθίαν seù τάξιν quærere frustrà sis. In fine ἀκολουθίας τοῦ βαπτισμοῦ eam reperies, non alibi. Invenies quidem ἀκολουθίαν τοῦ ἁγίου καὶ μεγάλου μύρου, *consequentiam sive ritum sancti & magni unguenti*; sed, ut apud sanctum Dionysium de sacri illius unguenti confectione & consecratione, de confirmatione verò non agitur. Quare S. Dionysius cum baptismum & confirmationem velut unum quid conjungit, ex suâ & Orientalium consuetudine loquitur.

Objicietur forsan, S. Dionysium c. 2. ubi de baptismo disserit, sacri unguenti unctionem ad Pontificem referre. Verum est, sed toto illo capite Pontificem inducit baptizantem, Sacerdotes verò ipsi adsistentes & inservientes. Ideò non modo Chrismatis unctionem, sed præcipuas & nobiliores actiones Pontifici attribuit, ut, cum primùm Catechumenus vitam suam juxtà christianam legem se instituturũ pollicetur, manum capiti imponere, signo crucis signare, olei unctionem inchoare, baptizare, baptizatum chrismate ungere, nonnullasque alias; cæteras verò minùs solemnes Sacerdotibus & Diaconis. Itàque objectio ista sententiæ suprà explicatæ nihil officit, sicut & hæc à contrario casu petita contrà baptismatis & confirmationis conjunctionem, sæpè sine Chrismatis unctione baptismum fieri: quod quidem verum est, sed in casu necessitatis. Tùm enim sufficit aqua è flumine aut fonte hausta, ut jam primùm docuit S. Clemens. [a] *Sin autem non fuerit oleum neque unguentum chrismatis, satis est aqua tùm ad unctionem tùm ad sigillum, & ad promissionem morientis, vel potiùs commorientis*. Lib. 7. c. 23. At de extremâ illâ necessitate verba non facit S. Dionysius, sed de Ecclesiastico ritu & disciplinâ.

Eamdem sancti Dionysii sententiam calculo suo confirmat sanctus Maximus locum citatum commentans. *Nota*, in-

a Εἰ δὲ μήτε ἔλαιον ᾖ μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν, καὶ πρὸς σφραγῖδα πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος, ἤτοι συναποθνήσκοντος.

quit, a *quia & sanctificare & consecrare unguentum non est Presbyterorum, quos etiam sacerdotes appellat; quin nec Altare consecrare, etiam si in eo offerant, nec verò ordinare: hæc enim solus Pontifex perficit, sine quibus Presbyter nec baptizabit nec offeret: sed in iis quæ priùs ab Episcopo consecrata fuerint, sacra munera exercebit.* Unguenti sanctificationem, Altaris consecrationem & ordinationem, hæc tria Sacerdotibus adimit, & solis Pontificibus tribuit. Baptizare igitur, confirmare & sacrificare Presbyteris concedit. Nam de his postremis apud S. Dionysium quæstio est. Deindè ait Presbyterum hæc tria postrema sine Pontifice non peragere, & sic vim hierarchicam sive Episcopalem in omnes sacras operationes penetrare. Quâ verò ratione nihil Presbyter agit sine Pontifice, virtusque Episcopalis in omnes Presbyterorum sacras operationes penetrat? Quia baptizat & offert Presbyter in iis, quæ priùs ab Episcopo consecrata fuerint, baptizat scilicet cum unguento quod Episcopus confecit & benedixit; offert verò super Altare, quod Episcopus consecravit. Idem igitur S. Maximi quod sancti Dionisii tempore observabatur: Nam adnotare solet Maximus, cum suo tempore variatum est, antiquitùs sic fieri solebat.

Verum audiamus quomodo ipse Maximus vim illam Hierarchicam seù Episcopalem, quæ per omnes sacros ordines penetret, & in iis Hierarchiæ suæ mysteria operetur, explicatius enarret. Sic paulò antè, illa ipsa sancti Dionysii verba explicans quibus vim illam exprimit: b *Ità verò oportet proposita intelligi, quod omnia sacerdotaliter perfecta ad Pontificem referuntur, ut qui ea per suos ordines operatur, quibus prabuit potestatem hac agendi. Sed tamen potissimùm & eximiè Pontifici attributa est*

---

a Σημείωσαι, ὅτι καὶ ἁγιάσαι, καὶ τελειῶσαι τὸ μύρον οὐκ ἔστι πρεσβυτέρων, οὓς καὶ ἱερεῖς καλεῖ· ἀλλ' οὔτε θυσιαστήριον τελειῶσαι, ἵνα καὶ προσενέγκῃ ἐπ' αὐτοῦ, οὔτε μὴν χειροτονῆσαι· ταῦτα γὰρ μόνος ὁ ἱεράρχης ποιεῖ, ὧν ἐκτὸς ὁ πρεσβύτερος, οὔτε βαπτίσει, οὔτε προσοίσει, ἀλλ' εἰς τὰ προτελεσθέντα ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου ἱερουργήσει.

b Οὕτω δὲ χρὴ νοῆσαι τὰ προκείμενα, ὅτι, πάντα μὲν τὰ ἱερατικῶς τελούμενα, εἰς τὸν ἱεράρχην τὴν ἀναφορὰν ἔχει, ὡς αὐτοῦ διὰ τῶν αὐτοῦ ταγμάτων ταῦτα ἱερουργοῦντος, ὡς καὶ παρέχοντος δύναμιν τοῦ ταῦτα ἐνεργεῖν· ὅμως ἐν ἐξαιρέτῳ τῷ ἱεράρχῃ πρὸς αὐτουργίαν καὶ οὐ διὰ τῆς ἑτέρων ὑπουργίας ἀποκεκλήρωται ὁ τοῦ μύρου ἁγιασμός, καὶ ἡ τοῦ θυσιαστηρίου καθιέρωσις, καὶ ἡ τῶν ἱερατικῶν χειροτονία.

unguenti ſanctificatio, & Altaris conſecratio, & ſacratorum Clericorum ordinatio. Ut iſta per ſe ipſum faciat, non autem per aliorum miniſterium. Virtutis igitur illius Epiſcopalis duplex eſt effectus in ſacerdotales operationes, unus complectitur actiones, quas Epiſcopum per ſe ipſum facere oportet, alius eas, quas per alios facere poteſt, per Sacerdotes ſcilicet, in quas dupliciter influit; 1°quia per ordinationem, ut illas efficere poſſint, eis virtutem indidit. Secundò, quia actiones illas baptiſmum ſcilicet & ſacrificium etiam poſt ordinationem peragere non poſſunt; baptiſmum, niſi cum ſanctificato chriſmate; ſacrificium, niſi in altari conſecrato, quorum ſanctificatio & conſecratio ad Epiſcopum pertinent. Vides igitur tres tantum illas actiones Epiſcopis ſolis concedere, cæteras Presbyteris. Baptiſmum verò & Confirmationem ad Epiſcopum eximiè pertinere non ratione ablutionis & unctionis chriſmalis, ſed ratione ſanctificationis unguenti, quæ ad ſolam Epiſcopalem dignitatem ſpectat; ſicut ſacrificium ad Epiſcopum ſolum pertinet, non ratione actus ſacrificandi, ſed ratione Altaris conſecrati, cujus conſecratio ſimiliter ad dignitatem Epiſcopalem ſpectat. Denique vides quomodo non ſecùs ac ſanctus Dionyſius baptiſmo jungat ſemper unguentum propter rationes jam explicatas. Puto jam manifeſtiſſimè liquere ex ſancto Dionyſio & Maximo eorum ſæculis Presbyteros in Oriente Confirmationis Sacramentum miniſtrare ſolitos.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Eadem ſententia ex ſancto Chryſoſtomo, aliiſque ante ſchiſma ſcriptoribus probatur.

SANCTUS Chryſoſtomus Homilia 18.in Acta Apoſtolorum non inevidenter teſtatur Spiritûs Sancti donationem ſuo tempore, non quidem pertinuiſſe ad quoſlibet Presbyteros, ſed ad præcipuos, ſeu Presbyterorum Primores

five Cardinales. Hæc erat tùm Constantinopoli, & Antiochiæ aliisque celebrioribus urbibus, in quibus erat multitudo Presbyterorum, consuetudo, ut eorum principi & Cardinali administrandę Confirmationis honos deferretur. In Pagis verò ubi unicus erat Presbyter, quia ipse erat quodammodo Cardinalis & κορυφαῖος, illud Sacramentum administrabat.[a] *Quare, inquit, hi baptizati non acceperunt Spiritum Sanctum? vel quia Philippus hac in re Apostolos forsan honorans non dederat, vel quia ejus modi donum non habebat; erat enim è septem illis, quod potius est dicendum. Unde mihi videtur hic Philippus è septem fuisse, secundus à Stephano, qui vero Eunuchum baptizavit, ex Apostolis fuisse; ideo baptizans spiritum baptizatis non tradebat, nec enim istâ potestate praditus erat, nam hoc donum solorum erat Apostolorum.* Ex quibus manifestè mihi videtur constare sanctum Chrysostomum existimasse Presbyteros saltem hac potestate præditos fuisse, eâ tamen non usos propter honorem Apostolis, hoc est. Episcopis, debitum. Ideo enim ait Philippum hac Spiritûs Sancti tradendi autoritate usum non esse. Aliam ejusdem rei rationem reddit, quam priori præfert, sed & hæc eandem sententiam evidenter confirmat. Spiritum Sanctum non tradidit, quia facultatem non habebat. Quamobrem facultatem non habebat? quia erat Diaconus. Diaconis igitur superiores hac facultate donati sunt, & ideo in primâ ratione, quâ Philippum Presbyterũ supponebat, non dicit Spiritum Sanctum non tradidisse eo quod non posset, sed propter Apostolorum observantiam. Quod igitur infert. *Nam hoc donum solorum erat Apostolorum*, hoc intelligendum est respectu Diaconorum exclusivè, ut constat ex secundâ ratione evidenter; respectu verò Presbyterorum eminenter & principaliter, ut constat ex primâ ratione non minùs evidenter.

Confirmatur hoc posterius manifestè ex verbis sequentibus, *Considera verò*, *illi* (Apostoli) *non abierunt*, *œcono-*

a Καὶ διατί οὐκ ἦσαν οὗτοι λαβόντες πνεῦμα ἅγιον βαπτισθέντες; ἤτοι τῷ μὴ δεδωκέναι Φίλιππον τοῦτο τιμῶντος τάχα τοὺς ἀποστόλους. ἤτοι τῷ μὴ ἔχειν χάρισμα τοιοῦτον, τῶν ἑπτὰ γὰρ ἦν. ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐστὶν εἰπεῖν. ὅθεν μοι δοκεῖ οὗτος ὁ Φίλιππος τῶν ἑπτὰ εἶναι, ὁ [illegible] δεύτερος. διὸ καὶ βαπτίζων πνεῦμα τοῖς βαπτιζομένοις οὐκ ἐδίδου. οὐδὲ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν. τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν ἀποστόλων ἦν.

mice

mice dispositum est, ut illi abirent, qui gratiâ deficiebant, eo quod nondum Spiritum Sanctum acceperant. Nam virtutem acceperant signa faciendi, non autem Spiritum aliis donandi. Hoc erat Apostolis peculiare. Unde videre est præcipuos, non alios aliquos hoc facere. Si solis Episcopis hoc licitum fuisset suo tempore, non dixisset indefinitè, unde videre est τοὺς κορυφαίους, præcipuos, honorabiliores, sed τοὺς ἐπισκόπους Episcopos hoc facere. Si istius Sacramenti administratio erat τὸ τῶν ἐπισκόπων ἐξαίρετον, quare loco τοὺς κορυφαίους non substituit τοὺς ἐπισκόπους? quamobrem autem dixit κορυφαίους, non ἐπισκόπους, ratio est evidens. Cum enim illo tempore & multis postea sæculis vigiliis Paschatis & Pentecostes baptismata celebrarentur, baptizabant in urbibus Episcopi, & ubi non erant Episcopi πρωτοπρεσβύτεροι, πρωτοπαπᾶς, χωρεπίσκοποι quos in occidente diceres Archipresbyteros, Curiones seu Parochos, Chorepiscopos. Quos verò non baptizabant Episcopi atque isti κορυφαῖοι, nec enim præ multitudine omnes baptizare poterant, ad eos post baptismum, ut sacro chrismate ungerentur, remittebant alii Presbyteri. Deindè τὸ ἐξαίρετον non significat quod cum altero communicari non potest τὸ ἀκοινώνητον, sed eximium, selectum, τὸ περίβλεπτον, quod alicui eximiè, & κατ' ἐξοχὴν excellenter convenit.

Idem prætereà disertè nos docet Chrysostomus initio homiliæ 11. in 1. Epist. ad Timotheum: [b] *Postquam*, inquit, *disseruit*, S. Paulus, *de Episcopis, eosque suis notis & characteribus descripsit, dixitq; quæ eos habere oportet, quibus verò abstinere, Presbyterorum ordinem prætermittit, & ad Diaconos transiliit. Quamobrem verò? Eo quod medium, quod inter ipsos est & Episcopos, non admodum magnum est. Ipsi etc-*

a Σκόπει δέ· ἐκεῖνοι ἐκ ἐξῆσαν, φυλαττόμενοι τῦτο ἐξελθεῖν· ὅτι καὶ ὑστερεῖτο τῆς χάριτος διὰ τὸ μήπω λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον. δύναμιν μὲν γὰρ ἔλαβον ποιεῖν σημεῖα· οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις, ἄρα τῦτο ἦν τὸ τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον, ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους ὄντας ἄλλους τινὰς ἐστιν ἰδεῖν τῦτο ποιῦντας.

b Διαλεχθεὶς περὶ ἐπισκόπων καὶ χαρακτηρίσας αὐτούς, καὶ εἰπὼν τίνα μὲν ἔχειν, τίνων δὲ χρὴ ἀπέχεσθαι, πρεσβυτέρων τάγμα ἀφεὶς εἰς τοὺς διακόνους μεταπηδᾷ. Τί δήποτε; ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον (αὐτῶν καὶ τῶν ἐπισκόπων) καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόζει. τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ αὐτῶν ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

nim & docendi autoritatem acceperunt & Ecclesiæ præfecturam. Ideò quæ de Episcopis dixit, eadem Presbyteris convenienter applicat. Nam solâ ordinatione antecellunt Presbyteros, & hoc solo videntur eos superare. Num potuisset S. Chrysostomus ità clarè & præcisè loqui tantâque cum exaggeratione, si in Oriente Confirmationis Sacramentum soli Episcopi administrare soliti fuissent?

Objiciet quis, certum est apud Græcos multa alia posse Episcopum quæ non potest Presbyter, verbigratia, sacri unguenti confectionem, & Altaris consecrationem. Quomodo igitur tàm universaliter loquitur sanctus Chrysostomus? Respondeo, alia esse, quæ quis non potest, alia quæ quis non debet: alia esse, quæ alicui denegari non possunt, quia frustrà delegarentur; alia quæ delegari possunt. Nonnulla sunt, quæ Presbyter non debet, licet possit, ut baptizare, prædicare, sacrificare, præsente Episcopo: multa quæ non debet, nec potest, ut sacrum unguentum conficere, Ecclesias consecrare, confirmare; sed ista omnia possunt ei delegari: Verùm Episcopo reservata sunt propter dignitatis apicem, & unitatem conservandam; sed ordinatio Presbyteri saltem & Episcopi Presbytero delegari non potest, frustràque delegaretur, cum eò non possit attingere Presbyteralis ordo. Cætera omnia aut sine delegatione validè conficit, aut cum delegatione. Ideò sanctus Chrysostomus, & eodem tempore S. Hieronymus dixerunt solâ ordinatione Episcopalem potestatem antecellere Presbyteralem. Hanc enim si excipias, nihil prorsùs est in Religione Christianâ quod cum Presbytero communicari non possit.

Verùm ulterius progreditur Oecumenius, nam docet etiamsi Philippus ille fuerit Diaconus, potuisse tamen Spiritum sanctum tradere. Primùm igitur docet cum sancto Chrysostomo Philippum, quia Diaconus erat, Spiritûs sancti dandi autoritatem non habuisse, eo quod hoc erat Apostolis reservatum. Deindè subjicit, [a] *Præterea Philippus in eos, qui à*

---

a Ἄλλως τε δὲ οὐ κατήγαγε τὸ πνεῦμα ὁ Φίλιππος ἐπὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ βαπτισθέντας, ἵνα τιμῶν τοὺς ἀποστόλους. οὐ γὰρ ὡς εὐτελὴς καὶ ἀνάξιος, ὁπότε καὶ αὐτὸς ἀεὶ ἐργάζετο σημεῖα πεποιηκὼς ἐν ἰάσει νόσων, καὶ ἐκβολαῖς δαιμόνων, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἠξίωτο τούτου αὐτοῖς ὑπάρξαι, ὡς ἀκμὴν μὴ ἴσον ἐπιτηδείους πρὸς τὴν τοῦ πνεύματος ὑποδοχήν.

se baptizati erant, spiritum illabi non fecit, honorans videlicet Apostolos. Neque tanquam abjectus & indignus (quando etiam de ipso proditum est, quod signa ediderit in sanitatibus morborum, ejectionibusque dæmonum) sed quod non oraverit, ut hoc illis contingeret, nondum videlicet aptis ad spiritûs susceptionem. Itaquè nihil absurdi conjicit, si eadem potestas Philippo Diacono concessa credatur; imò hoc supposito, duas rationes reddit quibus moveri potuit, ne à se baptizatis Spiritum sanctum traderet. Huic autem Spiritûs sancti per manuum impositionem traditioni, ut omnes concedunt, successit ea, quæ cum Chrismatis unctione tàm apud Orientales, quam Occidentales celebratur.

CAPUT VIGESIMUM.

Ex Photio Patriarchâ C. P. colligitur ejus tempore Presbyteris Confirmationem conferendi facultatem esse permissam. Idem etiam ex Nicolao PP. I. adversus Photium scribente eruitur.

PHOTII Patriarchæ tempore hanc fuisse Græcorum consuetudinem usitatissimam ex ipsius Encyclica ad Orientales Patriarchas evidenter colligitur. Hanc epistolam refert Cardinalis Baronius ad annum 863. Sic ille invehitur in Latinos, qui Bulgaros à Græcis Presbyteris chrismatos, iterum sacro unguento confirmaverant.[a] *Quin etiam illos, qui à Presbyteris chrismate uncti fuerant, iterùm chrismare ipsi non horruerunt, Episcopos se ipsos jactitantes, & Presbyterorum chrisma inutile & frustrà ab illis administrari portentosè docentes. Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt? Illos videli-*

a Ἀνάγκη δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ πρεσβυτέρων μύρῳ χρισθέντας, ἀναμυρίζειν αὐτοὶ οὐ πεφρίκασιν ἐπισκόπους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων χρίσμα ἄχρηστον εἶναι, καὶ εἰς μάτην ἐπιτελεῖσθαι τερατευόμενοι. [illegible] δὲ τοιαύτην ἀκοῇ παρειλήφει ἄνοιαν, ἣν κατετόλμησαν οἱ παράφρονες οὗτοι ἐξυβρίσαι; τοὺς ἅπαξ μύρῳ χρισθέντας ἀναχρίσαι.

cet, qui semel tincti sunt chrismate, iterum chrismantes. Est enim omnino improbabile, Photium primùm Presbyteralem Chrismationem instituisse. Non enim tantopere eâ de causâ adversus Latinos debacchari ausus fuisset, præsertim ad Orientis scribens Patriarchas. Aut enim Patriarchæ illi chrismationem Presbyteris, ut Græci, indulgebant, aut more Latinorum prohibebant. Si prius, nihil absurdi scribit Photius, cum de Chrismatione istâ repetitâ apud eos conqueritur, imò pro causâ suâ provehendâ appositè, cum Patriarcharum illorum chrismationem illam non repeti plurimùm interesset, eandemque cum Photio querelæ occasionem haberent. Si posterius, oportuit sane stultum esse Photium & mente captum, qui ita in Latinos apud istos Patriarchas invehatur, qui Græcorum morem non secus ac Latini improbabant. Itaque prius verum esse oportet, Photium huic actioni initium non dedisse, sed Majorum vestigia secutū Presbyteris chrismationem indulsisse, aliosque Patriarchas eundem morem imitatos esse, aut saltem imitantes amplexos esse, hanc consuetudinem τῶν ἀδιαφόρων existimantes.

Deinde nonnulla etiam in Latinorū consuetudinibus non minus acriter reprehendit, ut jejunium sabbati, & Presbyterorum cœlibatum, sed consuetudines illæ apud Græcos & Orientales multis sæculis ante Photium observabantur. Itaque temeraria illa & impudens Photii insectatio argumentum non est innovationis ab eo factæ; imò certissimum argumentum ritûs antiqui, cujus antiquitate fretus, in ritus dissimiles velut innovatos canonibus & consuetudinibus Ecclesiasticis contrarios audacter invehitur. Præterea in Photii dejectione, quæ postea facta est, nulla unquam mentio aut querela innovationis istius, si modò innovatio dicenda est, licet ab ipso chrismatos Bulgaros iterum chrismarint Legati Pontificis, quod signum est manifestum aliâ de causâ Latinos chrismationem illam repetiisse. Causæ autem repetendæ illius Chrismationis erant multiplices, prima, omnes Photii partis asseclæ suspensi erant ab omni Presbyterali munere; Deinde Photio non communicavit unquam Nicolaus Pontifex, nisi ut cum Laico, etiam ante ipsius dejectionem, atque de ipso Photio & consequenter de omnibus ab ipso ordina-

tis dubitabatur, an ordines essent consecuti. Tertiò rechrismatio illa apud Bulgaros tantum facta est, quos Latini ad Græcorum Diœcesim pertinere negabant, unde Latinis constabat chrismationem illam extra Diœcesim factam esse. Denique ex suspensione Photii ante exautorationem, & multò magis ex exautoratione colligebant iidem Latini chrismatis Photiani benedictionem esse prorsùs irritam, & consequenter chrismationem ex eo factam nullam esse, & repetendam, quum apud utrosque Latinos & Græcos admittatur non nisi ab Episcopo, eoque non suspenso aut excōmunicato chrisma benedici posse. Solent autem Græci omnes, nescio quâ reverentiâ ergà Patriarcham ducti, non ab Episcopis suis, licet id possint, sed à Patriarcha sacrum unguentum petere. Has rechrismationis, ut ità loquar, veras causas silentio præterit Photius, eo quod nec ipsi faverent, nec ei Latinis insultandi, eosque apud Orientis Patriarchas calumniandi occasionem & campum præberent, eamque arripit arrodendam, quæ illius nullo modo causa erat; specioso tamen prætextu eam arripuit, eo quod in se vera sit, apud Latinos scilicet solos Episcopos in fronte chrismare; sed hac causâ moti Pontificis legati Bulgaros non iterùm chrismarunt.

Chrismationis repetitæ causam eam non esse ex multis aliis constat, quæ simul probant chrismationis à Presbyteris fieri solitæ, consuetudinem apud Græcos & Orientales longè ante illa tempora fuisse usitatissimam. Nam si ideo rechrismati sunt Bulgari, quod à Presbyteris chrismati erant, ergo cæteros Græcos & Orientales rechrismari oportuit, quod, nunquam legitur factum, ne quidem in quæstionem vocatum. Alia igitur fuit istius rechrismationis causa. Consideretur deinde, quid de hac rechrismatione habeatur in actis Synodi octavæ post actionem decimam ex Epistolâ Metrophanis Metropolitæ ad Manuelem Patricium & Dromilogothetam, *Cum intellexisset* (Photius) *Legatos Pontificis Romani in Bulgariam missos confirmationem ejus reprobasse, omnesque Bulgariæ Principes & subjectos chrismate iterum inunxisse, tum verò ut æstro percitus œcumenicam Synodum confinxit. Cui confictæ Synodo qui tum imperitabant Michaëlem & Basilium nostrum Præsides induxit, Orientis etiam trium Patriarcharum Vicarios, ac totum*

vel calumniatur, quæ in ipsius Encyclica, & Nicolai Epistola leguntur. Verùm in istud postremum præcipuè invehitur, eo quod ex eo colligebat & non falso, Nicolaum Pontificem nolle eum Patriarcham agnoscere, atque ideo reformidabat, id quod postea contigit, ne ab eo Patriarchatu abdicaretur. His igitur simul cumulatis, nonnullis veris, sed malignè interpretatis, aliis prorsus confictis universum Orientem in Nicolaum concitare satagit. Sane accusare non fuisset ausus Latinos apud Episcopos suos, nedum apud alios Patriarchas, quod Episcopi tantum confirmarent, si Latinum morem omnes illi observassent: nec fuisset viro vaferrimo ratio apposita Episcopos & Patriarchas in Latinos commovendi, imò appositissima, ut ipsos insc commoveret. Id fit à simili clarissimum. Latinos accusat apud eos, quod sacerdotes non admittant uxoribus utentes, & ideo calumniatur; accusat pariter, quod jejunent sabbatis. Procul dubio argumentum certissimum & Ecclesiam suam, & istorum Patriarcharum & Episcoporum Ecclesias sabbatis non jejunare, & Sacerdotes admittere conjugatos. Simili modo accusat Latinos apud eosdem, quod soli Episcopi confirment, & calumniatur quod Presbyteros in Orientalium Diœcesibus confirmantes reprehendant. Sanè invictum est argumentum tum temporis ex usitatissimâ Ecclesiarum istarum consuetudine Presbyteros confirmare solitos.

Sed Nicolaum de Græcis & Photio apud Francorum Episcopos conquerentem audiamus: *Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, & insimulare tentant, quoniam eosdem Presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes prohibemus, &c.* Notandum primo *dicunt*, pluraliter dictum, quo demonstratur non Photium solum hæc dicere, sed & plures alios, quod initio epistolæ suæ refert Nicolaus: *Verumtamen inter alia quæ nos immensis laboribus inferunt illa nos præcipuè commovere videntur, quæ nobis, imò universæ occiduæ parti à Græcorum imperatoribus Michaële & Basilio, & ab iis, qui sibi parent, nequiter ingeruntur.* Presbyteralis chrismatio, Sacerdotum matrimonia &c. non erant Photii inventa, sed consuetudines Orientalibus usitatæ, verùm ideò in Latinos debacchari & fure-

re, Photii propter causas dictas fuit intentum. Deindè maximè notandum Nicolaum conqueri quod Græci Latinorum Sacerdotum cœlibatum, & solorum Episcoporum chrismationem calumnientur. Sed Græcos Presbyteros non condemnat, quod uxoribus ante ordines ductis cohabitent, aut chrismate baptizatos ungant, aut alios suos antiquos ritus observent, quod procul dubio fecisset, si illorum autor Photius, ipsi tam exosus, habitus fuisset. Nec Nicolaus tantum eos ea de causa non reprehendit, sed nec alii Pontifices, ut ex Epistola Leonis IX. constat, imò Leo IX. in Græcos invehitur quod Latinos apud eos habitantes suis moribus vivere non patiantur, cum Latini apud se id eos facere permittant, semperque, ut ait Leo IX. id eos facere permiserint. At certe multò magis id Græcos in propriis Diœcesibus facere, æqui bonique consuluerunt.

His denique accedit quod Photius anno uno aut altero ante epistolam illam Encyclicam, hoc est, paulò post intrusionem suam in sedem Patriarchalem & Ignatii expulsionem, epistolam scripsit ad Nicolaum Pontficem elegantissimam, quâ inter cætera varias Ecclesiæ Romanæ & Græcæ consuetudines mutuæ charitati & communioni officere non debere pluribus asserit, simulque observantiam suam ergà Nicolaum & Sedem Apostolicam testatam esse peroprare videtur. Hanc refert Baronius ad annum 861. Procul dubio postquàm rescivit intrusionem suam Nicolao displicere, non jussit derepente per universum suum Patriarchatum Presbyteros chrismare, quod non erant anteà facere soliti, ut à Nicolao dissentiendi captaret occasionem; nec sesqui anni ad summum spatio post acceptum responsum Presbyteris chrismantibus replere potuit Patriarchatum suum, & Encyclicam ad Orientis Patriarchas rescribere, quâ Latinos, non modò id non facientes, verum etiam reprehendentes redarguat. Asserere aut etiam cogitare Photium tam brevi spatio hoc fecisse planè & evidenter est absurdum & ridiculũ. Verùm quod ex istà consuetudine antiquitùs apud Orientales receptâ calumniandi captaverit occasionem, ut ex aliis similibus id fecit, nihil est probabilius & acceptius. Prætereo quod concesso hoc, non esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, introducendo hunc morem, ut annum unum

aut

aut alterum post introductionis initium in Latinos inveheretur contrarium observantes, se ipsum esset apud alios Patriarchas, atque etiam Episcopos suos ridiculum exhibere. Quid tam acriter inveheretur in morem, quem & ipse & Græci Orientalesque omnes unum aut alterum annum anteà studiosè observabant?

Iterùm igitur concludamus evidentissimum esse ex iis, quæ à Photio contrà morem Latinorum, & iis, quæ à Nicolao Pontifice dictaque tunc & facta sunt, longè antè Photii tempora Presbyteros in Græciâ Asiâque confirmare solitos, & consequenter longè antè schismatis semina hunc confirmandi morem apud eos invaluisse. Quod etiam evidenter suadetur ex consuetudine ab omni ævo apud Orientales observatâ semel tantùm chrismandi. Constat apud utrosque Latinos & Græcos Confirmationis Sacramentum esse efficacissimum, eo dari Spiritum sanctum, & perfici christianum. Ideò cum per pagos & oppida multiplicarentur Christiani, nollentque Pontifices istius Sacramenti administrationem Presbyteris committere, iis in vertice chrismare propter periculum transitus mortis permiserunt, ut explicatum est. Quid? si Orientales Ecclesiæ eamdem administrationem non permisissent Presbyteris, nunquid non sicut Latini chrismationem alteram instituissent, ne tot infantes & adulti, qui Episcopos adire non possunt, omni remedio Confirmationis vicario privati morerentur? At nunquam hoc aut simile remedium instituerunt. Ergò post multiplicatam per oppida pagosque Ecclesiam nunquam non apud eos Presbyteri confirmarunt.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Alia Græcorum scriptorum testimonia pro eâdem sententiâ adducuntur. Ægypti Alexandrinæque Ecclesiæ eandem fuisse consuetudinem. Concilii Florentini eique suppa-rium scriptorum autoritas adjicitur.

ANTIQUUM illud Euchologium Barberinum, cujus character videtur omninò Photii sæculū præcessisse, Presbyterum inducit baptizantem & confirmantem. Cryptæ verò ferratæ, quod sæculo uno saltem, aut etiam altero posterius, exhibet Patriarcham & baptizantem & confirmantem, Presbyteros verò munia inferiora obeuntes. Ratio istius posterioris est, quod Euchologium illud sit Patriarchale, repræsentētque Patriarcham officio fungentem. Ad Patriarchas autem & supremas dignitates, cum præsentes sunt, principalium officiorum executio spectat, sed potissimum confirmatio, quæ baptismum perficit. Ideò in Euchologio, quod est in Vaticano, legitur Presbyter baptizare, & Episcopus chrismare, ut in Ritualibus latinis. Horum Euchologiorum textum suprà integrum retulimus, nec est necesse repetere. Constat igitur ex antiquissimo illo Euchologio ante annos octingentos consuetum fuisse & ordinarium Presbyteris Græcis post baptismum Confirmationis Sacramentum administrare.

Georgius Pachimeres hanc esse Græcorum consuetudinem similiter testatur prima parte paraphrasis in c. 5. Ecclesiast. Hierarchiæ. [a] *Posteà veluti aliquo objiciente, quo modo per Presbyteros baptisma perficitur? Respondet, illud perfectè non operatur Presbyter: Opus enim erit Pontifice, qui baptizatum chrismate ungat, hæc enim erat antiqua consuetudo.* Quin infert post baptismum à Presbytero datum recursum fuisse ad Pontificem pro chrismatio-

[a] Εἶτα ὥσπερ τινὸς ἀνθυποφέροντος ὅτι καὶ πῶς βάπτισμα διὰ τῶν ἱερέων τελεῖται, φησὶν ὅτι οὐδὲ τοῦτο τελείως ἐνεργεῖ ὁ πρεσβύτερος. χρεία γὰρ τοῦ ἀρχιερέως ἔσται, ὡς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα. αὕτη γὰρ ἦν ἡ ἀρχαία συνήθεια.

ne juxtà antiquam consuetudinē, clarum est suo tempore aliā consuetudinē invaluisse. Deindè cū dicit in textûs Dionysii explicatione, hoc fieri juxtà antiquā consuetudinem, antiquitatem illam à Dionysii sæculo repetit, quem Apostolis & eorum successoribus coætaneum credebat. Itàque illo tempore hoc fuisse observatum docet, posteà verò utrumque præstare soliti sunt Presbyteri. Quo vero tempore præcisè mos ille cœperit, non dicit, & dictu difficile est.

Gabriel Philadelphiæ Metropolita Græcorum doctrinam & consuetudinem paucis explicat in tractatu de Sacramentis: Quærit, quibusnam propriè confirmare conveniat? Respondet [b], *Licet hoc in Synodorum canonibus determinate non potuerim invenire, mihi tamen videtur hoc esse jure Episcopis primùm & præcipuè tributum, quibus solis licet illud conficere secundum sextum Carthaginensis Concilii canonem; Orientalis autem Ecclesia non solum concedit Episcopis, sed etiam per ipsos Presbyteris sine ullo delectu statim post baptismatis mysterium peractum ungere. Hoc ut opinor, concessit, ne quis baptizatorum repente & immaturè, ut nonnunquam contingere solet, moriens ejusmodi gratiâ privetur.* Verè ait, hoc in Synodorum Canonibus non reperiri, si Græcas Synodos intelligas. Nam de hac re in Synodo Florentina, si quid definitum est, mos Græcus approbatus est, saltem quæstione de eo motâ non est improbatus, ut paulo post dicetur. Quando autem mos ille apud eos cœpit deficientibus antiquorum monumentis dici non potest. Testimoniis hactenus enarratis jungenda sunt Euchologia edita, quæ Presbyterum nobis exhibent, confirmationis seu unguenti Sacramentum administrantē non secus ac baptismum, quæ cum in manibus multorum versentur, jamque textus relatus & enarratus sit, de iis plura dicere supersedemus.

Hæc de Græcis sive iis Ecclesiis, quæ Patriarchæ Constantinopolitani autoritate re-

b Εἰ καὶ μὴ τοῦτο παρὰ τοῖς κανόσι τῶν συνόδων ἐκ διαρρήδην εὑρεῖν ἠδυνήθημεν, ὅμως δοκεῖ μοι εἰκότως τοῖς ἀρχιερεῦσι δεδόσθαι πρῶτον καὶ κυρίως τοῦτο, οἷς καὶ μόνοις ἔξεστι κατασκευάζειν αὐτό, κατὰ τὸν ϛʹ ἐν Καρθαγένῃ ἁγίας συνόδου. ἡ δὲ ἀνατολικὴ ἐκκλησία οὐ μόνον τοῖς ἀρχιερεῦσιν, ἀλλὰ δι' αὐτῶν καὶ τοῖς ἱερεῦσι συγκατανεύει χρίειν ἀπροσκλίτως μετὰ τὸ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος εὐθὺ τελετὴν τοῦτο μύρον συγχωροῦσα ἵνα μή τις τῶν βαπτιζομένων ἀποθάνῃ, ὁ τοιαύτης χάριτος ὑστερούμενος ἐξαπίνης καὶ ἀωρί, ὡς εἰκὸς συμβαίνει, ἐξ αὐτῆς γενόμενος.

guntur: de aliis quantum monumentorum, quæ ex iis habemus, paucitas patitur, breviter agamus. Apud Ægyptios & Alexandrinos absentibus Episcopis confirmasse Presbyteros ex antiquissimis constat autoribus. Autor Cõmentariorũ in Epi. ad Ephesios, qui vulgò tribuuntur S. Ambrosio, quorum autorem nonnulli faciunt Hilarium quemdam Diaconum, hoc testatur in cap. 4. *Denique*, inquit, *apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus*. Similiter autor quæstionum novi ac veteris testamenti, qui, ut ex quæstionibus illis colligitur, antiquior erat S. Augustino, idem scribit de Ægyptiis & Alexandrinis q. 101. *Nam in Alexandriâ & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter*. His consentiunt ritus baptismi & confirmationis Æthiopum, qui Alexandrino Patriarchatui subsunt, & iidem ritus à Severo syrè descripti, & consequenter Antiochenorum & Syrorum, qui habentur translati Latinè in Bibliothecâ Patrum. In utrisque enim ritibus ut Sacerdos baptismum, sic & confirmationem administrat, baptizatosque & confirmatos corpore & sanguine Christi pascit.

Deniquè, ut tandem testimoniis finem imponamus, Concilii Florentini autoritatem promamus. In fine Concilii refertur Latinos undecim quæstiones à Græcis petiisse, inter quas hæc fuit, [c] *Quare Episcopi non inungunt sacro chrismate, sed sacerdotes, cum hoc sit Episcopis datum?* Hoc non est ità intelligendum, quasi Episcopi apud Græcos non possint confirmare; verba enim postrema & praxis disertè repugnant: sed quod hoc ordinariè non faciant, sicut nec Episcopi nostri ordinariè baptizant, ut plurimùm enim & ferè semper id faciunt Presbyteri, posteà subjicitur: [d] *Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis canonicè omnia, legitimèque dissolvit, præter quam duo, de quibus Papa significavit Imperatori*. Quænam illa? Num de Confirmatione

c Καὶ διὰ τί οὐ χρίζουσιν οἱ ἀρχιερεῖς τὸ μύρον, ἀλλ' οἱ ἱερεῖς; καὶ γὰρ τοῖς ἀρχιερεῦσι δέδοται τοῦτο.

d Ταῦτα τῶν λατίνων προτεινομένων, ὁ μιτυλήνης κανονικώτατα καὶ νομίμως ταῦτα πάντα ἔλυσε, πλὴν δύο τινῶν, ἅπερ ἐμήνυσεν ὁ πάπας τῷ βασιλεῖ· τὸ τὲ χωρίσαι τῶν ἀνδρογύνων καὶ τὴν χειροτονίαν τοῦ πατριάρχου ἀπεπλανήσαν τῶν λατίνων ὅτι οὐ δύναται νόμος ἀθετεῖσθαι τῇ κυριακῇ τῇ λεγούσῃ· ὃς ὁ θεὸς ἔζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω, καὶ ὅτι ἀδελφὸς οὐ χρὴ ἀπελθεῖν τῶν ὧδε.

questio? minime Gentium. Hæc sunt, *Cur scilicet matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur; Latinis contradicentibus, legem nihil valere adversus Domini vocem: Quos Deus conjunxit, homo non separet, & non esse conveniens hinc abire absque capite &c.* De his duobus capitibus postea actum est cum Imperatore & Metropolitis. Vides igitur, Lector, Græcos legitimè canonicèque de hac quæstione Pontifici & Latinis satisfecisse, atque ideo nullam amplius de eâ litem fuisse motam. Rationes non enarrantur, quibus freti Latinis Græci satisfecerunt, sed satis nobis esse debet post Græcorum Apologiam & defensioně Pontificem Latinosque Episcopos & Doctores nihil, quod improbarent, deprehendisse. Eo clarior autem & firmior est istius ritûs approbatio, quo magis apparet rem diù multumque ventilatam. Apparet hoc ex duabus quæstionibus, de undecim, quas non nisi magnâ cum difficultate, longâque & maturâ cum consideratione, ut ex sequentibus apparet, tandě concessit. Exceptio enim, ut aiunt Jurisconsulti, firmat regulam.

Confirmatur hoc autoritate viri Græci, quæ nobis Catholicisque debet esse Maxima. Is est Gregorius Hieromonachus, Protosyncellus, qui fuit Imperatori Joanni Palæologo à confessionibus, & in Florentino Concilio vicarius erat Alexandrini Patriarchæ, quique post illud Concilium creatus est Patriarcha Constantinopolitanus. Hic semper adhæsit concordiæ in Concilio factæ, eamque quantum potuit peruniversum Orientem fovit & tutatus est, mortuusque tandem est Romæ, atque ibi miraculis claruit. Insignis ille vir & celeberrimus multa scripsit adversus Græcos Schismaticos atque inter alia sermonem longum adversus Epistolam Encyclicam Marci Ephesini Metropolitæ Schismaticorum capitosissimi & impudentissimi, qui habetur post Concilii finem Latinè & Græcè in postremis editionibus. Colligebat Marcus ex Balsamone Latinos, antequam cum Græcis communicent, esse iterum ungendos, & consequenter habendos hæreticos. Respondet ille, id ex uno Balsamone colligi, canonemque à Balsamone allatum de Latinis nullam mentionem facere. [c] *Certè si Alexandrinus*, obiicit Gregorius ille, *post tot exacta tempora, jam enim anni trecenti abierant*,

ignorabat quomodo recipiendi erant Latini, perspicuum est illos non fuisse hæreticos à multis Patribus judicatos. nota enim fuissent procul ubio Alexandrinis & reliquis Ecclesiis judicium & Sententia, quâ damnati essent Latini. Iniquus admodum fuit Latinis Balsamon, sed Græcorum Episcopi hanc iniquitatem non modo non sunt imitati, sed in eam graviter invecti, ut legere est in jure Orientali p. 322. 323. &c. Idem fecerunt quoque Græcis nonnulli Latini, ut Gregorius ille Protosyncellus notat.

Sed quod nam fuerit hac de re Gregorii istius & totius Concilii de Latinis istis Iudicium, audiamus. Illud enim est, quod hic potissimùm attendimus. Persequitur Gregorius, [f] *Verùm Latini etiam nostros consignabant, & chrismatos appellabant. Sed hæc non fuisse ex æquo & bono facta constat ex eo quod in nostrâ unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent. Sed cum essemus Orthodoxi, habiti sumus ab Orthodoxis Orthodoxi.* Constat igitur & autoritate Concilii hujus universalis, & tanti viri de Cōcilii Sententiâ testimoniū perhibentis, Presbyteros Græcos, atque etiam Antiochenos, Jerosolymitanos & Alexandrinos, (aderant enim Concilio eorum legati & ipse, de quo sermo, Alexandrini Patriarchæ in Concilio cum heracleēsi Metropolita vicarius erat), validè confirmare: & autoritatem confirmandi Presbyteris Orientalibus ab antiquo datā, si non disertè approbatam, saltem à Concilio benè cognitam, & sedulò ventilatam nunquam esse ab eo improbatam.

e Εἰ ἦν ὁ Ἀλεξανδρείας μετὰ τοσοῦτον χρόνον παρέπεμψεν, τετρακόσια γὰρ χρόνια παρῆλθον, καὶ οὐδὲ περὶ τοῦ ὅπως δεῖ τοὺς ἀπὸ Λατίνων προσερχομένους προσδέχεσθαι, πρόδηλον ὡς οὐκ αἱρετικοὶ ὑπὸ πολλῶν πατέρων ἐκρίθησαν. πάλαι γὰρ καὶ ὁ Ἀλεξανδρείας καὶ αἱ λοιπαὶ ἐκκλησίαι ἔγνωσαν ἂν τὴν κατὰ Λατίνων κρίσιν τε καὶ καταδίκην.

f Ἀλλὰ καὶ Λατῖνοι τοὺς ἡμετέρους ἔχρισαν κεχρισματισμένους ὠνόμαζον. ὅτι δὲ οὐ κατὰ δίκην ἐν λόγῳ ταῦτα ἐγίνοντο, δῆλον ὅτι ἐν τῇ ἑνώσει ἡμῶν οὐδένα λόγον εἶχον εἰπεῖν καθ' ἡμῶν, ἀλλ' ὀρθόδοξοι ὄντες παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ὀρθόδοξοι ἐνομίσθημεν.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Solvuntur objectiones, quæ ex Innocentii III. Innocentii IV. & Clementis VIII. Constitutionibus adversùs sententiam superiùs expositam eliciuntur.

IIS, quæ hactenus conclusa demonstrataque sunt, trium Pontificum Constitutiones opponi possunt. Prima est Innocentii.III.Extra.de consuetudine, c. Quanto. Secunda est Innocentii IV. in Epistola ad Episcopum Tusculanum in Regno Cypri Legatum Apostolicum, quæ inter hujus Pontificis Epistolas legitur, & in Bullarium relata est tomo primo. Tertia estClementis VIII.Quæ habetur tomo 3. Bullarii, Bulla 34. Innocentius III. Confirmationem à Presbyteris Constantinopoli traditam, irritam videtur pronuntiare. Innocentius IV. ne sic in posterum tradatur, tantùm prohibet, de illius validitate aut invaliditate nihil pronuntians. Clemens VIII.in illâ instructione de ritibus quibusdamGræcorum idem non modo prohibet, sed etiam ab eorum Euchologio in ordine baptismi vult ea verba tolli, quibus statim post Baptismum conferunt confirmationem. Præterea jubet Episcopos Latinos à Græcis Presbyteris baptizatos, & chrismate in fronte consignatos, sub conditione confirmare; similiter vult Episcopum Latinum, cum Græcum aliquem ordinare cupit à Presbytero Græco chrismate consignatum, ut priùs cum conditione confirmetur.

Sed multa sunt, quæ constitutionum istarum vires debilitent. Primùm, esto, Pontifices illi hoc Græcis Presbyteris prohibuerint. Quàm multa Pontifices prohibuerunt, quæ tamen usu contrario abrogata sunt. Prohibuerunt, esto; sed à Græcis lex minimè recepta fuit. Peccarunt quidem qui primi restiterunt, sed eorum posteri juxtà Jurisconsultorum & Canonistarum responsa, & à lege & à peccato liberi sunt. Eadem hic lector dicta existima, quæ à juris prudentibus de legis abrogatione, receptione & obligatione dici

consueverunt. Si ab Ecclesiâ aut etiam à Theologiâ definiretur Sacramenti istius administrationem Presbyteris nullâ ratione concedi posse, nullâ quoque consuetudine aut privilegii famâ in Presbyteros transferri posset. Sed cum certum sit Pontificis summi aut Conciliorum indulgentiâ Presbyteris administrationem istam credi posse, quidni consuetudine, aliisque juris remediis præscribetur? Scribit Innocentius in Epistolâ, quæ opponitur, eo quod Græcorum non nulli reverenter ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertuntur, *licet & expedit ut mores ac ritus eorum quantum cum Deo possumus tolerantes ipsos in Ecclesia Romana obedientia præservemus* Sed in hac re potest Pontifex secundum Deum declarare hunc ritum, & cum Græcis dispensare, ut omnes fatentur. Licet ergò hoc & expedit, ut ad Ecclesiæ sinum omni obice remoto læti revertantur.

Verùm his similibusque rationibus omissis, quæ objectionem istam nullius esse momenti manifestè probant, unamquamque constitutionem sigillatim examinemus. Innocentii IV. Bulla seù epistola specialis est & spectat solum ad Episcopos Insulæ Cypri, ut ex toto illius contextu manifestum est, §. 1. *Sane inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosiensem, & ejus suffraganeos Latinos ex parte unâ & Episcopos Regni Cypri ex parte altera, &c.* Tum toti Insulæ dominabantur Reguli Francici ex illustrissimâ Lusignanæâ familiâ oriundi. In hâc igitur Insulâ cum Episcopos Græcos inter & Latinos graves contentiones de ritibus uniuscujusque nationis ortæ essent, inter cætera, quæ partim prohibet, partim permittit, ne Latini Græcis molesti sint, prohibet Innocentius Presbyteros Græcos confirmare. Intelligendum juxtà paragraphum primum & quæstionem propositam, Presbyteros Græcos Regni Cypri, sic etiam concluditur in fine epistolæ. *Fraternitatem itàque tuam hortamur attentè per apostolica tibi scripta mandantes, quatenùs permissa omnia Episcopis Græcis præfati regni seriatim & diligenter exponi facias, &c* Itàque privatæ sunt constitutiones ad sedandas privatas illius regni contentiones latæ, quæ nunquam obligarunt alios Græcos extrà regnum Cypri degentes, licet similiter essent sub Latinorum Principum ditione constituti, multò minùs

minùs cæteros Græcos à Latinorum jugo liberos; non secùs ac nunc videmus multas Bullas Pontificias ad certos populos directas, quæ alios nullo modo ligant: concordata quoque nationis unius cum Sede Apostolicâ, quæ nihil ad alias nationes christianas spectant.

Multæ quoque rationes peculiares, temporique huic & nationi accommodatæ Pontificem movere potuerunt ad hanc prohibitionem ferendam, præter eam quam ex naturâ rei affert, Apostolos scilicet solos manus imposuisse ad Spiritus sancti donationem, verbi gratia, istæ, ne hæc dissimilitudo & varietas in eâdem regione conspiceretur, nevè existimarent Laici Græcorum Presbyteros Latinis esse superiores, majorique potestate præditos; hincque fieret, ut Laici Latini, confitendi alteriusque rei causâ, Græcos Presbyteros potiùs quàm Latinos adirent, Græcique Laici eâdem de causâ ab aditu Latinorum Presbyterorum deterrerentur. Prohibuit igitur Innocentius in Insulâ Cypri propter has causas & alias speciales, ne Presbyteri Græci confirmarent, sed soli Episcopi. Prohibuit tantùm, sed quominùs factum haberetur ratum, non edixit. Pontificis hæc sunt verba. *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi.* Et in fine epistolæ verba ad Legatum Cypri dirigens, *districtè ipsis injungens, ut ea solicitè attendere, studiosè tenere ac efficaciter observare procurent, & à suis faciant subditis observari.* Inane & irritum, si aliter fiat, aut quid simile, non pronuntiat. Itaque potestatis ab Episcopis Græcis tradi solitæ Presbyteris suis simplex est revocatio, quæ Græcorum dogmati non repugnat, cum potestatem illam Presbyteris ab Episcopis traditam affirment, à summo igitur Pontifice justis de causis revocabilem; sed nulla est consequentiæ necessitas; in regno Cypri justis de causis facta est illa revocatio, atque id sine invaliditatis interminatione, ergò nullibi jus habent confirmandi Græci Presbyteri. Facilior est adhuc illa resolutio quantum spectat ad Clementis VIII. instructionem. Respicit enim tantum Græcos non modo Latinis Principibus subjectos, sed etiam Latinis Episcopis. Itàque hoc illis meritò prohibet Pontifex, nec tantum Pontifex, sed quilibet

Episcopus Latinus in Diœcesi suâ id potuit, atquè etiam juxtà Græcorum doctrinam, cum invitis Episcopis Presbyteri chrismare non debeant. Meritò quoque sub conditione reiterandam confirmationem jussit Pontifex; nam Presbyteri virtute ordinationis confirmandi autoritatem non consequuntur, necesse est ut illis saltem ab Episcopo concedatur. Sed Græcis Presbyteris apud Latinos degentibus hanc autoritatem non concedunt Episcopi Latini, nec etiam concedere possent. Nam Ecclesiæ Latinæ alius mos est, cui præjudicium ferre non potest Episcopus. Validè igitur Presbyter Græcus in Latinâ Diœcesi Latinogræcum adultum aut infantem consignare non potest. Dico Prætereà Presbyterum Græcum in ipsâ Græciâ seù Diœcesi Græco more viventem hominem Latinum aut Latinogræcum validè confirmare non posse, quia Episcopus Græcus hoc jus Presbytero suo delegare non potest, cum confirmandus, non sit ipsius Diœcesanus. Si verò de jure aut consuetudine fieret ejus Diœcesanus, aliter res se haberet.

Cum verò Episcopi confirmandi jus vi ordinationis Episcopalis nacti sint, si confirmant, validè id faciunt. Atque hæc ratio est Confirmationis sub conditione datæ. Cum enim aliquando nesciatur an illi Latino-Græci ab Episcopis confirmati fuerint, ideò vult Clemens ut sub conditione Sacramentum confirmationis illis administretur. *Episcopi Latini Infantes seù alios baptizatos à Presbyteris Græcis, de facto chrismate in fronte consignatos, confirment, & tutiùs videtur ut cum cautelâ, & sub conditione id faciant, videlicet. N. Si es confirmatus, &c. Præsertim verò cum veri similiter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.* Luce igitur meridianâ clariùs est hanc instructionem ad Grecos in Greciâ viventes nihil spectare, nihilque ex eâ colligi posse, quod hunc Græcorum ritum vel tantillum lædat. Sedulò enim cavit Pontifex, & qui illi aderant, ut ex dictis constat, ne antiquo huic mori, quem Concilium Florentinum non arguerat, ullum præjudicium faceret. Objicietur forsan versiculus 554. istius instructionis, in quo dicitur. *Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum anteà confirmare, saltem sub conditione &c.*

Per, *Græcum aliquem*, intelligendus est Latino-græcus, singuli enim versiculi præter titulum demonstrant agi tantùm de Latino-Græcis, ut instructionem illam legentibus erit plusquam manifestum. Hujus rei probandæ causa preter ea, quæ iam dicta sunt, producam tantum ultimum instructionis articulum. *Insuper idem S.D.N. constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ & Insularum adjacentium subjectos, ab Episcopo græco ordinari volentes cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis ritu græco ordinet.* Itaque hæc juxta mentem Pontificis non sunt ulterius extendenda.

Majus pondus habere videtur Innocentii III. prohibitio, *Mandamus quatenus omnibus Presbyteris districte prohibeas ne talia de cætero suâ temeritate præsumant, quæ licet non sint à fidelibus contemnenda, tutiùs tamen est ea omittere, quàm ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo conferantur.* Quid clarius esse potest? Agitur de confirmatione Constantinopoli datâ, scribit que Pontifex ad legatum suum Constantinopoli degentem. Respondeo de Græcis presbyteris in eâ Epistolâ Pontificem non agere, sed de Latinis. Tum temporis Franci Constantinopoli dominabantur, & C.P. Patriarcha venetus erat, Urbsque erat à Francis & Venetis magnâ ex parte habitata. Imperii autem Græci instauratores & mente & loco plurimùm divisi erant, Unus sedebat Adrianopoli, alter Trapezuntii ad Pontum. Cum igitur res ita se haberet, audivit Pontifex Presbyteros nonnullos Latinos Græcorum exemplo ductos Confirmationis Sacramentum administrare ausos. Declarat Sacramentum sic administratum nullum esse, & ne ampliùs ab iis administretur severè prohibet, Græcorumque consuetudinē, licet in eorum Regione viverent, nihil eos juvare. Sed hæc nihil prorsùs ad Græcos, & sacramentum confirmationis ab eorum Presbyteris administratum. Quid verò contra tot & tam insignia testimonia capitibus præcedentibus explicata?

Sed conjecturam tam probabili ratione subnixam, quæ omnem difficultatis umbram pellit, postea ipsâ experientiâ veram esse deprehendimus. Collector enim Decretaliū sub Gregorio IX. præteriit ea verba, quæ solutionem nostram

confirmant, quorum omissio difficultati occasionem dedit. Ea igitur integra referam ex antiquâ collectione tertiâ, quam Petrus Beneventanus Innocetii tertii jussu collegit, quæ collectionum prima autoritate publicâ edita est. Sic igitur, lib 1. tit. 4. de consuetudine c. 4. *Volentes igitur hæc & alia quæ oculos divinæ majestatis offendunt, de agro dominico extirpari, d. t. per a. s. mandamus quatenùs omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis, districtè prohibeas, &c.* Frustrà quæ antè & posteà Raymundus postremus collector omisit, referrentur, cum ad propositum nostrum nihil conferant. Est igitur verum, teste ipso Decretalis autore, decreti istius autorem de Græcis Presbyteris non agere, sed tantum de Latinis. Undè contrarium argumentum necessariâ consequentiâ colligitur, Innocentium III. ritum istum Græcorũ saltè tolerasse. Cum enim Latinis Presbyteris Constantinopoli degentibus nominatim hoc prohibet, illud ipsum Græcis ibidem inhabitantibus permittit. Circumstantia autem temporis, quo facta est ista prohibitio, hic plurimùm est consideranda. Ritum enim illum Græcis non prohibuit Innocentius, cum prohibere maximè poterat. Tum enim Constantinopoli, & universæ propè Græciæ Latini dominabantur. Sed Pontifex Græcis ritus suos obeundi permissione factâ, satis habuit Latinos suos in nativis & patriis ritibus conservare.

Huc usque Morinus suum de Confirmationis Sacramento Tractatum perduxerat.

J. MORINI
ORATORII DOMINI JESU PRESBYTERI
DE
CONTRITIONE ET ATTRITIONE
EXERCITATIO
HISTORICO-THEOLOGICA.
PARS PRIMA.
DE MENTE DOCTORUM SCHOLASTICORUM.

CAPUT PRIMUM.

Undè, à quibus & quandonam introductum in scholas Attritionis vocabulum. Quæ vis nominis & natura. Quodnam Attritionis & Contritionis discrimen, quæ Principia. Quomodo quis ex Attrito contritus fiat apud veteres scholasticos Alexandrum Halensem, Albertum Magnum, &c.

CERTUM est ex omnium Patrum testimonio & ipsâ experientiâ cor hominis præmissis quibusdam dispositionibus ad justificationem præparari, atque admodum rarò statim & ex abrupto simul & semel, nullâ præcedente præparatione impio gratiam illam infundi, sive impium derepente & unico momento converti : nullusque Theologus id negavit, aut ne-

gare potuit. Ex eorum ratiociniis, id contritioni tribui non potest. Gratiam enim illa sequitur, non præcedit. Necessariò igitur fuit illis nomen aliquod artificiale inveniendum, quo præparationes ad justificationem necessarias significarent cum philosophando tantos progressus fecissent, ut nomina, quibus id enuntiare solebat antiquitas, ex antiquo albo expungenda esse demonstrassent. Illud autem est *Attritio*, quod circà annum Christi 1230. in scholis audiri, & per Theologorum ora volitare cœpit.

Primi hoc nomen celebre fecerunt Alexander Halensis, Albertus magnus, & Guilielmus Parisiensis Episcopus, qui scribere cœperunt circa aut paulò post tempus adnotatum. Apud enim Petrum Cantorem, Præpositivum, Petrum Blesensem, Martinum quemdam Theologum, aliosque antiquiores scholasticos nusquam comparet; licet de Sacramentis, de Pœnitentiâ ac Confessione ex professo & datâ operâ scripserint. Guillielmus Antisiodorensis hoc nomine nusquam usus est, licet fusissimè de omnibus Sacramentis, & præsertim de Sacramento Pœnitentiæ scripserit. Scripsit autem post concilium Lateranense 4. quod anno Christi 1215. celebratum est, ut evidenter colligitur ex lib. 4. cap. 3. q. 3. & fiue q. 5. Itaque tribus jam laudatis autoribus, aut paulò senior aut saltem æqualis fuit. S. quoque Raymundus qui libro tertio summæ suæ tàm multas quæstiones movet de pœnitentiâ, contritione, confessione & satisfactione, sicut & Guilielmus ipsius Glossator, de Attritione nusquam verbum ullum, licet ambo, non secus ac Altisiodorensis, de præparationibus ad justificationem multa verba faciant. Ex quibus invicem comparatis evidenter colligitur, eo tempore Attritionis nomen in scholis audiri cœpisse, ut tamen novum ab Altisiodorensi & Raimundo neglectum, aut saltem præteritum; ab Halensi verò, Alberto magno, & Guillelmo Parisiensi, qui pauculis post duos priores annis scripsêre usurpatum & approbatum, tumque primùm emersisse, atque in scholis sonare cœpisse quæstionem illam posteà celeberrimam, & omnium scholasticorum disputationibus agitatâ: an Attritio possit fieri Contritio?

Nomen autem hoc non ineleganter his dispositionibus significandis accommodatum est. Dispositiones enim illæ, etiam

perfectissimæ, via sunt & motus ad gratiam alliciendam, & illius beneficio contritionem producendam. In justificationis igitur motu Attritio rationem termini à quo tenet? Contritio, termini ad quem: Est igitur Contritio forma & perfectio, ad quam, mediante gratiâ tendit Attritio, & consequenter vel perfectissima Attritio, quandiu talis est, perfectione Contritioni cedit. Hoc egregiè Attritioni ex Latinâ & genuinâ nominis significatione convenit. Attritum enim dicitur, quod est imperfectè contritum, cujus singulæ partes non sunt ad huc tritæ satis & comminutæ, ut omnes ferè scholastici adnotare solent.

Sed præteritâ grammaticâ descriptione, rem Attritione notatam explicemus. Attritionis principium dixerunt esse gratiam gratis datam: Contritionis verò, gratiam gratum facientem. Ideò nonnulli subtiliùs disputantes Contritionem ab Attritione specie differre asserebant, etiam cum in genere naturæ una esset actio. v. g. aliquis peccata continuo temporis spatio detestatur, eaque singulis momentis vehementiùs detestans, adveniente gratiâ, justificatur, detestationisque motum aliquantisper post adventum gratiæ producit: Unū esse naturalem motum dubium non est, cum in continuis, ut ait Aristoteles, ipsa continuitas sit unitas, unum est lignum, una trabs, una linea, quandiù non secantur. similiter in motibus, ut duo pluresve sint, necesse est, ut ait idem Philosophus, intercedat quies media. Idem facit quies in rebus successivis, quod sectio in stabilibus. Verùm negabant eamdem esse in genere moris actionis speciem, cum principiis & dignitate prior pars à posteriore differret. Prior enim pars à gratiâ gratis datâ fluebat; posterior, à gratiâ gratum faciente: Undè pars posterior formata erat & viva, prior informis & mortua: posterior meritoria, prior neutiquam. Deinde principia ipsa aiebant specie differre, gratiam scilicet gratis datam à gratiâ gratum faciente: ex quo videbantur sibi necessariò colligere aliam ab aliâ totâ naturâ distare.

His datis, alia erant consectanea, Attritionem cum peccato & peccati affectu consistere; Contritionem verò id non posse, quum gratiam supponat: Contritionem ideo cum Attritione simul stare non posse, cum illa peccatum expellat, hæc patiatur, licet eorum principia,

gratia videlicet gratis data, & gratum faciens in eodem subjecto sese foveant, nullâque inimicitiâ sese perimant: Naturâ tamen suâ alterum alteri non esse inimicum, ἀσυμπαθίαν illam ex adjunctorum proprietate illis contingere.

Ex eâdem doctrinâ aliud consequebatur in hac causâ observatu necessarium, Contritionis principium nunquam esse solum timorem servilem, sed timorem, quem vocare solent initialem servili & casto temperatum, aut etiam sed rariùs, castum, id est, perfectam charitatem. Econtrà, Attritionis principium semper esse timorem servilem, nunquam initialem, multò minùs castum.

Ex principiis datis hæc facilè deducuntur: Nam Contritionis principium est Charitas, quæ nusquam cum nudo servili timore consistere potest, sed semper cum initiali, donec perficiatur. Attritionis verò principium esse non potest charitas, quia eâ semper antecedere ponitur.

Licet ex eorum sententiâ res ita se haberent, non negabant tamen amorem Dei Attritionis esse aliquando causam, neque ubi causa illius non esset, sed timor, progressu temporis amorem Dei ei coniungi, homines que ad justificationem eodem amore præparari. In cujus enim mentem venire potuisset amorem Dei à præparatione justificationis & unionis cum Deo excludendum esse. Sed Philosophiæ suæ compedibus constricti, ab iisque expedire se non valentes, amorem illum alterius ab eo, qui ex gratiâ gratum faciente fluit, esse speciei nonnulli docebant: quia, ut aiunt, nec erat formatus nec informandus. Non formatus, quia nondum est forma, gratia scilicet habitualis: Non informandus, quia, cum adest gratia, aut jam præteriit amoris ille motus, atque ideo, cum non esset, frustrà formatio illius quæritur, aut durat adhuc præsente gratiâ, tum actûs pars illa, cum à principio aliter affecto fluat, voluntate scilicet, gratiâ gratum faciente imbuta à priori parte, ut diĉtnm est, specie differt. Quapropter Attritionis amorem, quo erga Deum tendit, licet supernaturalis esset, ut potè à gratiâ gratis datâ fluens, ab eo tamen qui justificationem sequitur, naturâ diversum esse contendebant. Imò hunc præ illo nihili ferè faciebant, ut infrà demonstrabitur.

Ex istâ Philosophiâ statim nata est famosa illa quæstio, quam tractarunt, qui primi Attritio-

nis nomen usurparunt; an scilicet Attritio fieri posset contritio? Sed diligenter notabit lector, quæstionem illam anteà inauditam, longè alio sensu initio motam fuisse, quàm paulò post mota fuerit, nuncque moveatur. Primùm enim de Attritione loquebantur ratione solum habitâ ad contritionem, non ad confessionem. Ponebant enim, ut principium à nemine negandum, ad confessionem fictum accedere, qui contritus, justificatus & charitate donatus non esset, confessionem ejusmodi ad id tantùm valere, ut confessionis præcepto quis satisfaciat. An dubitare potuerunt sic opinantes attritum per confessionem non fieri contritum, imò fictum & sacrilegum? Indè est quod in hâc quæstione enarranda & decidenda confessionis aut absolutionis ne verbo quidem mentionem faciant, similiter cum de absolutionis virtute disputant, Attritionis apud eos nulla est memoria. Imò in universo Attritionis Tractatu de confessione nullus est sermo; cum nunc de Attritione subtiliter & minutissimè disputent Theologi, eo tantum fine, ut ex eâ disputatione vis & efficacia absolutionis sacerdotalis elucescat. Quo fine igitur, inquies, universa illa apud eos de Attritione disputatio? Jam dictum est, contritionem subsequi gratiam habitualem censebant. Ideò præparationem quamlibet ad justificationem & contritionem extrà Sacramentum, ut ad Sacramentum pœnitens justificatus & contritus dignè accederet, Attritionis nomine nuncuparunt. Undè est quod apud eos solemnis quæstio agitatur, an sine Attritione quis justificari possit? quam sic definiunt: lege communi neminem sine Attritione, hoc est sine præparatione, (nam ista apud eos æquipollent, unumq; altero indistinctè commutatur) justificari; si quis aliter, ut S. Paulus, id speciali privilegio tribuendum esse. Disputatio igitur de Attritione apud eos nihil aliud est, quàm de præparatione ad justificationem & contritionem in genere verba facere. Ad quæstionem autem propositam ex datis principiis respondent, Attritionem considerari posse, vel ut est motus sive actus liberi arbitrii, vel ut est habitus, quo actus ille à libero arbitrio elicitur. Priore significatione Attritionem fieri non posse Contritionem; posteriori verò id fieri posse, eo quod habitus permaneat, & consequenter

adveniens gratia eum informare possit. Ità de Attritione, ut de doctrinâ jàm vulgatâ philosophatur Alexander Halensis summæ lib. 4. q. 17. membro 5. art. 1. 2. 3. 4. sed de illius sententiâ, & quomodo cum contrariâ in gratiam redire possit infrà ex professo agetur.

Eadem est Alberti magni cum Alexandro de Attritione & Contritione sententia. Attritionem à gratiâ gratis datâ elici; Contritionem à gratiâ gratum faciente. Undè scribit Attritionem definiri dolorem non informatum gratiâ. Nullam quoque init Confessionis cum Attritione comparationem; sed in postremâ quæstione sententiam oppositam amplectitur: *Dicendum meo judicio, quod unus & idem dolor in substantiâ potest esse Attritionis & Contritionis, sicut etiam fides informis potest fieri formata. Tamen,* inquit, *pro utrâque parte sunt opinantes; sed quod dictum est mihi probabilius videtur.* Rationem hujus rei reddit in Resp. ad quæst. 2. *Quia Attritio non ponit formam aliquam circà dolorem, sed tantùm dicit carentiam formæ, quæ est gratia.* Fatetur quidem diversa esse principia Contritionis & Attritionis, sed duplicia facit; rem constituentia, & producentia; priora, cum rerum substantiam ingrediantur, res quoque specie diversas facere, non autem posteriora. Verùm, si quis diversa esse principia negaverit, sed unum modò vehementiùs, modò remissiùs agens, à Deo concessum, modò debiliùs, modò validiùs, tota argumenti moles ruet. Rueret quoque, si duo quidem esse principia quis cum iis affirmaverit, sed naturâ differre negaverit. Prima igitur Attritionis inveniendæ occasio fuit Theologorum illorum doctrina, qui habitibus infusis jam vulgatis, Contritionem asseruerunt à gratiâ habituali primùm produci, pœnitentisque justificationem subsequi: Undè necesse fuit præparationes ad gratiam & justificationem alio quàm Contritionis nomine appellare. Itàque tota illa Attritionis doctrina spectabat ad gratiam gratum facientem & Contritionem; de Confessionis autem & absolutionis virtute per eam illustrandâ tùm non cogitabant.

CAPUT SECUNDUM.

Alia S. Bonaventuræ & S. Thomæ de Contritione iustificationem comitante sententia exponitur. An illa in primo iustificationis momento informis, an formata? Tertia seù media opinio, Contritionem esse ad gratiam habitualem, quâ iustificamur, legitimam dispositionem.

VERUM multis, ut opinor, in mentem venit insolens esse, atque ab omnium Patrum consuetudine alienum, Contritionem à præparationibus ad impii justificationem necessariis excludere. Quapropter in sententiam præcedenti oppositam iverunt, Contritionem esse ultimam præparationem ad gratiam gratum facientem & ad justificationem & utramque consequenter à Contritione præcedi. Deindè videtur sententia ista evidenter falsum assumere, quum supponit ad gratiam gratum facientem subsequi necessariò Contritionem. Contritio enim actus est liberi arbitrii peccatum propter Deum detestans: à gratiâ igitur liberè, non necessariò fluit. Ergò nihil impedit quominùs aliquo post justificationem tempore actus ille producatur, imò fieri omninò potest propter continuam voluntatis instabilitatem, ut non producatur: quo concesso consequens esset Contritionem ad justificationem contingenter se habere, adultumque nonnunquam sine Contritione justificatum esse. Eâ forsan ratione persuasi sancti Bonaventura & Thomas mediam quandam sententiam tenuerunt, Contritionem nec à gratiâ infusâ procedere, nec eam naturâ antecedere, sed simùl cum ipsâ, ut quid absolutè ad impii justificationem necessarium. Ne autem existimes eos per Contritionem sic absolutè necessariam, præparationes quaslibet ab auxiliis gratiæ fluentes intellexisse, præparationes ejusmodi, ut dictum est, Attritionis nomine vocabant, eoque ab iis solemnibus, quæ ad justificationem constituendam concurrere necesse erat, arcebant. Ità S. Thomas in quæstionibus disputatis q. 28. de

verit. art. 8. in concluſ. *Actus fidei informis, & Attritio, de quibus iſti loquuntur, tempore præcedunt gratiæ infuſionem. Et de talibus motibus liberi arbitrii ad præſens non loquimur, ſed de illis qui ſunt ſimul cum gratiæ infuſione, ſine quibus juſtificatio eſſe non poteſt in adultis, &c.* Quid igitur per Contritionem intelligebant? Illum liberi arbitrii motum à gratiâ præveniente commotum, quo divinitùs advenienti gratiæ habituali & formaliter juſtificanti conſentit, & peccatum averſatur. Non enim juſtificatur adultus non conſentiens, & peccatum odio actuali non habens. Neceſſe eſt igitur, ut hæc duo ad impii juſtificationem ut συναίτια ſimul concurrant. Hæc clare S. Bonaventura in 4. diſt. 17. p. 1. art. 1. q. 3. ubi probat Contritionem ad juſtificationem neceſſariam eſſe, & clariſſimè eâdem diſtincti. art. 2. q. 2. reſponſ. ad tria argumenta.

Eadem ſancti Thomæ ſententia in 4. diſtinct. 17. q. 1. art. 4. quæſt. 2. *Tunc*, inquit, *aliquis juſtificatur, quando gratiam recipit, undè ſimul cum gratiæ infuſione, & juſtificatione eſt motus Contritionis, ſed motus Attritionis præcedit, quaſi præparatorius. Nos autem nunc non loquimur de præparatoriis ad juſtificationem, ſed de his, quæ intrant ſubſtantiam ipſius.* Poſteà improbat eorum ſententiam, qui aſſerunt, infuſionem gratiæ Contritionem præcedere, atque ex utrâque culpæ remiſſionem ſequi, quæ ipſiſſima eſt ſententia capite præcedente explicata. Improbat quoque eorum ſententiam, qui docent gratiæ infuſionem & culpæ remiſſionem abſolutè præcedere Contritionem; eo quod ſi res ità ſe haberet, Contritionis motus ad juſtificationem non requireretur. Rectè ſanè: nam hoc dato jam eſſet completa juſtificatio. Contritionem igitur non vult præcedere gratiæ infuſionem, non vult ſubſequi, ſed concomitari, ità ut Contritio rationem habeat cauſæ materialis, cum ſit ultima ad ad gratiæ infuſionem diſpoſitio. Utraque igitur juſtificationis cauſa dici poteſt. Verùm ad anguſtias maximas redigitur, cum nihilominus docere conatur Contritionem in illo primo juſtificationis conſtituendæ actu eſſe formatam. Nam formari non poteſt antè formæ, id eſt gratiæ ſuſceptionem, nec concipi poteſt ulla formæ in materiam * actio ante ipſius in

*Actionem nõ ponit D. Thom. ſed negat.

ea receptionem. Itàque absolutè necesse est, ut Contritio ad justificationem concurrens informis sit in primo momento justificationis sive gratiæ infusionis, eoque tandem volens nolens in fine quæstionis adigitur; licet hanc sententiam initio solutionis primum improbasset. Quapropter in 1. 2. q. 113. art. 8. relictâ hâc sententiâ, eam, quam capite præcedente explicavimus, amplectitur. Medullitùs enim animis maximæ partis Theologorum illius temporis hærebat, nihil meritorium esse posse, quod illo gratiæ habitu non esset perfusum; Contritionem autem esse justificationis meritoriam, non modo ex doctrinâ Patrum colligebant, verum etiam ex primis scholasticis, & istius doctrinæ fundatoribus id veluti παλαιπαράδοτον mordicus tenebant. Quibus sanè datis nihil aliud rationabiliter dicendum occurrit, præter ea, quæ capite præcedente explicata sunt, quæ etiam, ut adnotatum est, maximis difficultatibus urgentur. Eandem difficultatem agitat S. Thomas in quęstionibus disputatis de veritate q. 28. art. 8. sed eàdem difficultate ibi quoque opprimi videtur, Contritionem gratiæ infusionem præcedere, sicut dispositio materialis formam. Verùm hoc non est intellectu facile. Vice versâ docet infusionem gratiæ, quæ formæ locum tenet, Contritionem præcedere, ut in naturalibus forma substantialis prior est materiâ & accidentibus materialibus, in quantùm ea perficit. Prior est quidem forma perfectione, quam in materiam inducit, sed materia subjacere perfectioni semper intelligitur. Ità quoque Contritionis perfectio ab infusione gratiæ fluens, eâ infusione posterior erit, sed huic perfectioni & formæ agenti Contritio præsupponi semper intelligitur. Itaque Contritio formata intelligi non potest in primo justificationis actu, sed tantùm in secundo, ut docet prima sententia.

Imponitur Divo Thomæ

Non mutat sententiam.

Hinc factum est, ut post SS. Bonaventuram & Thomam Doctorum scholasticorum magna pars in tertiam quandam sententiam concesserit, quæ sola nunc in scholis regnare videtur, Contritionem esse gratiæ habitualis, qua justificamur legitimam dispositionem, quam gratiæ illius infusio necessariò consequitur. Non defuerunt tamen celebres Thomistæ Ferrariensis, Cajetanus, Dominicus Soto, Melchior Canus, Viguerius & alii

qui magistri vestigia pressè secuti priorem sententiam tuerentur. Posterior illa de Contritione philosophandi methodus, à sancto Bonaventura, atque etiam à Sancto Thoma primitùs usurpata, quæ omnem præparationem ad justificationem Attritionis nomine complectebatur, facilem dedit occasionem quærendi, an si quis Attritionem tantum corde gestans, sed se bonâ fide contritum existimans, ad confessionem accederet, ità virtute confessionis & absolutionis augeretur illius Attritio sive dolor de peccato, ut fieret verus Contritionis dolor, quem gratiæ infusio & justificatio consequerentur. Cum enim ex omnium Theologorum illius temporis sententiâ significet Attritio quamlibet præparationem ad justificationem, atque ex SS. Bonaventuræ & Thomæ doctrinâ Attritionis ultimus terminus sit Contritio simul cum gratiæ infusione ad impii justificationem concurrens; facilè sanè fuit quærere, an quis ultimum istum terminum nondum assecutus, se tamen assecutum credens, ad confessionem possit accedere, illiusque beneficio ità dolor augeatur, ut veram Contritionem pariat, ad quam gratia consequatur.

Faciliùs id sibi persuadebit lector, si mente revolvat quod suprà demonstravimus, omniū antecedentium Theologorum dogma fuisse, Confessionem sine contritione factam non esse salutarem. Cum igitur homines huic dogmati assueti viderent contritionem simùl cum gratiæ infusione ad justificationem concurrere, nec ampliùs informationem illam ad ipsius substantiam componendam requiri, sed eam jam constitutam subsequi, ultimumque Attritionis terminum dici & esse Contritionem, antequàm gratiâ informetur, anterioritate scilicet naturæ; proclive sanè fuit illis horum duorum alterum inquirere: An quis bonâ fide putans se esse contritum, cum sit tantùm attritus, atque in eo statu confitens, possit in Confessione ante absolutionem fieri contritus, hoc est, an Attritio, quam habet, in confessione augeatur. Deindè si quid desit Attritioni sic confitentis, an ut fiat Contritio, id ipsi virtute absolutionis conferatur. Quæstiones illæ in mentem opinantium Contritionem omnem necessariò formatam esse, & gratiæ infusionem subsequi, non facilè venire poterant.

Duo enim obſtabant, priùs, quod quælibet Attritio eo caſu à confeſſione nimium diſtabat: erant enim intermediæ hominis juſtificatio, quam per ſolam Attritionem nemo ſibi comparare poteſt, & eam ſequens Contritio. Ideò Theologi illi, cum quærunt. An Attritio fieri poſſit Contritio, de confeſſione, ut jam notatum eſt, mentionem non faciunt. Poſterius eſt, illos omnes Theologos docuiſſe confeſſionem ſine charitate factam, non eſſe efficacem: abſolutionem, neceſſariò ſuppoſuiſſe pœnitentem, contritum & juſtificatum. Notabit præterea lector antiquis illis Theologis nunquam in mentem veniſſe quæſtionem hanc ſic abſolutè proponere; an Attritio virtute confeſſionis aut abſolutionis, ſivè Sacramenti, fiat Contritio, ſed ſemper cum hac poſitione, an quìs confitens, & contritum ſe judicans, &c. Ne quis autem mihi opponat, quod ſæpè jam dictum eſt, frequentem & famoſam apud eos quæſtionem; an Attritio fiat Contritio: ſæpè enim adnotatum eſt de Attritione & Contritione extrà Sacramentum actu receptum ſemper apud eos eſſe ſermonem. Ut hæc oculis lectorum faciliùs obverſentur, duo Doctorum illorum autoritate demonſtrabimus: Primum, Attritionem & Contritionem apud eos unum eſſe ſpecie voluntatis motum, nonnunquam etiam unum & eumdem numero: ſecundum, Attritionem tam pietate & affectu confitentis, dum confitetur, quàm ſacerdotis, cum abſolvit orationibus, in Contritionem aſcendere.

CAPUT TERTIUM.

An Attritio & Contritio idem ſpecie vel numero actus ſit. An Attritio, Contritio fieri poſſit ex S. Bonaventuræ, S. Thomæ & Alberti magni ſententia diſcutitur.

SIC de hac re diſſerit ſanctus Bonaventura in 4. diſt. 17. p. 1. art. 2. q. 3. reſp. ad lateralem quæſtionem 4. Attritionem fieri Contritionem dicit tripliciter intelligi poſſe:

Aut quod habitus, quo quis atteritur, formetur & illo conteratur, sicut fides informis fit formata: & hoc credo verum &c. Secundo modo potest intelligi quantum ad actum substratum, & hoc concedo, quod actus in principio sui est Attritio, sed antequam interrumpatur, fit Contritio: sicut patet de motu, quo quis vadit ad Ecclesiam, si infundatur ei gratia in viâ, &c.

Responsum tertio argumento diligenter attendendum est. Sic objiciebatur: Dolor Attritionis, qui justificationem præcedit, aut formatur adveniente gratiâ, aut non formatur. Si priùs, ergo opus mortuum fit vivum: est enim Attritio antè gratiam opus mortuum. Si non formatur, ergò necesse est novum elici. Non enim justificatur homo sine dolore gratuito, sed potuisset ex æquo elici, si dolor ille Attritionis non fuisset elicitus. Non fuit igitur necessarius dolor ille præcedens. Sic sanctus respondet, ut necessitatem inferat ejusdem actus in Attritione & Contritione: *Illi, qui dicunt quod Contritio sequitur culpæ remissionem dicunt quod novus elicitur, & quod post infusionem gratiæ omnes virtutes habent novos actus, sed illi qui dicunt, quod Contritio est in instanti justificationis, necesse habent dicere, quod dolor ille formatur, & motus fidei sive liberi arbitrii* Huc etiam evidentissimè facit quod eodem articulo scribit q. 2. actum formari posse à gratiâ dupliciter. *Uno modo à gratiâ ipsum motum secundum suam substantiam eliciente & imperante, &c. Tùnc verum est quod animæ gratificatio & mundatio & habilitatio ad bonum talem actum præcedit. Alio modo actus formatur à gratiâ non imperante, nec eliciente, sed adveniente, ut quando liberum arbitrium est in actu consono gratiæ, tunc gratia adveniens, & inveniens liberum arbitrium in actu, utrumque simul tempore format, scilicet potentiam & actum, priùs tamen naturâ actum, quam potentiam, sicut dispositionem intermediam, & de tali non est verum, quod sequatur mundationem &c.* Ubique asserit, ut notum & certum, non modò ipsum Attritionis actum à gratiâ informari, sed etiam actum illum priùs naturâ à gratiâ adveniente informari quàm potentiam. Ipsissimus igitur ille Attritionis actus, nullâ in substantiâ suâ mutatione factâ, fit Contritio, gratuitus, ut loquuntur, & meritorius. Attritionis autem actus ille, licet à gratiâ gratum faciente non procedat, sed ipsi jam elicito extrinsecus adveniat, à gratiâ tamen

tamen gratis datâ, ut ipse eodem loco admonet, originem trahit.

Eadem est sancti Thomæ sententia manifesta in 4. dist. 17, q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. Primùm improbat hoc axioma: Quicquid præcedit gratiam, per eam formari non potest: quod est eorum fundamentum, qui contritionem docebant subsequi gratiam gratum facientem. Sed secundum omnes Theologos illius temporis quicquid præcedit gratiam illam, Attritionis nomine venit. Attritio igitur ex sancti Thomæ sententiâ formari potest, & consequenter fieri Contritio. Attritio dicitur illa præparatio quandiù gratiam præcedit; Contritio, cum ipsi in actu justificationis conjungitur. Hoc intellectu facile est posito primùm, ut fieri solere experientia docet, Attritionis actu remisso, qui paulatim, vel si mavis, subitò intendatur: cum enim eo intentionis pervenit, quæ proxima est ad gratiam illam dispositio, tunc fit Contritio, eodemque naturæ instanti & gratia infunditur & justitia perficitur. Ità rem explicat ibidem generationis naturalis exemplo sumpto. *In eodem enim instanti terminatur alteratio ad dispositionem, quæ est necessitas, & generatio ad formam.* Nihilominùs tamen dicit utrumque altero quodam modo prius esse in diverso genere causæ: *Ideò*, inquit, *cum isti motus qui sunt in ipsa justificatione impii sint quasi dispositio ultima ad gratiæ susceptionem, suo modo præcedunt quidem in viâ causæ materialis, sed sequuntur in viâ causæ formalis, & ideò nihil probibet eos esse formatos, &c. Sicut qualitates quæ introducuntur simul cum formâ substantiali quodammodo formantur per formam substantialem, & sicut qualitas prædicta antè sui consummationem, & formæ introductionem non erat formata, sed informis. Ità etiam est de motu liberi arbitrii, si tamen continuatus in fine, perficiatur per gratiæ infusionem.*

In Quæstionibus disputatis, quæst. 28. de veritate art. 8. tertium argumentum est hujusmodi, *Attritio præcedit gratiæ infusionem, & culpæ remissionem, sed Contritio ab Attritione non differt, nisi secundum intentionem doloris, quæ speciem non variat. Ergò Contritio præcedit, &c.* Respondens S. Thomas concedit id quod assumitur, Attritionem & Contritionem specie non differre, sed negat hoc modo tantum differre. *Ad tertium dicendum quod Contritio ab Attri-*

ne præcedenti non differt solùm secundum intentionem doloris, sed secundum informationem gratiæ. Eo quod vult Contritionem vel Attritionem in quo instanti fit Contritio, & consequenter ad actualem justificationem concurrit, à gratia informari, quod Attritioni nunquam concedit.

In supplemento quoque q. 1. art. 2. resp. ad 2. *Attritio dicit accessum ad perfectam Contritionem, unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfectè sunt comminuta. Sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo Attritio significat in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; Contritio autem, perfectam.* Doloris unius ab altero differentiam non à motivis sed ab intentione & remissione petit. Hoc quomodo fiat præclarè docet quæstione quintâ, articulo tertio: ubi explicat quâ ratione verum sit, contritionem quantumlibet parvam omne peccatum delere. Hoc non fit, inquit, quod quilibet dolor sive amor Dei peccatum deleat: Absurdum est hoc dicere; sed quod quilibet dolor sivè amor Dei, qui ad rationem contritionis sufficit, id operetur. *Contritio*, inquit, *habet duplicem dolorem, unum rationis, qui est displicentia peccati commissi: & hic potest esse adeò parvus, quod non sufficiet ad rationem contritionis; ut si minus ei displiceret peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine: sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis: alium dolorem habet in sensu; & parvitas hujus non impedit rationem contritionis, quia non se habet per se ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur, & iterum non est in potestate nostra. Sic ergo dicendum, quod quantumcunque parvus sit dolor, dum modò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Hæc paulò fusiùs retulimus, ut lector ex clarissimis S. Thomæ verbis ipsius mentem hauriret. Eandem sententiam iisdem verbis leges in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. ad tertiam quæstiunculam, ex quo loco supplementi autor ista deprompsit. Idem docet doctor sanctus in scripto secundo super Sententias eâdem dist. q. 2. art. 1. ubi dicit dolorem displicentiæ, in quo contritionis essentia consistit, esse maximum in genere, comparatione scilicet aliorum dolorum, sed non esse maximum in specie suâ. Ideo

cum hac distinctione admittit hoc axioma : minimus dolor cum gratiâ sufficit ad salutem : sufficit minimus dolor in genere doloris spiritualis in contritione, dolor tamen maximus est respectu aliorum dolorum. Eodem tendit, quod scribit in Quæstionibus disputatis, de veritate q. 24. art. 15. *Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam, sicut nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem peccati, sed oportet esse aliquem determinatum modum, qui quidem modus homini notus esse non potest.*

Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui paucis annis S. Thomam & Bonaventuram præcessit eandem docet doctrinam lib. de Sacramento Pænitentiæ c. 6. Primùm non censet improbabile gratiam prævenientem ab habituali, amorèsque ex eis emanantes specie differre ; eam tamen sententiam, quæ solo intentionis gradu eas distinguit, magis amplectitur. *Quod si quis dixerit quod differant, secundum màgis & minùs tantùm, amor Dei, quo fervet ille, qui ad gratiam gratum facientem se præparat, & amor ille Dei, quem suscipit præparatus. Qui enim ditebat, concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, & quod desiderat desiderare Deum, utique habet &c. Similiter qui quærit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondum eo amore quem quærit. Cum enim quærat amare Deum, utique desiderat amare Deum. Qui autem desiderat, amat : amat ergo amare Deum, & non amat illud nisi propter Deum. Multò ergo fortiùs amat Deum, quia propter quod unumquodque aliquid, illud magis. Amor ergo, quo iste amat Deum, & amor, quem quærit, & quo nondum amat Deum, sunt unius & ejusdem videlicet Dei, & secundum idem, & propter idem. Sunt ergo unius & ejusdem speciei, & ita non differunt, nisi secundùm magis & minùs.* Et iterùm paulò post, *Amore præparatorio amatur Deus secundum quod Deus, & propter id quod Deus ; quemadmodum amore qui charitas dicitur. Quare erunt ejusdem speciei amor præparatorius, & amor qui charitas dicitur.*

In novo tractatu de pœnitentiâ c. 16. & 17. enarrat ea, quæ confessor docere debet pænitentem ad eum accedentem, & hoc præ ceteris c. 17. *Docendus est, quia si in hoc proposito venit, & in eodem proposito est ut committat, & tradat se voluntati Dei & beneplacito ejus, & hoc ex amore ejus, si se*

totum paratus est dare, & reddere miserationi Dei, & hoc hac de causa, ne ejus offensam incurrat, ut in amorem ejus, & gratiam redeat, mortis in se vincula disrupta esse cognoscat. Si enim tantum sui amorem largitus est ei clementissimus Deus, ut de se toto beneplacitum ejus paratus sit facere pro consilio sacerdotis, cui omnia curandi & regendi à Deo commissa est cura, nulla tenùs de salute ejus dubitet &c. Et infrà Pœnitens confessurus sic alloquitur confessorem: *Ostendo in me ipso ipsum esse Deum meum, cujus amore & beneplacito omnia facere paratus sum, quæcumque ipsum jubere me docueris. Totam turpitudinem meam denudabo, ut eum placem, ut ipsum non offendam, & ampliora ejus auxilio facturum me spero, si beneplacitum ejus hoc esse cognovero.* Multa legere est in eundem sensum c. 12. Ita pœnitentes suos docebat & docendos jubebat ante quadringentos annos Episcopus Parisiensis suo sæculo doctissimus, & in Ecclesiasticâ pœnitentiæ disciplinâ tam interiori quàm exteriori laxanda præ cæteris coætaneis & collegis facillimus.

Albertus magnus in 4. l. d. 16. art. 8. *Dicendum meo judicio, quod unus & idem dolor potest esse Attritionis & contritionis.* Et paulò post in responsione ad quæstiunculam, *videtur mihi, quod dolor attritionis potest fieri dolor contritionis, quia attritio non ponit formam aliquam circa dolorem, sed tantum dicit carentiam formæ, quæ est gratia.* Itaque prorsus est idem utriusque dolor, gradu tantùm differens. Responsione ad 3. scribit attritionem & contritionem esse Dei dona, *sed unum esse diminutum donum, ut gratia gratis data, & aliud ut perfectum per gratiã gratum facientem.* Unus est igitur & idem actus, sed adveniente actui continuato gratiâ, fit actus ille contritio.

CAPUT QUARTUM.

Theologorum Axioma, minimam gratiæ particulam hominem justificare, cum Patrum dictis conciliatur. Voce Contritionis alio à Patribus significatu scholastici abusi sunt. Alexandri Halensis sententia ad aliorum sensum reducitur. An timore servili ad justificationem cor sufficienter præparari putaverint, an Charitatem exclusérint.

EADEM fuit Alexandri Halensis de discrimine Attritionis à Contritione sententia, si diligenter attendatur, licet Contritionem dixerit gratiâ gratum faciente & justificatione posteriorem. Verùm antequam hoc enarrare aggrediamur priùs duorum admonendus est lector. Primo statim post celebrem in scholis de habitibus doctrinam, vulgò axioma istud à Theologis usurpatum fuisse: minimam gratiæ, ut ità loquar, particulam omnem peccati culpam purgare, hominemque justificare. Si conferatur hoc Axioma cum innumeris non modò antiquorum Patrum, verùm etiam recentiorum, qui scholasticos præcesserunt, testimoniis, statim judicari poterit utrisque è diametro oppositum. Cum enim de pœnitentiâ sermonem habent, nihil apud eos frequentiùs legitur, quàm magnis peccatis magnâ opus esse Contritione, gravia peccata non leviter expianda, profundis vulneribus adhibenda ferrum & cauterium, multaque his similia. Testimoniorum autem istorum verba evidenter demonstant non tantum de pœnis satisfactoriis, sed potissimùm de interno dolore, & animi compunctione esse intelligenda. Si quis tamen Axioma illud ad antiquorum scholasticorum mentem examinet, nihil antiquorum patrum sententiis contrarium sonare deprehendet, ut specie tenus præ se ferre videtur. De rebus enim longè diversis scholastici, Patresque loquuntur. Nam scholastici de charitatis & gra-

tiæ habitibus verba faciunt: Patres verò de amoris & dilectionis actibus, ut jam multis evidenter demonstratum est. Lib. de Pœnit. Nemo autem, ut ego quidem opinor, negabit gratiam habitualem quantum libuerit remissam, pœnitentem justum, & Deo gratum reddere. Nam à qualitate vel minimâ quales re verâ sumus & dicimur, ab albedine albi, à doctrinâ docti, à justitiâ justi. Si tantùm in nobis possunt qualitates & habitus innati vel acquisiti, multò magis infusi. Dato igitur vel minimo gratiæ & charitatis habitu erimus & dicemur meritò Deo grati & accepti, justi & sancti. In actibus autem, ex quibus habitus acquiruntur, longè aliter se res habet; nemo enim ab uno actu justus dicitur, aut prudens, sed frequenti actuum repetitione habitus comparatur, & ab eo denominamur. Similiter eodem facile redit scholasticorum hoc dogma, quo tendunt Patrum testimonia. Nam opus est magno animi dolore & compunctione, orationibus, gemitibus, fletibusque repetitis, omnibus demùm interioribus illis præparationibus, quas enarrant Patres, ut gratiæ habitum pœnitenti Deus infundat. Quicquid denique dicunt Patres de rebus necessariis vel utilibus ad impii justificationem, & obtinendam à Deo peccatorum remissionem, illud referri facile potest ad istius habitûs infusionem & consecutionem, cui peccatorum remissio ex eorum doctrinâ semper adnectitur. Itàque hoc scholasticum dogma, si sanè intelligatur, præparationibus, quas Patres ad impii justificationem tantopere commẽdant, nihil prorsùs derogat. Quod ad habitum illum attinet, perspicuum est, non secùs ac cæteros habitus, intendi posse & remitti, majoremque pro ratione præparationis ad justificationem à Deo infundi, infusique augmentum liberi arbitrii cooperatione nos promereri: cujus augmenti ratione dicitur in Apocalypsi: *Qui justus est, justificetur adhuc, qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* c. 22. v. 2.

Notabit secundò lector eos scholasticos, qui Contritionem docent justificationem subsequi, usitatam in Ecclesiâ Contritionis significationem, quantum in ipsis fuit, abrogasse. Cordis enim Contritio sive compunctio, quum apud Patres de impii justificatione res agitur, pro animi præparatione semper accipitur, quæ ad impetrandam

à Deo peccatorum remissionem commendari solet. Illi verò semel posito illo gratiæ habitu infuso sine cujus perfusione nihil Deo gratum, & acceptum velle potest voluntas, ità tricis argumentationum sese impedierunt, ut Contritionem ab omni præparatione ad justificationem eliminare cogerentur; à quo incommodo vix sese tuentur, qui Contritionem simultaneè, ut ità loquar, ut gratiæ habitualis συναιτίῳ, ad justificationis productionem coalescere docuerunt. Si tamen de nominis acceptione inutiliter digladiari nolimus, sed rem ipsam intueamur: Nihil docent illi scholastici aut à Patribus, aut à ceteris scholasticis diversum. Ponamus enim Contritionem justificatorum esse propriam, ad justificandos non pertinere: Nonnunquam enim Patres justificatos & sanctos ad Contritionem hortantur, nihilque est quod prohibeat justum de peccatis præteritis iterùm conteri & compungi: eodem res semper redit. Non enim docent illi scholastici impium sine præparatione justificari, sed præparationem illam non Contritionem, sed Attritionem vocarunt. Deindè præparationem illam non viribus naturæ tribuerunt, sed auxilio gratiæ, quam nomine à S. Augustini verbis mutuato gratiam gratis datam appellarunt. Contritionis igitur tolle nomen, & Attritionis suffice, rem eandem tenebis. Hinc factum est, ut quidquid anteà de Contritione quæri & disputari solebat, isti de Attritione & Contritione quæsierint, & disputarint. Atque hoc imprimis occurrit: an Attritio fieret Contritio. Cum enim pœnitens atterendo se ipsum, hoc est, ex gratiâ gratis datâ se ad justificationem disponendo, tandem ad ultimum dispositionis terminum perveniat, quem ipsa justificatio consequitur, meritò quæritur, an saltem tunc, hoc est, in illo instanti Attritio dici possit Contritio. Ratio quæstionis mihi videtur per se evidens. Non tantum enim ex Patribus, sed etiam ex scholasticis prioribus acceperant cordis Contritione peccatores ad remissionem peccatorum disponi, eademque Contritione justificari. Nihil erat in scholis, ut suprà vidimus, celebrius, nihil decantatius. Consuetudine igitur, quæ Attritionem vocat quamlibet præparationem ad justificationem in scholis invalescente, necessitate quadam doctrinæ adacti sunt

ad quærendum an ultimus ille Attritionis, sivè præparationis ad justificationem terminus fieret Contritio, ut tandem in illo momento verificaretur majorum dictum: Contritione homines ad gratiam Dei disponi & justificari. Si enim momentum hoc elabi & diffugere sinatur, nihil ampliùs superest in præparatione ad justificationem, sive gratiam habitualem, quod Contritioni aliquo cum colore tribui possit. In duas sententias, ut dictum est, iverunt magistri: alii antiqui verborum usûs non satis tenaces, atque à Philosophiæ tricis expedire se non valentes, Attritionem negarunt simpliciter Contritionem fieri; hoc solo fundamento freti, quod Contritio cum sit actus voluntatis meritorius, gratiam habitualem necessario sequatur, & à libero arbitrio eâ gratiâ formato eliciatur, atque ideò justificatione sit posterior; sicque Contritionem absolutè ab ordine & classe dispositionum ad justificationem submoverunt. Alii ad veritatem, ut mihi videtur, propius accedentes dixerunt, Attritionem in instanti justificationis Contritionem fieri, & gratiâ formari. Qui hos secuti sunt, tertiam sententiam amplexi, extricatius, & à veritate omnium minimè, ut ego quidem opinor, aberrantes, Contritionem naturâ & ordine, gratiâ habituali & impii justificatione priorem esse simpliciter & absolutè pronuntiarunt, atquè ità omnium integerrimè Contritioni efficaciam dispositionis conservarunt. Hæc breviter ad eorum, quæ sequuntur, elucidationem dicta sunto. Multa enim in eandem sententiam jam dicta sunt, multaque inferius addenda erunt.

Ut igitur ad Alexandri Halensis sententiam redeamus, quam hoc capite explicandam nobis proposuimus, dicimus eum cum præcedentibus idem sentire, licet verbis dissentire videatur. lib. 4. q. 17. memb. 2. a. 1. c. 3. quærit num Contritio possit esse adeò parva & debilis, ut ad salutem non sufficiat. Respondet ex sententiâ suâ Contritionem duo substantialiter complecti, dolorem & gratiâ: *Nominat enim actum gratiâ informatum*. Quà Contirito gratiam dicit, affirmat minimam sufficere, nec de hoc quæstionem verti. *Quia sicut minima gratia gratum faciens & minima charitas sufficit ad quod libet peccatum delendum; sic & minima Contritio, ex illâ parte, quæ est gratia.*

gratia. Quà verò dolorem, distinguit, vel dolor ille est passio sensibilis in animæ sensitivâ parte vel etiam rationabili, vel est actus displicentiæ. Si prius, ejusmodi dolor minimus sufficere potest: *Dummodo dolor ille qui est actus dissensus, sivè displicentia rationalis sufficiat. Mediocriter enim affici sensibili dolore, sive ex parte rationabili, sive ex parte sensuali non est in nostrâ potestate.* Si posterius, *potest esse nimis parvus, nec sufficiens, ut gratiâ Contritionis informetur. Si enim alicui displiceret, quod Deum offendisset per peccatum, & illa displicentia non excederet displicentiam amissionis unius oboli, nulli est dubium, quin illa displicentia insufficiens esset ad hoc, quod esset dolor Contritionis.* Tandem concludit, *potest igitur dici quod non sufficit, quod dolor ille, qui est actus dissensus sive displicentia respectu peccati sit minimus.* Cum autem sibi objecisset in Contritionis definitione eo tempore vulgatissimâ, dolorem scilicet esse assumptum pro peccatis cum proposito confitendi & satisfaciendi, nullam esse majoris vel minoris doloris mentionem, acutè retorquet, magnum requiri eâ definitione dolorem, ut dici possit Contritionis dolor. Cum enim dolor ille satisfaciendi propositum contineat, peccatisque gravibus graves pœnæ imponantur, gravem oportet esse Contritionis dolorem, qui contritum ad tàm graves pœnas exolvendas adigit. Ejusdem membri §. 5. quærit quantus debeat esse dolor ille, & eâdem distinctione factâ inter displicentiam & passionem, respondet dolorem, qui est in displicentiâ voluntatis debere esse maximum: *Debet enim maximè & summè displicere pœnitenti, quod offenderit Deum, & illum peccato suo amiserit.*

Hæc igitur duo Axiomata in Alexandri sententiâ sunt manifestissima. Prius, de quo nulla quæstio, quemlibet gratiæ habitualis gradum peccati maculam delere, & consequenter quemlibet Contritionis gradum idem præstare, quia juxta Alexandrum, quilibet Contritionis gradus aliquo gratiæ habitualis gradu antecedenter, ut ità loquar, informatus est; imò juxtà omnes scholasticos; modò hæc Contritionis informatio concomitanter vel consequenter intelligatur. Ad salutarem autem Theologiam nihil prorsùs refert, quodnam horum trium dicas. Illæ enim naturæ prioritates & posterioritates in Metaphysicâ magni

quidem sunt momenti; in Theologiâ verò salutari, nullius. Posterius, quemlibet dolorem contritioni pariendę non sufficere, sed certum gradum quem solus Deus novit, ad quem si non perveniat pœnitens qnolibet gratiæ gratum facientis gradu frustrabitur, & consequenter Contritione, quam ex ipsius mente gratia illa semper antecedit. Quicquid igitur gradum illum doloris, ad quem gratia Contritioque consequuntur, præcedit, præparatorium est, & Attritio cum de eâ agit, ab ipso vocatur. Quæritur igitur an ultimus ille doloris gradus ejusdem sit naturæ, cum dolore, qui eum consequitur? Dubitandi causa est, quod ultimus ille gradus, ut præcedentes, à gratiâ gratis datâ fluit; qui verò ultimum gradum consequuntur, à gratiâ gratum faciente, de qua difficultate infrà in objectionum solutione differemus; sed intereà manifestè colligitur ex Alexandri verbis dolorem ultimum, quem gratia Contritioque consequuntur, ejusdem esse cum præcedente naturæ, intentionis gradibus tantum differre.

Eadem doctrina pellucet in responsione ad secundum. Objiciebatur, ut minima gratia sufficit ad deletionem peccati, ità & minimus dolor. Respondet dissimilium esse comparationem, atque ut conveniens sit, fieri debere, *gratiæ gratum facientis quantumcumque parvæ, & doloris quantumcumque parvi, qui dolor Contritionis dici debet. Dolor enim certam habet mensuram, qui Contritionis dici debet. Quæ autem sit illa, ille novit, quem nihil latet. Et tunc argumentum haberet necessitatem: sicut enim gratia gratum faciens sufficit, quantumcunque sit parva: sic dolor, qui dolor Contritionis dici meretur, sufficit.* Vix poterat clariùs mentem suam exprimere. Eâdem quoque quæstione sed membro 4. art. 3. *Contritio sumitur communiter & propriè: Communiter, secundum quod nominat communiter omnem dolorem de peccato: Propriè, secundum quod nominat tantum dolorem de peccato informatum & causatum ex gratiâ gratum faciente, &c* Contritionem asserit posteriore sensu justificare, ratione tamen gratiæ, non doloris, non autem priore sensu. Contritionem rectè dicit communiter vocari omnem dolorem de peccato: soli enim Theologi Philosophi dolorem illum Attritionem vocabant. Ibid. §.

Notandum autem Attritio-

nem seù Contritionem, quæ non justificat, ab eâ quæ justificat, aut quæ justificationem consequitur, non doloris specie, sed ratione gratiæ gratum facientis semper distinguere.

Iis, quæ dicta sunt, videtur Alexander directè opposuisse articulum 4. membri 5. q. 17. lib. 4. ubi propositâ quæstione, An attritio fieri possit contritio? resolvit id fieri non posse & argumenta quæ objici possunt, solvere conatur. Eadem questionem sibi proponit, & eodem modo solvit S. Thomas in 4. dist. 17. art. 1. q. 3. responsione ad quæstiunculam 4. & in supplem. q. 1. art. 3. Respondeo, licet responsum hoc facie tenus doctrinæ traditæ opponi videatur, si tamen ejus fundamenta & rationes perpendantur, eam confirmare videtur. Hoc ut intelligat lector notabit nos agere hîc de motivo & objecto Attritionis & Contritionis, non de causâ efficiente, idem esse utriusque motivum & objectum semper affirmant, nunquam negant scholastici. Nulla legitur apud eos de hac re contentio. Tota difficultas in causâ efficiente hæret. Præterea in causâ efficiente generali omnes conveniunt, liberum nempe arbitrium gratiâ supernaturali adjutum & commotum utrumque actum producere. De causâ efficiente speciali, seu potiùs de variis causæ efficientis adjutoriis, tantùm est apud eos altercatio. Conveniunt insuper omnes in attritionis adjutorio & causâ efficiente speciali; eam nempe à libero arbitrio gratiâ gratis datâ adjuto produci, sed de adjutorio causæ producentis Contritionem tota lis est. Illud vult Alexander, cum multis sui temporis Theologis, esse gratiam gratum facientem, ut jam sæpiùs dictum est, docéntque singulæ ferè periodi, quibus Attritionis doctinam explicat. Nunc autem parùm aut nihil attendimus Attritionis causam efficientem, modo gratia supernaturali mota sit & corroborata, quod Theologi illi, ut ab omnibus concessum, semper assumunt. Nostra etiam parùm interest, an gratia gratis data specie differat à gratiâ gratum faciente, atque ideò amor Attritionis ab amore Contritionis specie distinguatur. Alter ab altero, modò uterque sit amor Dei, & uterque à causâ divinitùs adjuta fluat. Horum autem neutrum neutra pars unquam negavit, aut negandum esse subindicavit.

Lectorem notare velim, primùm difficultatem hanc nunc & à multis annis cessasse. Theologi enim omnes eam sententiam amplectuntur, quæ Contritionem asserit gratiam gratum facientem præcedere: & consequenter Attritionis & Contritionis unam & eandem causam efficientem affirmant. Præterea complexio illa prorsus nulla est, causa efficiens divinitùs elevatur & corroboratur per gratias supernaturales specie differentes ad effectus suos producendos, ergò effectus illi specie differunt. Quidni numero? Quidni numero & intentionis gradu? Quidni cum actui continuato adjutorium aliud sivè actuale sivè habituale supervenerit, gradu intentionis tantùm, non numero? quid impedit varia auxilia actualia, imò varios habitus ad eundem effectum producendum concurrere? Nihil est insuper apud illos Theologos frequentiùs quàm Attritionem ab habitu fidei informis elici. Quis ità linceus esse potest, ut dispiciat, an habitus fidei ab habitu gratiæ gratum facientis specie, an numero tantum & gradu, distinguatur? Deniquè an tanti censeri deberet differentia à solo habitu gratiæ gratum facientis petita, concesso quod distinctionem illam specificam causaretur, cum Theologorum istorum antecessores habitus illos prorsùs ignoraverint? Hoc addam antequàm id genus argumenti finiam. Ex omnium sententiâ Contritio justificationem naturâ præcedit & justificatum subsequitur. Quis dicat Contritionem, quâ justificamur, alterius esse speciei ab eâ quâ justificati conterimur? Ea tamen efficientis varietas, quam in Attritione & Contritione notat Alexander, ipsissima est quæ inter Contritionem antecedentem & subsequentem justificationem intercedit. Contritionis enim antecedentis causa est liberum arbitrium auxilio gratiæ & habitu fidei adjutum; subsequentis verò idem liberũ arbitrium gratiâ habituali seù gratum faciente formatum.

Diligenter insuper adnotanda est ratio præcipua & continua, quam reddit Alexander, cur Attritio fieri non possit Contritio. Supponit enim id quod alii docebant, Attritionem & Contritionem in se consideratas, unius & ejusdem esse substantiæ. Impotentiæ enim rationem petit à naturâ motus & actionis, quæ in perpetuo fluxu consistit donec terminum ad quem assecuta fuerit. Ita-

que partes præcedentes in instanti quo motus Attritionis in Contritionem evadit, effluxerunt, evanuerunt, & consequenter informari Contritione non possunt. Sed Attritionis habitum, quià permanens est, Contritione informari posse lubens concedit. art. 4. memb. 5. q. 17. respons. ad primum. *Habitus fidei, quia est quoddam permanens, & non successivum adveniente gratiâ potest informari: Attritio autem, quæ est actus; & cujus esse est in fieri, non in permanentiâ, non potest informari adveniente gratiâ.* Deindè in responso ad secundum aliorum affert solutionem, quam non improbat. *Dicunt quidam quod si actus Attritionis, sive doloris non interrumpitur, sed sit ut continuus, quo ad usque gratiâ adveniente anima informetur & gratificetur, tunc Attritio fit Contritio; si interrũpatur, nequaquam.* Hanc solutionem non improbat, licet altera videatur illi arridere magis: *Hujusmodi actus nunquam est ità continuus vel simplex, quin habeat partem & partem, nec una pars potest esse alia: & ità licet bona sit Attritio quantum est de se, id est, de substantiâ motûs, tamen quia deficit & evanescit in suo progressu, quia non habet esse nisi in fieri, adveniente gratiâ non informatur, neque fit Contritio.* Eodem recurrit in respons. ad tertium atque iterum respons. ad quartum & art. 1. in resolutione & alibi. Quæ solutio in S. Bonaventuræ sententiam jam explicatam incidit. Verè enim cum S. Bonaventura & illa quam non improbat opinione dici potest, ultimum illud instans motus Attritionis, quod immediatè subsequitur gratia, Contritionem esse, nomenque illud non minùs mereri quàm ejusdem motus post gratiæ adventum successionem. En de quantillâ re, quanta lis? Nunquid milii grana subtili diligentia cælare & exornare tibi videntur?

Objici iterùm potest Alexandrum illis locis nonnunquam dicere Attritionis principium esse timorem servilem, Contritionis verò initialem, & consequenter objectis differre, atquè ab Attritione amorem esse excludendum. Si Alexandri sententia, quæ in ipsius scriptis clarè lucet, ob oculos proponatur, nullius est momenti objectio. Jam dictum est ipsum multosque illius temporis Theologos Attritioni tribuere omnem interiorem præparationem ad justificationem; ab illâ autem præparatione Contritionem eximere propter rationes jam sæpiùs enarratas. Quis

autem unquam animo sibi finxit solum & nudum timorem servilem, quo hominum nemo præter Tyrannos timeri vellet, præparationem ad justificationem esse sufficientem & postremam? Nunc autem tantisper Attritionis nomen taceamus. Certum est apud omnes Theologos, & experientiâ quotidiana probatur, jamque suprà multis ostendimus, initium præparationis & motus liberi arbitrii in Deum ad remissionem peccatorum assequendam à timore servili frequentissimè fieri. Attritionis nomen nunc resumamus. Attritio quamlibet ad justificationem præparationem significat, atquè, ut istorum Theologorum verbis utamur, quicquid à gratiâ gratis datâ, ut justificemur procedit. Ordinariâ igitur lege necesse est à timore servili oriatur Attritio. Quid in hac re insolens, cum recentiores omnes Theologi post S. Augustinum de catechizandis rudibus doceant Contritionem ab amore Dei raro, à timore pœnæ ferè semper originem ducere?

Deniquè quicquid de Contritione nunc dicitur, illi de Attritione affirmabant, eo quod, ut singulis ferè periodis quatuor articulorum, quos de Attritione disputavit, repetit Alexander, Contritionis principium sit gratia gratum faciens; Attritionis verò, gratia gratis data. Contritionis, fides formata; Attritionis, fides informis. Ideò ut nunc Contritio gratiam gratum facientem dicitur præcedere, & ad eam proximè disponere; gratiam verò gratis datam subsequi: Sic & illi de Attritione philosophabantur. Quis autem asserere vellet in solo & nudo timore servili Contritionem consistere? Sic & eorum nemo credidit unquam Attritionem, cui munus hodiernæ Contritionis tribuebant, solo timore servili definiendam esse. Quid igitur? Attritioni propter causas dictas, non quemlibet amorem, sed amorem gratuitum negabant. Nam, ut ait, in 4. sent. S. Thomas in eandem dist. 17. q. 1. art. 3. quæstiuncula 3. respons. ad. 2. *Timor est remota dispositio ad gratiam: nunquam enim ad gratiam attingit, nisi amor adjungatur.*

Audiamus hac in causâ Guillelmum parisiensem antiquissimum eorum, quos novimus, Attritionis autorem. Ita cap. 7. libri de Pœnit. *Necesse est, ut moveatur, qui atteritur, vel conteritur de peccatis, motu fidei seu aliâ apprehensione, & ite-*

rum motu spei. Non enim veniret ad Sacramentum Pœnitentiale nisi speraret de veniâ obtinendâ, & gratiâ amissâ recuperandâ. Necesse etiam est, ut moveatur motu dilectionis alicujus, sive sit illa charitas, sive non. Non enim quæreret per pœnitentiale Sacramentum veniam & gratiam, nisi diligeret & desideraret illas. Quod autem ad amorem non gratuitum, qui à gratiâ gratis data, sive ab auxilio gratię fluit, illum hac in causâ patùm curantes, cum timore servili confundebant, ut, nullâ amoris in attritione factâ mentione, distinctio attritionis à contritione per timorem & amorem magis eluceret: unde Alexander objectioni de amore sic occurrit att. 1. *Si dicas quod non solum timor est principium Attritionis, imò aliquis amor. hoc nihil est:* Tanti comtemptûs rationem audi: *Quia ille amor non esset formatus, nec informandus: non enim ponitur charitas esse informis & formata.* S. quoque Thomas in 4. l. dist. 14. q. 1. art. 2. q. 2. *Quandoque motus amoris motum pœnitentiæ præcedit: Sed ille amor non est charitatis; quia charitas amissa non recuperatur nisi per contritionem &c.* Ita quoquoque de dolore, qui amori in Attritione & Contritione conjungitur, quemque Attritionis & Contritionis nomina propriè notaut, & de cæteris quæ ab utraque gratia procedunt, philosophabantur. Aliquid, inquit Alexander, à Deo requiritur in præparatione ad justificationem, aliquid à nobis. A Deo requiritur gratia gratis data, à nobis dolor Attritionis, similiter & ad actum justificationis: à Deo requiritur gratia gratum faciens, à nobis Contritio.

Itaque omnium, quæ antecedunt justificationem, principia ab iis, quæ eam consequuntur, eâdem ratione diversa sunt. Attritionis autem & Contritionis motiva ad earum discriminationem nullo modo attendebant. Ideò Guillelmus Parisiensis de motivis Contritionis differens, quæ decem numero enarrat, ea promiscuè Contritioni tribuit & Attritioni. In fine cap. 6. de Pœnit. *Quia ergo motiva principia motuum istorum æqualia sunt, & æquè mota sunt, & æquè dignum & justum est istis motibus persequi, impugnare, arcere, & conterere veterem hominem, quæ æqualiter in attritione & contritione veteris hominis requiruntur.* Deinde cap. 8. initio evidenter declarat quid intelligat per attritionem, & quæ soleant esse ipsius motiva. *Post hac debes*

ſcire quod ipſa contritio &c. Suſcitatione pueri, quem ſuſcitavit Elizæus 4. Reg. 4. & ſanatione pueri, quem Salvator in Evangelio Joannis 4. ſanaſſe legitur, figuratur. Motus verò præparatorii, ſcilicet attritionis, & gratiæ præparantis ſeptem oſcitationibus pueri Elizæi, & ſeptem horis de quibus in 4. Joannis legitur, quod horâ ſeptimâ reliquit eum febris, congruenter intelliguntur. Quamobrem verò per illa ſeptem motus contritionis & juſtificationis præparatorii rectè intelliguntur, & quænam ſunt illa myſteria, cujus figuræ erant ſeptem illæ oſcitationes, & ſeptem horæ, ſtatim explicat doctiſſimus ille Pariſienſis Epiſcopus; *Per ſeptem enim univerſitas gratiæ prævenientis & præparantis rectè intelligitur: tum propter ſeptenarium, qui eſt numerus univerſitatis, tum propter ſeptiformem ſpiritum, tum propter univerſitatem vitiorum &c. tum propter ſeptem operationes Spiritûs Sancti, quas in cordibus pœnitentium præparans, atque purificans plerumque & frequentiùs operatur. &c.* Et poſt aliquot periodos quibus attrionem ſeptem illis Spiritûs Sancti operationibus conſtantem explicat, allatâque citharistæ ſimilitudine ſubjicit: *Sic Spiritus Sanctus cor formavit excavatione humilitatis citharam, & nervis virtutum aptavit ad ſpirituales reſonantias, & variis ordinibus tangens hujus modi nervos, varias modulationes, Attritionem & orationem conficit, & componit ex earundem virtutum atque donorum ſonis, hoc eſt, motibus & operationibus internis.* Eodem modo igitur de utriuſque motivis & objectis loquebantur, nec inter eos de hac re lis unquam fuiſſe legitur. Attritionis autem initium non autem Contritionis, timori ſervili neceſſitate doctrinæ ſuæ coacti tribuebant: Quia timor ſervilis à gratiâ gratis data fluere tantum poteſt, nuſquam autem à gratiâ gratum faciente, niſi charitate & timore filiali permiſta ſit. Ideò ſæpè leges apud eos Contritionem à timore initiali oriri, Attritionem à ſervili propter cauſas toties dictas: quia Contritio gratiam gratum facientem conſequitur, quæ timorem purè ſervilem pati non poteſt; Attritio verò gratiam gratis datam, quæ timoris ſervilis cauſa eſt & principium. Verùm attributio illa & appropriatio non impediebat cætera omnia motiva, quibus anima quævis peccatrix ad juſtificationem præparari poteſt. Specialis autem attributionis illius rationes planè ceſſant

ſant apud eos qui Contritionem docent juſtificationem præcedere, atque ad eam præparare. Nihil enim prorsùs obſtat in eâ ſententiâ, quin Contritio ex æquo cum Attritione à timore ſervili originem ducat, & ab eo primum excitetur. Objectioni ex S. Thoma idem eſt reſponſum, atque eò validiùs quo aliundè conſtat ex ipſius ſententiâ Contritionem non ſubſequi juſtificationem, ſed comitari. Deindè S. Thomas nihil videtur aſſerere, ſed tantum utrâque opinione cum fundamentis relata, in poſteriorem inclinatior.

CAPUT V.

Quâ occaſione & ratione ſcholaſtici antiqui ad Confeſſionem tranſtulerint, quod docuerant de Attritione, ratione habitâ ad gratiam gratum facientem & Contritionem. An præparationis ſeù Attritionis imperfectionem Confeſſio vel Abſolutio reſarciret in ſententia Scholaſticorum? An & quomodo poteſtas clavium ſe extendat ad culpæ deletionem? Quid agat Abſolutio deprecativa, quid indicativa? Quid de ficte ad Confeſſionem accedentibus Guillelmus Pariſienſis opinatus ſit?

CUM igitur illius temporis ſcholaſtici Doctores de Attritione, ratione habitâ ad gratiam gratum facientem & Contritionem ita docerent, ipſis facile fuit eandem doctrinam ad Confeſſionem & claves Eccleſiæ transferre, quod eſt nobis ſecundo loco diſcutiendum. Unicum autem fuit illis utriuſque tranſlationis initium, occaſio & fundamentum. Demonſtratum eſt, quid quid ad præparationem juſtificationis ſpectat, Attritionis nomine Doctores iſtos ſignificaſſe. Hâc doctrinâ ſemel ſtabilitâ, hæc quæſtio velut ſponte nata eſt: an ſi quid de præparatione illâ deficit pœnitenti ad confeſſionem bonâ fide accedenti, & quantum in ſe

fuit, legitimè dispoſito, id illi in ipſo confeſſionis actu, atque etiam per abſolutionis verba non reſarciatur? Huic quæſtioni reſponſuri abſolutionem in duas partes diſtinxerunt, in partem deprecativam & indicativam. Preces ſacerdotis, quæ indicativum modum præcedunt, à Deo impetrare dixerunt id quod præparationi deficiebat, ut culpa deleretur, ſive precibus illis à Deo culpæ expunctionem impetrari. Eam enim partem, quæ indicativo modo enunciatur, pœnitentem juſtificatum juridicè declarare, pœnamque peccatis debitam, quæ aliàs intolerabilis eſſet, plurimùm minuere, tolerabilemque virtute ſuâ reddere, atque ut hoc fiat & ſignificetur, abſolutionem utroque modo tradi ſolere, eſſeque tradendam. Prætereà idem Confeſſioni ob illius humilitatem & meritum tribuerunt.

Notabit autem lector hanc quæſtionem, quatenùs his terminis aut æquivalentibus proponitur; (an quis attritus tantùm, ſed ſe bonâ fide contritum judicans, Sacramenti virtute conteratur, gratiamque conſequatur?) Ab iſtis Doctoribus nunquam proponi, ut præcedens quæſtio ab iis propoſita eſt. Nondum enim natæ erant de his quæſtionibus velitationes ſcholaſticæ; ſed aliud agentibus difficultas hæc occurrens, ab iis ex æquo & bono clementer ſolvitur. De priore difficultate ſententiam affirmantem ferunt, affirmationiſque ſuæ præclaram rationem reddunt. Sed præſtat eos audire ſententiam ſuam explicantes. Alexander Halenſis lib. 4. q. 21. memb. 1. diſcutiens, an poteſtas clavium ad culpam ſe extendat. Primùm refutat eorum ſententiam, qui opinantur eatenus tantum ad culpam ſe extendere, quatenùs propoſito confitendi inſunt, quod Contritio amplectitur. Deindè aliorum ſententiam, quam ſequitur, his verbis explicat. *Alii dicunt aliter, ſcilicet quod habens clavem per poteſtatem clavis mediator eſt Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipſum peccator aſcendit ad Deum, & ſic eſt ſacerdos os peccatoris &c. & per ipſum deſcendit Deus ad hominem, & ſic eſt Sacerdos os Dei, eo quod ſeparat pretioſum à vili. Secundum quod aſcendit, habet ſe per modum inferioris & ſupplicantis; ſecundum quod deſcendit, per modum ſuperioris & judicantis. Secundùm primum modum poteſt gratiam impetrare, & ad hoc eſt idoneus. Secundùm modum ſecundum poteſt Eccleſia re-*

conciliare. Et ideo in signum hujus in formâ absolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit. Nunquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret quod esset absolutus à Deo. His sic explicatis tandem colligit *Si ergo quæratur, utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam: dicendum, quod benè potest se extendere per modum deprecantis, & impetrantis absolutionem; sed per modum impertientis, nequaquam. Quoniam ergo potestas sonat in actionem impertientem ex se, potest dici convenienter & verè, quod non extendat se supra culpam.*

Idem & eodem modo de S. Bonaventura sentiendum est, cujus verba non referimus, eo quod de verbo ad verbum Alexandri sententiam exscripsit, ut legere potes in lib. 4. dist. 18. art. 2. q. 1. hoc tantum interest, quod Alexander nullam Attritionis expressam mentionem fecerit: Ratiocinium tamen ipsius Attritionis imperfectæ fundamento nititur, ut initio hujus capitis explicatum est. Sanctus autem Bonaventura in refutationem prioris sententiæ addidit hæc verba: *Possibile est quod aliquis ad absolutionẽ accedat attritus sicut ad baptismum, quare tunc non fiet Attritio Contritio, cum non sit fictus.* Bonâ fide enim contritum se existimans accedit.

Hæc sententia fuisse videtur eo tempore Doctoribus Parisiensibus acceptissima, ut colligitur ex his S. Thomæ verbis opusculi 22. c. 2. *Nunquid etiam si nunc viverent præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisius regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis: Ego te absolvo: absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* Cum enim eandem formæ necessitatem docerent, iisdem omninò credendum est rationibus fultos fuisse, quibus Alexander & Bonaventura. Idem etiam colligitur ex initio cap. 3. ubi S. Thomæ adversarius eandem coniungit in absolutione deprecationis cum indicatione necessitatem, eandemque ponit deprecationis rationem, quam ipse S. Thomas approbat si intelligatur, quod *præmittitur oratio ut impetretur confitenti idoneitas ad suscipiendum effectum Sacramenti.* Testatur præterea orationem illam totius Ecclesiæ nomine à sacerdote celebrari. Eadem senten-

tia longo post tempore ab Hadriano Papa in 4. de Sacramento Confessionis, ubi de clavibus. §. *Sed his duabus* fusè ex S. Bonaventurâ & Alexandro refertur, laudatur, non improbatur. Et Quodlib. 5. in 3. *Principali*: relatam iterum S. Bonaventuræ & Alexandri sententiam ut probabilem, se indiscussam ait præterire.

Quod de absolutione deprecativâ definierunt, id de ipso confessionis actu in eâdem hypothesi docuerunt. Hypothesis est, cum quis sese ad confessionem præparans facit quod in se est ut conteratur, probabiliterque sese existimans contritum ad confessionem accedit, tùm, inquiunt, confessio & absolutio, atque etiam satisfactio culpæ deletionem causantur, gratiamque, quàm anteà non habebant, absolutionis virtute, & confessionis satisfactionisque merito acquirunt. Verùm eos sese explicantes audiamus.

Quærit Alexander Halensis lib. 4. q. 14. memb. 2. art. 1. §. 3. An remissio peccati sit res Sacramenti pœnitentiæ ratione culpæ, vel etiam pœnæ. Sic resolvit, secundum quod pœnitentia est Ecclesiæ Sacramentum, illius rem esse duplicem, remissionem peccati & Contritionem: remissionem esse rem tantum; Contritionem, rem & Sacramentum: Sacramentum pœnitentiæ respectu Contritionis esse signum & causam remissionis peccatorum & quantũ ad culpę deletionem, & quantũ ad deletionem pœnæ, scilicet commutatione pœnæ æternæ in temporalem: *Confessio verò*, inquit, *cum subjectione arbitrio sacerdotis, est signum remissionis peccati quantùm ad culpam, & signum & causa remissionis quantum ad pœnam aliquam: confessio enim ratione erubescentiæ est magna pars pœnitentiæ. Similiter satisfactio pœnitentiæ injunctæ est signum & causa remissionis peccati quantum ad pœnam, & signum tantùm deletionis quantum ad culpam.* Adnotet nunc lector quæ addat Alexander, & quæ excipiat: *Sic igitur Pœnitentia exterior scilicet confessio & satisfactio, sivè susceptio pœnitentiæ injunctæ sunt signum remissionis peccati quantum ad culpam, & causa quantum ad pœnam; & hoc dico Contritione præcedente confessionem. Si autem pœnitens præparatus, quantum in se est, accedat ad Confessionem attritus, non contritus, dico quod Confessio cum subjectione arbitrio sacerdotis, & satisfactio pœnitentiæ injunctæ à sacerdote,*

est signum & causa deletionis culpæ & pœnæ, quia sic subjiciendo se, & satisfaciendo gratiam acquirit. In tali enim casu est verum quod dicit glossa super illud: Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, quæ est, confitendo fit homo pulchrior: Si ergo amas pulchritudinem, confitere, ut sis pulcher, id est, justus &c. Similiter in hoc casu habet locum hoc verbum Isidori, quod est: Ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit.

Præcipuum Alexandri argumentum hoc est, efficacia esse Sacramenta, quando in suscipiente nullum occurrit impedimentum. Nullum autem occurrit, quando in præparatione, quicquid suæ est potestatis præstat. Ideò sic præparato & disposito, & post modum ad confessionem accedenti, & sacerdotis arbitrio se subjicienti, & legitimè, quantum in se fuit, auxiliis gratiæ dispostito, id quod fortè dispositioni interiori deerat, illarum actionum Sacramentalium virtute in animâ sufficitur, ut in eam gratia justificans à Deo infundatur. Ideò responso ad secundum ità definit. *Quomodo autem remittitur culpa humano ministerio, habet quæstionem. Securè tamen, ut existimo, dici potest remissionem peccati esse à Deo effectivè, ab ipso Sacramento dispositivè, à gratiâ formaliter.* Est igitur, ut paucis verbis rem complectar, Alexandri sententia, pœnitentem nondùm re verâ sufficienter ad reconciliationem cum Deo dispositum, ad eam tamen, postquam id quod in se est, fecit, ut Contritionis dolorem compararet, bonâ fide accedentem, ipsis confessionis & satisfactionis actibus sese ad remissionem peccatorum & gratiæ infusionem sufficienter disponere: eo quod actus illi sincerè facti dispositionem augeant, atque ex Attrito contritum sæpè reddant.

Quæri tandem potest, quid, si attritus, non autem contritus, sed contritum se se credens ad confessionem accedat, eamque ità remissè adeat, ut nec per eam, nec per preces sacerdotis confesssioni subjunctas fiat contritus. Numquid ejusmodi pœnitens virtute absolutionis gratiam acquirit? Sanè hoc negat Alexander absolutè & sæpiùs q. 18. art. 4. §. 7. ubi quærit an teneamur confiteri ex charitate. Concedit ejusmodi non peccare, neq; ad reiterandã confessionẽ teneri, sed gratiã sibi non comparare.

Utrùm non contritus, si confiteatur in mortali, ut obediat Ecclesiæ, & ut gratiam inveniat, &c.

Omittat sic confitendo? Dicendum quod non, sicut dicunt magistri, sed absolutus est à præcepto Ecclesiæ: unde licet securiùs esset iterùm confiteri, tamen non est necesse &c. quia ex parte Sacerdotis non erravit clavis, licet ex parte confitentis defuit dispositio conveniens absolutioni. Antecedentia & consequentia legat lector, si in Alexandri sententiam ampliùs inquirere velit. Eadem est S. Bonaventuræ sententia quam dilucidè explicat, & egregiis rationibus confirmat in 4. dist. 17. part. 2. art. 2. q. 4. ubi quærit an teneamur ex charitate confiteri, & sic definit: *Sicut dictum est in præcedentibus, scilicet quod non tenemur ad Eucharistiam accedere cum charitate secundum veritatem, sed sufficit quod secundum probabilitatem. Sic dico quod ad Sacramentum pœnitentiæ non est necesse quod accedat habens charitatem, vel dispositionem ad charitatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Hæc autem dispositio attritio est, quæ frequenter ob confessionem superadjunctam & absolutionem sacerdotis formatur per gratiam ut fiat Contritio, sive ut ad ipsam subsequatur Contritio, & multis ibi gratia conceditur. Undè dico quod sufficit, quod probabiliter se disponat ad gratiam per omnium peccatorum detestationem.* Considerandum quoque est tertium argumentum quod sibi objicit, & quam illi affert solutionem. Tres sunt pœnitentiæ partes sic ordinatæ, Contritio, confessio & satisfactio. Qui tenetur igitur ad pœnitentiam, ad hæc tria eo ordine tenetur. Ergo prius ad Contritionem. Respondet sanctus Contritionem duo complecti, peccati detestationem & gratiæ informationem. *Ratione primi oportet*, inquit, *quod præcedat, alioquin Confessio est sub fictione. Ratione secundi non oportet, quia in hoc non consistit fictio, cum nemo illud in se habere sciat.* Attritio igitur S°. Bonaventuræ est ipse Contritionis dolor, qui nondum ad eum gradum pervenit, qui gratiâ informatur. Si enim ad eum pervenisset gradum, eo ipso verâ Contritione præditus esset, dolorque ipsius gratiâ formatus. Ex sententiâ enim S. Bonaventuræ, & omnium sui temporis Doctorum gratia immediatè & ex rei necessario nexu Contritionem subsequitur. Hunc igitur doloris gradum, qui Attritionis limites non excedit, si probabiliter pœnitens credit esse Contritionem; (nisi enim id probabiliter crederet fictus ad confessionem accederet,) ob confes-

ſionem ſuperadjunctam, & ſacerdotalium precum acceſſionem in veram Contritionem aſſurgere & tranſire aſſerit: cujus rei duplicem rationem reddit. Probabilis Contritionis opinio accedentem ad Euchariſtiam non modò excuſat à peccato, ſed etiam Sacramenti meritum confert; multò magis idem in Sacramento pœnitentiæ præſtabit. Deindè rem ità ſe habere prorſùs neceſſe eſt: Quis enim certò novit an gratiâ dignus ſit, an odio?

Dilucidiùs adhuc ſententiam ſuam explicat quartæ reſpondens difficultati, quæ eſt ejuſmodi. Abſolutio, quæ confeſſionem ſequi debet, pœnam reſpicit non culpam. Præceſſiſſe igitur debuit culpæ remiſſio, & conſequenter charitas Sacramentum pœnitentiæ, ut abſolutio cum fructu ſuſcipiatur. Prima propoſitio S°. Bonaventuræ eſt acceptiſſima, ut jam vidimus, ubi de virtute clavium actum eſt, ipſeque eam ſic approbat, & inferiùs eam ſe probaturum pollicetur. Nunc audiamus hoc conceſſo quid reſpondeat. *Dicendum quod nemo recipit effectum* (Sacramenti) *niſi charitatem habeat, ſaltem in principio Confeſſionis, vel in medio, vel in fine; multi autem habent in fine, qui tamen non habent in principio; & alii ſe credunt habere in principio & in fine, qui fortaſſis non habent, & aliqui non habent, nec credunt ſe habere. Primi non incurrunt offenſam, ſed acquirunt gratiam. Secundi evadunt offenſam, quamvis non acquirant gratiam. Tertii verò non acquirunt gratiam ſed iram.* Ex quibus verbis tria hæc capita evidentiſſimè colliguntur. Primum, non eſſe neceſſe ut quis ad confeſſionem accedens charitatem habeat, ſufficere ut id probabiliter credat. Secundum neceſſe eſſe ut ſaltem in fine Confeſſionis charitatem habeat, ut cum fructu abſolvi poſſit. Finem enim confeſſionis vult potiſſimùm attendi. Nam quis poſſet charitate initio Confeſſionis præditus eſſe, & in fine vel ipſam perdere, vel eam ita culpâ ſuâ remittere, ut gratiæ habituali infundendæ par non eſſet? Tertium non ſufficere pœnitenti credere ſe eſſe contritum, ut gratiam in Sacramento conſequatur, ſed oportere eum re verâ eſſe contritum in fine ſaltem Confeſſionis; bona tamen illa fides facit, ut fictus ad Sacramentum non accedat, crimenque confitendo non incurrat. Quartum, qui accedit ad Sacramentum, nec contritus, nec ſe

contritum credens, sacrilegium perpetrare.

Paulò ante Doctores istos idem docuerat Guillelmus Parisiensis Episcopus, nihil tamen asseverans, sed piè Catholicorum fidei totũ commendans. Ità ille c. 4. lib. de pœnit. *Tertiò sanctificat virtute divinâ, & hoc ut Sacramentum videlicet per absolutionem & benedictionem ritè factam, necesse est virtutem divinam adesse, & quod postulatur, tribuere, nisi steterit per pœnitentem &c. Ad absolutionem siquidem, & benedictionem sacerdotalem ritè factam dirumpi vincula peccatorum, effugari maledicta ipsorum, advenire spiritus sancti gratiam ad sanctificandum & implendum pœnitentem, nisi hoc ipse impedierit, nullatenus dubitamus. Frustrà enim tanta pietatis officium, omnipotentissimus ac clementissimus Deus in Ecclesiâ suâ instituisset, proditioseque pœnitentibus illuderet, si sacerdotum ministerio in eorum benedictionibus & absolutionibus adesse nollet pœnitentibus. Ergo qui jam sanctificati, jam à vinculis peccatorum absoluti, jam gratiæ pristinæ restituti, sacerdotalem benedictionem & absolutionem peccata sua confessi recipiunt, pie credimus, ac sentimus ipsam gratiam, quam afferunt Sacramento pœnitentiæ, sacerdotali ministerio adaugeri.* Hoc primùm magnificè asserit, gratiâ jam donatos, cum confitentur, & absolvuntur ampliore gratiâ donari, quod primi scholastici dixisse non deprehenduntur. Obiter notabit lector Guillelmum per benedictionem & absolutionem sacerdotalem preces deprecatorias, non secùs quam Alexander & Bonaventura intelligere, quum, ut alibi probabimus, in iis potissimum absolutionis Sacramentalis partẽ reposuerit. Sed hoc non contentus pergit ad primæ gratiæ consecutionem istius Sacramenti virtute adstruendam. Nam, ut ait, *amplissime atque magnifice de clavibus Ecclesia potestate & sacerdotali ministerio sentiendum esse non dubitamus.*

Consideremus igitur, quid vocet amplissimam & magnificam de potestate clavium opinionem. Dixerat priùs quatuor esse necessaria, ut sanctificationi pœnitentiali in Sacramento recipiendæ aliquis sufficienter præpararetur. 1. Est sanctificationis acquirendæ desiderium. 2. Fides eam per illud Sacramentum obtinendi. 3. Firmum in peccata mortalia non relabendi propositum 4. Voluntas pro peccatis satisfaciendi, vitamque ad sacerdotis arbitrium componendi.

Ex

Ex quo, inquit, *consequens; ut se ipsum tradat instituendum atque regendum eisdem, & propter hoc, ut ipse per confessionem se coram ipsis accuset, & alias judicii partes contra seipsum, hoc est, in sui tormentum & contumeliam pro Deo, hoc est, pro honore ejus & gloriâ prosequatur.* In quo igitur ampla illa & magnifica de clavium potestate sententia posita sit, paulò post explicat: *Pié etiam credimus & sentimus, iis, qui cum fide hujus Sacramenti & vehementi desiderio redeundi in Dei pacem & gratiam, licet timore infirmitatis suæ & oppressione malæ consuetudinis propositũ abstinendi à consuetis & eadem emendandi non habeant, interdum de divinæ pietatis abundantiâ, virtute clavium & sacramenti istius præstari hujusmodi propositum & infundi: conantibus enim ad Deum reverti, dexteram auxilii sui porrigere patrem misericordiarum dubitandum non est.* Sententiam istam illustrat exemplo Evangelico. *Quemadmodum ille, qui lunaticum filium attulit ad Dominum Jesum, Marci. 9. credere quidem nitebatur, sed nondum fidem, ad quam conabatur, habebat, propter quod & dicebat: credo Domine, adiuva incredulitatem meam; merito tamen sui conatûs & filio sanitatem, & ipsemet fidei donum obtinuit: sic de similiter conantibus, quod præsto sit eis divinæ beneficentiæ auxilium, pia fides non dubitat.*

Itaque opinatur iis, qui vehementi desiderio in gratiam cum deo redeundi tenentur conantùrque, quantum in ipsis est, a peccatis in posterum abstinere, sed propter infirmitatem de hoc proposito exequendo plurimùm diffidunt, ad confessionem accedendum esse; eo quod sæpe ejusmodi à peccatis abstinendi propositum; hoc est, certa, rata & efficax non peccandi in posterum voluntas, virtute clavium ipsis præstatur & infunditur, nec eis expectandum esse donec certitudine aliquâ de charitate sibi inhærente vitiorùmque suorum mundatione securi reddantur: cum charitas illa vitiorùmque mundatio ipsis ante confessionem, si non adsit, confessionis & sacerdotalis benedictionis virtute ad eam acquirendam pro virili conantibus adfutura sit. *Quemadmodum*, inquit, *in primitivâ Ecclesiâ simpliciter interrogabantur baptizandi, utrum crederent. utrum Diabolo & pompis ejus renuntiarent, utrum baptizari vellent? nec interrogabantur, utrum essent mundi à peccatis, an non, & utrum in charitate essent. &c.*

sed magis virtute baptismi hoc eis præstandum præparabatur, sic & in Sacramento pœnitentiali dignè & devotè accedentibus, præstari credimus, quod intendunt, eo quod venientes nondum habent propter quod, & per Sacramentum illud quærunt. Videtur evidentur necessitatem contritionis & statûs, ut vocant, gratiæ ab iis, qui Sacramentum pœnitentiæ suscipiunt excludere, ab iisque tantum requirere præter fervens Deo sese reconciliandi desiderium, conatum à peccatis abstinendi, licet illum propter peccandi consuetudinem sibi esse infirmum sentire videantur.

Rem eandem cap. 6. aliis sed paucioribus verbis explicat, quæ tamen ea, quæ jam retulimus, illustrare possunt. *Jam diximus in præcedentibus quia sufficit ut dolor vulnerum peccatorum tantus sit, qui faciat ægrum quærere pœnitentialis Sacramenti medicinam, tradereque se regendum ac medicandum spirituali medico videlicet Confessori. Diximus etiam plerumque quod minus habent artificii & quod minus habent motus ejusdem de mortificatione veteris hominis, supplet & superaddit virtus, & efficacia Sacramenti pœnitentialis.* Multis insuper ibidem explicat sæpiùs contingere, ut pœnitentes dolorem: qui ipsis inest, non sentiant, & ideò quià eum non sentiunt à confessione non esse deterrendos, non modò quia hunc dolorem in iis, qui illius desiderio fervent, superaddit virtus Sacramenti; verùm etiam, quià sæpè hic dolor pœnitentibus inest, qui eum non sentiunt. *Non enim qui magis sentitur ignis, major est, nec qui major est, magis sentitur ex necessitate.* Cujus rei argumentis à ratione & experientiâ petitis subjicit. *Hic est modus, quo animæ nostræ se habent in istâ corruptione, in quâ sumus, ad ignem spiritualem, qui est charitas Domini, in ipso enim manentes, illum plerumque non sentiunt*, (negativa particula necessariò reponenda) *interdum autem ad modicum illum sentiunt: unde vix est qui dicere audeat, se sentire charitatem, vel se esse aut manere in illâ. Juxtà hunc modum dicendum est de dolore: non enim ideò minor in quibusdam, quia minus sentitur, quemadmodum neque amor.* Id illustrat exemplo Abrahæ Genes. 22. *Ubi dixit Dominus, nunc cognovi, id est cognoscere te feci, non sciebat Abraham, vel non sentiebat in se tantum donum timoris Dei, quantum experimento obediens se habere cognovit.*

CAPUT SEXTUM.

S. Thomæ ſententia de neceſſitate Contritionis ante Abſolutionem refertur. Per pœnitentiæ Sacramentum ad gratiam recipiendam eum diſponi, qui ante diſpoſitus perfectè non erat. Diſcrimen inter S. Thomæ & aliorum doctrinam de virtute clavium.

NUNC eſt nobis inquirendum quæ fuerit ſancti Thomæ ſententia, & quatenus à præcedentium Doctorum placitis diſſentiat. Evidenter ex ſcriptis S. Thomæ colligi videtur contritionem eſſe Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendo ita neceſſariam, ut ſine ipſa Sacramenti fructus non percipiatur. Hoc docet in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula 1. & repetitur in ſupplemento q. 9. art. 1. ubi quærit an confeſſio poſſit eſſe informis, hoc eſt fieri ſine charitate, alii antè ipſum quærebant; an confeſſio fieri deberet ex charitate. Diſtinguit ſanctus Thomas inter confeſſionem validam, id eſt, quæ iterari non debeat, & confeſſionem quam fructus Sacramenti conſequitur, affirmatque confeſſionem ſine Contritione eſſe fictam, validam tamen id eſt non reiterandam, fructumque Sacramenti fictione recedente, recipere. Eam verò quæ Contritioni conjuncta eſt, gratiæ Sacramentalis fructum reportare. *Confeſſio poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua ſacerdoti pendere & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicere. Et quamvis tunc non percipiat abſolutionem, fructum tamen, recedente fictione, percipere incipiet, ſicut etiam eſt, & in aliis Sacramentis; unde non tenetur, iterare confeſſionem qui fictus accedit; ſed tenetur poſt modum fictionem ſuam confiteri, quod ſcilicet non contritus abſolutionem acceperit.* Ex quibus verbis neceſſariò conſequi videtur, attritum accedentem ad confeſſionem fictè confiteri, ſic iſta verba intellexit, & iis fultus ſic docuit Joannes de Friburgo ſummæ lib. 3. tit. 34. q. 66. adde præ cæteris, quæ ex S. Thomâ q.

73. Undè & q. 89. Petrus quoque de Tarantasiâ, sivè Innocentius V. quem in suæ sententiæ confirmationem citat: Sic quoque illa intellexit, & iis fultus docuit Bernardus de Gannaco, ut refert Capreolus in 4. dist. 17. q. 2.

In dist. 21. q. 2. art. 2. resp. ad 4. distinguit inter ignorantiam juris divini & facti, docetque ignorantiam juris divini à fictione non excusare ignorantiam vero facti excusare; *Sed*, inquit, *oblivio actus peccati habet ignorantiam facti, & ideò excusat à peccato fictionis, in confessione, quod fructum absolutionis & confessionis impedit.* Fictio itaque impedit fructum absolutionis: sed non contritus accedens ad confessionem, fictus, inquit, accedit. Ergo non contritus confitens absolutionis fructum non percipit. Itaque ut quis Sacramenti istius effectum & fructum consequatur, vel antè vel in ipsâ confessione conteratur necesse est.

Idem non minùs evidenter docet solutio primi argumenti a. 4. q. 3. dist. 17. in 4. & in supplem. q. 9. a. 1. ad 1. Opposuerat hoc Ecclesistici dictum. *A mortuo, velut qui non est, perit confesio.* Respondet sanctus, *quod autoritas illa intelligenda est quantum ad fructum confessionis percipiendum, quem nullus extrà charitatem existens percipit.* Ut non breviùs, sic nec clariùs sententiam suam exprimere potuit. Fructum Sacramenti nullus percipit extrà charitatem existens. Attritus extrà charitatem existit, ut omnes fatentur, ergò attritus istius Sacramenti fructum non percipit, fictus igitur ad confessionem accedit, sed cum suscepto Sacramento conteretur, tùm demùm suscepti Sacramenti fructum consequetur. Hoc optimè cum S. Thomæ doctrinâ consentit, qui multis locis, ut 3. p. q. 62. art. 2. & ibid. q. 65. art. 1. & quæst. disput. de veritate q. 27. art. 5. respons. ad 12. gratiam Sacramentalem docet addere suprà gratiam gratum facientem, supràque dona, & virtutes *divinum quoddam auxilium ad consequendum Sacramenti effectum*, sive illud sit donum habituale à præcedente gratiâ distinctum, sive illius tantum sit extensivum parùm refert, non contritus igitur juxtà sanctum Thomam confitens, nihil horum adipiscitur, sed reiterandæ tantum confessionis debito exolvitur; cum verò posteà conteretur, vi antecedentis confessionis, non modò gratiam gratum facientem, dona-

que virtutum recuperabit, sed etiam gratiam Sacramento pœnitentiæ peculiariter convenientem. In hac definitionis recessu doctrinâ, nonnulli casus occurrunt difficiles, quos infrà examinabimus; nunc autem satis est constare nobis idem esse S. Thomæ accedere ad confessionem non contritum & fictum.

In eodem præterea articulo 2. q. 2. dist. 21. in 4. in quæstionis resolutione sive corpore, sic evidenter S. Thomas necessitatem perfectæ contritionis in confessione requirit, ut vix aliquid ipsius verbis addi posse videatur, ideò illa hùc traduxisse sufficiat: *Dicendum est, quod confessio operatur, præsuppositâ contritione; quæ culpam delet, & sic ordinatur confessio directè ad dimissionem pœnæ, quod quidem facit & ex erubescentiâ, quam habet, & ex vi clavium, cui se confitens subjicit.* In responsione ad 2. idem repetit, sed verbis magis strigentibus. *Confessio non operatur, ut dictum est, nisi Contritione præsuppositâ, de quâ quando vera fuerit non potest aliquis scire, sicut nec scire potest an gratiam habeat per certitudinem.* Eadem repetuntur in supplemento q. 10. art. 5.

Eandem Contritionis necessitatem antè absolutionem docet in opusculo 22. c. 2. in respons. ad septimum, quod ab exemplo Lazari ducebatur: *Per hoc ergo non ostenditur, quod sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere: Ego te absolvo, sed quod eum non debet absolvere, in quo signa Contritionis non videt, per quam homo justificatur à Deo, culpâ remissâ.* Et in fine cap. 3. ejusdem opusculi: *Non est periculosum sacerdoti dicere: Ego te absolvo, illis in quibus signa Contritionis videt, quæ sunt dolor de præteritis; & propositum de cætero non peccandi; aliàs absolvere non debet.* Juxtà igitur sanctum Thomam, Contritionem à pœnitente debet exigere confessor, nec enim priùs absolvere quàm contritum probabiliter judicaverit. Probabiliter dico, quis enim se re verâ contritum affirmare audebit, & quâ ratione id de alio præstare poterit? Quicquid sit, docet S. Thomas confessorem teneri non anteà pœnitentem absolvere, quàm signis quibusdam judicaverit, quantùm humanitùs fieri potest, eum esse contritum, & interiùs à Deo absolutum: in eo absolutionis & orationis differentiam constituit, quod absolvere aliquem sacerdos non potest nisi contritum. *Orare autem pro aliquo, ut absolvatur, potest, sive sit con-*

tritus, sive non.

Hæc autem S. Thomæ sententia de necessitate Contritionis ante confessionem nullo modo repugnat alteri sententiæ, quàm alibi non minùs apertè docet, attritum virtute confessionis & absolutionis contritum fieri, Contritionem enim nunquam absolutè dixit accedenti ad confessionem sic esse necessariam, ut nisi vera sit, & omnibus numeris absoluta fructum per absolutionem non reportet, nec quemquam antiquorum patrum ità severum fuisse existimarint ut veram Contritionem confessioni edendæ & reconciliationi præstandæ semper requisierit. Agendum his in rebus hominum infirmitati accommodatiùs; ità tamen ut eorum tepiditati,& segnitiei non adblandiatur sacerdos. Quid igitur S. Thomas? duo videtur docere. Priùs, sacerdoti à pœnitente signa esse veræ Contritionis exigenda, quæ cum probabiliter talia judicaverit, absolutionem ei conferet. Posterius ex priore sequitur, teneri scilicet pœnitentem idem de se judicare, quod sacerdos, ut fructui absolutionis recipiendo sit idoneus. In his duobus casibus, quos distinctè S. Thomas verbis ex opusculo 22. & art. 2. q. 2. in distinct. 21. citatis, notavit. Legitimè potest pœnitens, licet re verà contritus non sit, absolutionem petere, & sacerdos concedere, ex cujus tunc virtute id quod Contritioni deest ad ultimam gratiæ dispositionem supplebitur, evadetque eâdem virtute ex attrito contritus. Nolim tamen lectori persuadere, quodcunque judicium sacerdotis de pœnitente, aut pœnitentis de se ipso, apud Deum esse acceptum & ratum: potest enim & sacerdos pœnitenti aut non satis attendere; aut ei nimium indulgere, & pœnitens in utroque similiter peccare, sed his dimissis, quæ facilè potest quisque sibi ob oculos proponere, ecce testimonia clara & evidentia ex S. Thomæ operibus, quibus attritum aut non sufficienter contritum confessionis & absolutionis virtute conteri nos docet.

Evidens testimonium est in Scripto secundo super sententias ad Hannibaldum Cardinalem lib. 4. dist. 18. q. 1. art. 2. sic rem definit vir sanctus. *Dicendum quod ad aliquid operatur virtus clavium, dispositive, & ad aliquid effective. Dispositive quidem ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, quia sicut per*

quodlibet Sacramentum novæ legis disponitur quis ad gratiam, ità virtute clavium in pœnitentia disponitur pœnitens. Unde si aliquis insufficienter ad gratiam suscipiendam disponeretur, in ipsâ confessione & Sacramentali absolutione disponeretur, & gratiam susciperet, nisi obicem poneret. Si autem priùs sufficienter fuisset dispositus, & gratiam obtinuisset, in pænitentiâ virtute clavium copiosius munus gratiæ reciperet, &c. Operatur autem virtus clavium effectivè ad remissionem alicujus partis pœnæ purgatoriæ, quæ in absolutione relaxatur, & secundum hoc sacerdos dicitur ligare & solvere, quia aliquid de pœnâ temporali remittit, & ad residuum pœnæ obligat, &c. Manifestum est, igitur Sacramentum pœnitentiæ actu receptum ad gratiam suscipiendam eum disponere, qui nondum ad ejus susceptionem perfectè erat dispositus. Quomodò verò disponit? Confessionis & absolutionis virtute & merito: quia scilicet, qui attritus tantùm ad confessionem accedit, ipso confitendi actu, si obicem non ponat, id est, si sincerè & humiliter omnia peccata sua confiteatur, seseque judicio sacerdotis subjiciat, Attritio augetur, fitque Contritio, quâ præsente, gratiam Deus producit. Rectè equidem dispositionis augmentum actuali Sacramento tribuit. Absurdum enim esset, & contrà rerum naturam in materiam nondum dispositam formam introducere, si nondum disposito virtute Sacramenti gratia infunderetur, gratia indigno conferretur, porcis margaritæ conculcandæ projicerentur, atque in animam malevolã, contrà sapientis dictum, sapientia introiret. Sunt enim S. Thomæ & aliorum ejusdem temporis effata: Attritionem semper esse cum peccato mortali, nec eam posse cum Contritione in eodem consistere subjecto, nec igitur, imò multò minùs cum gratiâ.

Rectè igitur dicit, antequam Deus in animâ gratiam remissionis peccatorum inducat, pœnitentem, si nondum sit sufficienter ad ejus susceptionem dispositus, virtute Sacramenti perfici. Si verò, antequam accedat, fuerit sufficienter dispositus, gratiamque in sinu suo gestaverit, accessione gratiam augeri, ut prætereà evidentissimè docet quodlibet 1. 4. q. 7. art. 1. in sol. *Si quis in ipsa absolutione incipit conteri, & claves Ecclesiæ habere in voto, in ipsâ absolutione sacerdotis, culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc Sacramento, unde*

quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam Contritionis consequuntur. Ex quibus manifestissimum est S. Thomam eo tempore nullum alium Sacramenti effectum in gratiam præter hanc animi dispositionem, quam Contritionis gratiam vocat, agnovisse. Cætera ex ejus sententiâ pœnam temporalem spectasse cujus ratione sacerdotes dicuntur solvere & ligare eo modo, quem ipse explicat.

Eumdem operandi modum explicat in commentario in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. Pœnitentiam baptismo comparat, atque in eo discrimen ponit, quod ab Infantibus nullam præparationem postulet, *Sed*, inquit, *per Pœnitentiæ Sacramentum nunquam datur gratia, nisi præparatio adsit, vel prius fuerit: unde virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in voto existens, vel etiam in actu se exercens, sicut & aqua baptismi. Sed sicut baptismus non agit ut principale agens, sed ut instrumentum non quidem pertingens ad ipsam gratiæ susceptionem causandam, etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam, perquam fit remissio culpæ Ita est de postestate clavium &c. sic patet quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsâ confessione & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur; si obicem non poneret.* Si enim, dùm confitetur, eam, quæ requiritur, humilitatem, sinceritatem &c. quæ requiruntur, non afferat, Attritionem, quâ jam præditus erat, non auget, sicque manet imperfectè dispositus, & consequenter ex attrito virtute Sacramenti non fit contritus, & gratiæ gratum facientis compos. Idem etiam colligitur ex respons. ad primum §. tertio modo.

Eodem sensu intelligendum id quod scribit commentario in dist. 22. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. Remissionem peccatorum rem esse istius Sacramenti, & aliquando tempore præcedere Sacramentum exteriùs, aliquando autem in ipso Sacramento effici: *Quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus; non plenè contritus, si obicem non ponat in ipsâ confessione & absolutione, sibi gratia & remissio peccatorum datur. unde dicit glossa super illud p. 95. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: Si amas pulchritudinem, confitere, ut sis pulcher,* id

id est, rectus.

Quid est attritum esse? Uno verbo explicat, non esse plenè contritum, hoc est, nondum pervenisse ad eum dolorem, qui ad contritionem formandam sufficit. Cum sic attritus in confessione non ponit obicem, confessione fit contritus, vel, ut loquitur Glossa, pulcher & rectus. Quam Glossæ explicationem capite præcedente eodem sensu legimus ab Alexandro allatam.

Efficax est enim admodum ipse sinceræ confessionis actus, dum confitentes nullum ei obicem opponimus, ut nos docet ipse sanctus Thomas dist. 17. q. 3. art. 5. *Pœnitentia, in quantum est Sacramentum, præcipue in confessione perficitur, quia per eam homo Ministris Ecclesiæ se subdit, qui sunt Sacramentorum dispensatores.* Postquam datâ occasione dixisset baptisma in voto sanctificare, atque etiam ipsâ collatione, licet ad illud ante peccata remissa quis accedat, modo non præstet impedimentum, subjicit, *Similiter dicendum est de confessione adjunctâ absolutione, quod secundum quod in voto Pœnitentis præcessit, á culpâ liberavit: post modum autem in actu confessionis & absolutionis gratia augetur, & etiam remissio peccatorum daretur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, & ipse tunc obicem gratiæ non præberet.* Perspicuum est cum attritus ponatur ad confessionem accedere, eum aliter obicem non ponere, quàm ita tepidè confessionem edendo, ut attritionis dolorem & amorem non augeat. Perspicuum est præterea, cum toties dicat S. Thomas, pœnitentem attritum, si obicem non ponat in confessione, justificari: attritionem sufficientem quidem esse ad confitendum dispositionem, non autem ad gratiam Sacramenti recipiendam, nisi in ipsâ confessione & absolutione intendatur attritio, tandemque nascatur contritio. Nā si ad utrumque sufficit attritio, cum omnibus illis locis attritus à S. Thomâ ponatur, obicē ponere non potest: sunt enim hæc contradicentia, & se invicem perimentia, sufficientem habere ad gratiam dispositionem, & obicem illi ponere.

Hoc insuper docet S. Thomas non inevidenter 3. p. q. 80. art. 4. respons. ad 2. quum scribit baptismum & pœnitentiam *esse quasi medicinas purgativas, quæ dantur ad tollendam febrem peccati.* Quum aliquis est

tantum attritus, id est, nondum plenè contritus, febricitat adhuc, sed per pœnitentiam purgatur, disponitur quod superest ἐκμοχλεύμενον, καὶ ἐκμοχλεῖν ejicitur & evertitur, ut in animam præparatam succedat gratia. Peccati febrisque calor attritum adhuc vexat, Sacramento temperatur, ut optimâ κράσει per mundatam attritionis imperfectionem constituta justificatio consequatur.

Altiùs, ut mihi videtur, hujus rei ratio ex S. Thomæ doctrinâ petenda est. Docet enim fieri absolutè non posse, ut peccatum actuale mortale sine pœnitentiæ virtute remittatur 3. p. q. 86. a. 2. Quid autem pœnitentiæ virtus intra substantiæ suæ ambitum complectatur ibidem perspicuè enarrat & definit. Quare sufficiet verba referre: *Contingere non potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ & proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentiâ secundum quod est virtus.* Sine pœnitentia igitur, hoc est, sine immutatione voluntatis peccatricis, & ejus conversione, non adse, quod formido pœnæ præstat, sed ad Deum, peccatum remitti est impossibile. Pœnitentia igitur absolutè prærequisita cuicumque peccatorum remissioni, est animæ conversio ad Deum, & peccati, ut à Deo nos avertentis, sive ut est offensa Dei, detestatio. Ne autem aliquis, licet hæc luce clariora sint, nos sancti Thomæ verba interpretari conqueratur, ipse q. 85. art. 2. in substantiali pœnitentiæ virtute definiendâ, aversionem peccati, ut est offensa Dei, disertè exprimit. *Manifestum est autem quod in pœnitentiâ invenitur specialis ratio actûs laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantùm est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* S. igitur Thomas huic verissimo & christiano principio locis citatis ubique insistens, docet peccatorem nondum perfectè ad Deum conversum, & peccata, ut sunt offensa Dei, sufficienter detestantem Sacramenti beneficio

& virtute adjuvari, & pœnitentiam nondum completam perfici. Hoc ipsum ipsissimis verbis statim assumit S. Thomas post verba ex art. 2. q. 86. citata: *Sacramentum autem pœnitētiæ perficitur per officium sacerdotis ligantis & solventis.* Imò tantā ait esse istius pœnitentiæ necessitatē, ut ne quidē Christus sine eâ formaliter inhærente, Adulteræ & peccatrici peccata remiserit; *Quibus tamen non remisit peccata sine virtute pœnitentiæ.* Nam sicut Gregorius dicit in Homilia, per gratiam traxit intus, scilicet ad pœnitentiam, quam per misericordiam suscipit foris. Cujus rei perpetuum fundamentum est, fieri non posse, ut peccatum sine verâ pœnitentiâ jam explicatâ, hoc est, sine verâ contritione remittatur.

Adnorabit lector discrimen non contemnendum inter Doctorum præcedentium & sancti Thomæ sententiam. ubique enim sanctus Thomas dispositionis interioris augmentum, quo quis in Sacramento ex attrito fit contritus, & gratiæ recipiendæ capax, tribuit confessioni & absolutioni simul. Alii verò doctores citati soli confessionis actui & satisfactionis proposito sacerdoti nuncupato. Absolutioni verò solam justificationis in confessione factæ judicialem declarationem pœnæ diminutioni conjunctam,

Verum quidem est Doctores præcedentes verba absolutionis deprecativæ confessioni jungere, & utrique disponendi animā vim tribuere. Sed eâ conjunctione discrimen inter eos & S. Thomam non tollitur: ad deprecationis enim verba parum attendit S. Thomas, eaque, velut minimè necessaria, non magni fecit, ut constat ex Opusculo 22. licet varie & inconstanter ibidem mihi loqui videatur, propter Magistrorū parisiensium, ut opinor, aliter decernentium autoritatē. vniversam enim absolutionis efficaciam verbis indicativis non deprecativis in eo Opusculo tribuere videtur. Nam c. 2. resp. ad 7. omissâ confessionis mentione soli absolutioni virtutē justificandi Sacramentalem concedere videtur: *Quandoque aliqui consequuntur justificationem in ipsâ absolutione, quam ante non fuerant assecuti.* Calore præterea subitæ disputationis abreptus S. Thomas eodem Opusculo videtur absolutioni indicativæ, quia vix aliam agnovit, virtutem tribuere non modò pœni-

tentem ad gratiam disponendi, verum etiam ipsam gratiam instrumentaliter efficiendi, quod sæpius anteà disertissimè negaverat, ut in locis jā citatis sole meridiano clariùs conspicitur; imò hoc absolutè de omnibus Sacramentis cum rationum apparatu negaverat in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. ad. q. 1. Ideo in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. respons. ad. 1. refert juxta communiorem scholæ opinionem, quam ipse ibidem amplectitur, Sacramenta novæ legis mundationem ostendere divinitùs factam, ad eam tamen aliquid instrumentaliter & dispositivè operari: Et quia proportionaliter, inquit, de Sacramentis & potestate Ministrorum loquendum est, eodem quoque modo sacerdotes novi testamenti à culpâ absolutos ostendere. Unde consequens videtur ex sancti Thomæ tunc temporis Sententiâ, non secus ac Alexandri, Bonaventuræ & aliorum communi consensu, absolutionem, ut sic consideratam, atque à confessionis actu & verbis deprecativis abstractam justificationis factæ præsumptionem subsequi, proprieque juxta forensem consuetudinem esse judicialem remissionis à Deo factæ declarationem & pronuntiationem. Itaque sancti Thomæ Sententia eo Opusculo in duo evidenter propendere videtur, quæ & à communi aliorum Doctorum Sententiâ, & ab eâ, quam ante acerbam illam disputationem asseruerat, nonnihil differre videntur: Priùs, absolutionis verba indicativa non modò effectivè pœnam temporalem peccatis debitam minuere, sed etiam dispositionem ad gratiæ receptionem augere. Posteriùs, ipsam gratiam justificantem, si fortè nondum adsit, instrumentaliter producere; si verò jam adsit, augere. Hoc posteriùs multis insuper asserit in Quæstionibus disputatis de veritate q. 27. art. 4. & summæ 3. p. q. 62. art. 1. ubi multis allegatis tandem colligit, *& hoc modo* (instrumentaliter) *Sacramenta novæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divinâ ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam.* Ità quoque articulo sequente & alibi in Summa non semel. Ex quibus apparet sanctum Thomam post opusculum illud in eâ sententiâ constanter permansisse. De absolutione deprecatoriâ erit nobis alio loco agendum.

CAPUT SEPTIMUM.

Discipuli S. Thomæ non satis caute de ejus doctrinâ circà sufficientiam Attritionis ad consequendam gratiam pronuntiarunt. Ejus opinionis Epoche. Ad illam omnes disputationes reductæ. Plures & celebriores usque ad Concilium Tridentinum pro Contritionis necessitate steterunt: v. g. Henricus à Gandavo, Richardus de Mediavilla, &c.

POSTERIOREM sententiæ sancti Thomæ partem pleriq; ejus discipuli prioris obliti sic acceperunt, velut absolutè pronuntiasset, Attritionem esse sufficientem Sacramento suscipiendo præparationem. Huic tempori figenda est Æra & Epoche, à quâ factæ & ventilatæ in scholis quæstionis istius ætas computanda est. Nam, ut scribit Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 3. art. 2. *Doctrina hac de Attritione, quæ in Sacramento fit Contritio, licet sit vera, non est tamen ità multum vetus. Patres enim antiqui solam Contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem.*

Tria, ut mihi videtur, potuerunt sancti Thomæ discipulos ad hanc sententiam in animum suum inducendam commovere. Primum est loquendi formula in nonnullis locis pro Attritione citatis à sancto Thomâ usurpata, quæ attrito, seù non plenè contrito gratiam conferri per absolutionem absolutè pronuntiat. Secundum, illa fictionis Sacramento pœnitentiæ applicatio, quàm omnium scholasticorum primus S. Thomas instituit: Non videtur enim attritos fictis adnumerare. Postremum & præcipuum, vitæ christianæ & gratiæ primæ producendæ prærogativa, quam senex Sacramento pœnitentiæ non posse competere visus est asserere, nisi efficientiæ absolutionis ea tribueretur.

Multa tamen poterant eos ab istâ sententiâ sic absolutè & nullâ cum conditione sancto Thomæ attribuendâ dimo-

vere. Primum, tot egregia & perspicua, quæ retulimus pro Contritionis necessitate S. Thomæ testimonia. Deindè omnium illius sæculi & præcedentis Theologorum, quorum scripta supersunt, de Contritione ante absolutionem necessariâ tàm constans & explorata sententia. Præstereà S. Thomæ prudentia, qui, si locum unicum excipias, ab Attritionis & attriti nomine semper abstinuit, quoties de pœnitentiæ Sacramento verba fecit. Denique ipsius de dandâ absolutione sententia; sacerdotem enim absolutionem pœnitenti non vult concedere, nisi priùs in eo signa Contritionis animadverterit.

Quicquid sit, & qualiscunque fuerit S. Thomæ de Attritionis & absolutionis virtute sententia, illius occasione tùm primùm exorta est in scholis Theologicis, de Attritionis vel Contritionis ad Sacramentum pœnitentiæ utiliter suscipiendum necessitate celebris controversia, his Attritionem sufficere affirmantibus, illis negantibus; sed vicissim eodem tempore planè extinctæ videntur, & fautoribus destitutæ quæstiones anteà celebres, de quibus suprà egimus: an ad remissionem peccatorum obtinendam necessariæ essent Contritio, confessio & satisfactio, an sola Contritio, remissioque sub conditione faciendæ confessionis, & præstandæ satisfactionis suspenderetur? Solaque præcedentibus explosis, superfuit ista; Contritionem, quam primùm in animo exorta est, peccatorum remissionem consequi, propositumque, si vera est, confitendi & satisfaciendi, necessariò complecti. An virtuale propositum sufficeret, an explicitum esse oporteret, nondum disputabatur. Quæstio quoque illa, quâ quærebatur, an Contritio gratiam sequeretur, post illud tempus à paucis agitata fuit, omnibus ferè consentientibus Contritionem esse ad gratiam dispositionem proximam, eamque ideò naturâ præcedere. Eam tamen quæstionem renovarunt nonnulli recentiores scholastici sancti Thomę postremis dictis innixi: Quàm enim sententiam in Commentariis super Magistrum docuerat, in Summâ retractasse videtur.

Quæstionum istarum vicem subiit in scholis Contrionis cum Attritione fervida commissio, fautoresque non comtemnendos nacta est utraque sententia. Plures tamen & celebriores ad Concilium usque Tri-

dentinum à Contritionis partibus steterunt: communiorque & in scholis acceptior fuit, ut testantur Thomas ab Argentina, Gabriel Biel & Major, ea sententia, quę Contritionem absolutioni necessariò prærequiri docet, atque ex Sacramento fructum non percipere eâ destitutum.

Tertiam sententiam, quam summos viros datâ occasione asseruisse suprà vidimus, quæque sancto Thomæ necessariò videtur tribuenda, nisi illusoriè ipsum cum se ipso tot locis committere velimus, Attritionem scilicet à pœnitente bonâ fide existimatâ Contritione, gratiâ promereri, ab eâ, quę Contritionem absolutè postulat, non distinguimus. Utraque enim ad Contritionem ex æquo pœnitentē hortatur, utraque Contritionem necessariam prædicat. Deindè vix existimo ullum eorum, qui Contritionem absolutè necessariam docuerunt, in specie quam alii proponunt, negaturum Sacramentum cum ejusmodi Attritione idem dispositivè operari quod Contritio. Putarim ego eos hac de re disertè non disputasse, quod rem exploratæ esse veritatis crediderunt, ut etiam crediderunt exploratę esse veritatis, Attritionem in quolibet gradu, sive quantum libet ardentem, quæ à pœnitente talis dignoscitur, à præcepto confessionis liberare quidem, sed Sacramenti gratiam non reportare, nisi in ipsâ Sacramenti susceptione in Contritionem convertatur. Istam tamen quæstionem pręcisis verbis innovarunt scholastici recentiores viri doctissimi, formaliterque quæsierunt, atque etiam nunc disputant, non modò, an Attritio putata Contritio, fructui absolutionis percipiendo sufficiat, verum etiam an Attritio talis cognita idem consequatur: de iis infrà nobis erit sermo.

Quænam duarum istarum opinionum, quæ ab annis circiter trecentis & sexaginta scholas Theologicas variè exercuerunt, vero similior sit, & antiquæ traditioni conformior, discutere, à scopo historici, quem nobis proposuimus, quàm longissimè abest.

Sed præteritâ istâ hujus temporis, & aliquot sæculorum difficili quæstione, cujus definitio imbecilli ingenii nostri captum, viresque superat, ad id quod primò suscepimus, pedem referimus, ad explicandam scilicet eorum Theologorum, qui sancto Thoma posteriores fuerunt, de Attritio-

ne sententiam. Licet enim ab eo tempore scholæ Theologicæ in hac quæstione bipertitæ fuerint, utriusque tamen partis in describendâ Attritionis substantiâ concors fuit & una sententia. Eorum autorum potissimum referemus sententiam verbaque, qui Attritionem asserunt legitimè suscipiendo pœnitentiæ Sacramento sufficere.

Henricus à Gandavo, qui annis circiter viginti post sancti Thomæ mortem vigebat, dictusque est vulgò in scholis Doctor solemnis: Quodlibeti 1. q. 32. S. Thomæ sententiam, ipsius nomine prætérito locutus, ita de Attritione scribit: *Absolutio Sacramentalis proprium habet effectum ex virtute Sacramenti, quem non habet Confessio peccatoris: Illa enim solum habet virtutem ex devotione confitentis. Absolutio enim, quantùm est de se, ex gratiâ Sacramentali habet virtutem, ut, quamvis confitens non sit omninò contritus sufficienter de peccatis, ut ei debeant virtute Contritionis remitti, sed solum attritus, ut de proximo sit dispositus, ut ei remittantur, si tamen non apponeretur Sacramentum absolutionis, non ei remitterentur. Postquàm tamen apponitur absolutio Sacramentalis, datur gratia, quâ subitò perfectè conteratur, & à peccato absolvatur virtute absolutionis, & aliquid cum hoc de satisfactione remittitur, quod remitteretur, etiam si peccatum esset priùs remissum in sufficienti Contritione.* Evidenter his verbis explicatur, quousque sese extendat virtus Sacramenti cum Attritione conjuncti. Evidenter quoque describitur, cujus generis sit illa Attritio, cui tantam cum Sacramento virtutem asserit. Illa Attritio est ipsa Contritio, sed quæ nondum ad eum gradum perfectionis ascendit, qui peccatum remittat. Quid enim clarius his verbis? *Quamvis confitens non sit omninò contritus sufficienter de peccatis, ut ei debeant virtute Contritionis remitti, sed solum attritus.* Est igitur attritus qui est contritus, sed nondũ perfectè. Quousque verò perfectionis assurgit Attritio? Statim explicat, *ut de proximo sit dispositus, ut ei remittantur.* Quàm proximè igitur ad Contritionis perfectionem attingit Attritio illa, quę virtute Sacramẽti pœnitentem efficit contritum. Diligenter præterea lectori notanda sunt verba illa: *Postquam tamen apponitur absolutio Sacramentalis, datur gratia, quâ subitò perfectè conteratur,* Ergò ex ipsius sententiâ imperfectè contritus, sive attritus virtute absolutionis

ſolutionis divinitùs in altiorem gradum immutatur, ſicque perfectè contritus, nec remaner qualis erit, attritus; ſed, ut cum ſcholis loquar, formaliter fit contritus; gratiaque habitualis in pœnitente virtute Sacramenti ſimul tempore cum gradu Contritionis deficiente ſed naturâ poſterius producitur.

Eandem cum præcedentibus ſententiam de Attritione & Contritione aſſerit Richardus de Media Villâ, qui eâdem cum Henrico Gandavenſi ætate florebat & ſcribebat; ſed nonnulla habet notatu digna, art. 1. q. 2. in diſt. 17. in 4. duplicem Contritionem conſtituit, priorem, quæ ab habitu eodem charitate formato fluit; poſteriorem, quæ ab eodem habitu charitate nondum formato, ſed qui motu illo durante informatur. Ante informationem illam Attritio erat, poſt informationem fit Contritio: reſpondet Attritionem fieri non poſſe Contritionem primo modo: *Quia*, inquit, *idem actus numero elici non poteſt à pœnitentiâ informi, & poſt hoc elici à pœnitentiâ formata: quia voluntas movens, ut informis, & poſt hoc movens ut formata vicem tenet duorum motorum, à quibus non poteſt eſſe idem motus in numero:* Sed fieri poſſe Contritionem ſecundo modo. *Quia quamvis motus voluntatis ſit ſimplex & in inſtanti quantum ad ſuum eſſe, poteſt tamen tandiù manere idem in numero, quouſque pœnitentia, à qua elicitus eſt, à charitate formetur, per cujus formationem actus ille efficitur Contritio.* Nam actus ille poſterior, ut ipſe notat in reſponſ. ad primum & ſecundum, licet Attritio priùs ſit, & poſteà fiat Contritio à voluntate, non elicitur duabus vicibus, ſed unâ; neque objectum mutat, ſed per ſui formationem intenditur. Difficultatem autem ab Alexandro & aliis factam, fundamenti, quo nitebatur, negatione facile ſolvit. Dicebant Attritionem fieri non poſſe Contritionem, eo quod Attritio eſſet in perpetuo fluxu, & id quod ampliùs non eſt, charitate informari non poſſit. Negat ille actus voluntatis ſtatim tranſire & elabi, licet eorum eſſe in inſtanti producatur. Imò probat in 2. diſt. 35. ad ordinem rerum permanentium pertinere, eo quod tota eorum ſubſtantia in momento producatur, quod ſanè & veritati & experientiæ, & uſitato loquendi modo videtur conformius.

Quæſtione quintâ ejuſdem articuli quærit, an pro quan-

tocũque peccato sufficiat, quantacunque parva Contritio. Affirmativè respondet, sed Attritionis longè diversam esse rationem docet: diversitatis ratio nobis est attendenda charitas, inquit, quâ semper prædita est. Contritio quantulacunque ad omnium peccatorum mortalium remissionem sufficit. *Non sic autem dicendum est de Attritione, cum enim recogitantur peccata in speciali, necessaria est major Attritio de majori peccato, quam de minori: & quamvis in pœnitendo de omnibus simul, non sit necessaria major displicentia simul in actu de uno, quàm de alio, necessaria tamen est in habitu. Unde pro quantocumque magno peccato quantacumque parva Attritio non formatur gratia de lege communi, per quam gratiam fieret Attritio Contritio, si formaretur.* Quantus autem dolor iste Attritionis esse debet, ut fiat Contritionis dolor, sivè displicentia? *Maximus*, inquit, *in comparatione aliorum dolorum* Quamobrem verò tantus est necessarius dolor? *Quia quanto aliquid magis debet placere, tanto ejus oppositum debet ei magis displicere.* Cujus verò rei debuit esse tanta complacentia, ut ex ejus opposito tanta nascatur displicentia? *Summum bonum, à quo separatur homo per peccatum mortale, magis debet placere, quam omnia alia bona, & idèo major esse debet displicentia de quocunque mortali peccato, quàm de quocunque alio malo.*

Ex quibus quatuor hæc, quæ breviter enarramus, evidenter consequuntur. Primùm, Attritionem specie à Contritione non differre, imò nonnunquam ne numero quidem, cum unus & idem numero voluntatis actus, qui est Attritio, continuatus fiat Contritio. Secundum, actum illum, qui est Attritio, intendi cum fit Contritio, quod in variâ specie fieri nunquam possit. Tertium, Attritionem esse dolorem & displicentiam de peccato mortali commisso, eo quod nos separet à summo bono; undè fit ut ratio doloris in Attritione sit separatio à summo bono, atquè ex eo, ut ait autor, colligitur Attritionis dolorem esse debere omni alio dolore majorem, quia nihil est cujus amissionem lugere magis debeat, quàm Dei hominum summi boni, & consequenter cui perfecta inest Attritio in Contritionē transire parata, ille Dei amorem & cultum rebus omnibus virtualiter saltem præfert, aliàs fieri omninò non posset, ut in eo juxtà Richardi sententiam esset *major displicentia de quocumque mortali*

peccato, (quia scilicet à Deo nos separat,) *quam de quocumque alio malo*. Quartum, Attritionem tùm charitate formari, cum alius dolor de peccato commisso, ad eum gradum pervenit, ut sit aliorum dolorum comparatione maximus: quod fit, cum Deum offendisse, in quo ratio peccati consistit, magis dolet, quàm de quacumque aliâ re perditâ. Quintum, Attritionem illam, quæ charitate formari parata est, licet aliorum dolorum comparatione dolor sit maximus, in se tamen varios habere gradus, quos pro gravitate criminum consequatur oportet, ut gratia formetur, cum dicat graviori crimini ardentiorem Attritionem convenire, & magno peccato parvam Attritionem non sufficere. Hoc sanè, si Attritionis nomen antiquis incognitum in Contritionis mutes, quàm optimè convenit cum omnibus illis Patrum testimoniis, quæ supra attulimus, ut ostenderemus qualis esset pro gravitate criminum agenda pœnitentia.

Denique lectori maximè notandum est Richardum his quæstionibus de Attritione & Contritione non agere quatenùs ad justificationem per Sacramentum pertinent, ut ex eo manifestum est, quod nusquam in quæstionum istarum tractatione pœnitentiæ, ut Sacramentum est, mentionem faciat, atque ex ipsius expressissimis verbis quæstione sequente, ubi declarat se disputare de pœnitentiâ, ut est virtus, & de Contritione, ut ab istâ virtute procedit; infrà verò, cum de potestate clavium aget, se de eâ, ut est pars Sacramenti pœnitentiæ disputaturum. Ex quibus necessariò conficitur secundum omnes hujus temporis Theologos Richardum de Attritione verba facere, quatenùs amorem Dei saltem in progressu suo complectitur: sæpissimè enim à timore servili originem ducit. Aliàs enim hominem sine ullo amore Dei prævio extrà Sacramentum justificari assereret, quod ipsi affingere esset absurdissimum, cum præsertim Alexander Halensis, S. Bonaventura & alii eadem de Attritione, & eodem modo docuerint. Præter eà, omnia quæ Attritioni tribuit, à nobis jam relata, quibus id demonstratur, quod eidem tribuit, quæstione postremò citatâ evidenter confirmat. Ità ènim inter præcipuos effectus Attritionis & Contritionis

distinguit q. 7. *Anima per Contritionem meretur de condigno mortalis peccati remissionem, si aliquis motus Contritionis eam ordine naturæ præcedit, ut multi probabiliter dicunt. Si autem nullus pœnitentiæ motus formatus ordine naturæ præcedit remissionem mortalis peccati, tamen anima per motum Attritionis de congruo meretur remissionem mortalis peccati.* An quis Ethnicus sui compos docere potuit dolorem ex solo timore ortum mortalis peccati remissionem ex congruo mereri? Quâ ratione id dicere potuissent tot illius temporis Theologi de remissione peccatorum extrà Sacramentum facta?

Superest paucis explicare, quo sensu intelligat Attritionem vi Sacramenti peccata remittere. Primùm Richardi sententia est Sacramenta non esse causas efficientes gratiæ, ne ministerialiter quidem, nedum principaliter. Secundò, dispositionem ad gratiam physicè non operari, sed moraliter tantùm, hoc est, virtutem Dei Sacramenti usum concomitantem dispositionem in animâ causari. Nunc ad rem dist. 18. art. 2. q. 1. propositâ quæstione, an Sacerdos potestate clavium remittere possit peccatum, quantùm ad maculam, respondet, *instrumentaliter illi, qui per Attritionem removit obstaculum gratiæ Spiritus sancti, dispositivè remittit maculam peccati, in quantum suo ministerio assistit virtus divina, quæ peccatum remittit.* Quanta debeat esse Attritio illa hic apertè non indicat: quum autem ab eâ tantùm requirit obstaculi remissionem, videri posset alicui in eâ esse opinione, quam posteà amplexus est Scotus, quamque capite sequenti explicabimus: Sed in eo plurimùm differt, quod licet Attritionem dicat sufficere ante Sacramentum, quæ obicem removeat; fundamentis tamen, quæ initio libri jecerat, insistens, addit Sacramenti virtute dispositionem, hoc est, Attritionem deprehensam imperfectam augeri & perfici, ut gratia formetur. Quanquam autem ex hoc loco colligi non possit evidenter, quis Attritionis gradus Sacramento, ut vim exerat, necessarius sit; ex iis tamen quæ scribit in distinctionem præcedentem q. 8. respons. ad 5. evidenter colligitur in eâdem cum S. Bonaventurâ & aliis sententiâ fuisse, eum nempè sufficienter dispositum ad confessionem accedere, qui bonâ fide judicat se esse contritum: *Si confitens in mortali peccato attritus est*

de peccato suo, ità ut probabiliter possit præsumere se esse dispositum, non peccat absolutionem recipiendo, imò frequenter in virtute clavium per susceptionem absolutionis formatur sua attritio. En ex Richardi sententiâ, quo debeat attingere Attritio, ut Dei virtus Sacramento assistens cætera perficiat.

CAPUT OCTAVUM.

Scoti sententia omnium, ut videtur, laxissima exponitur de Attritione Gratiæ justificantis extrà Sacramentum meritoriâ. A Pelagianismo injustè imputato purgatur. Quid in ejus discipulorumque sententiâ Attritio Sacramento coniuncta faciat, & an requiratur absolute.

JOANNES Scotus facillimam & clementissimam præ cæteris Theologis rationem, & à Contritionis integritate remotissimam amplexus est. Ità enim de virtute absolutionis differit, ut vix ullam in pœnitente præparationem internam postulet, quo virtus Sacramenti in justificatione fiat illustrior. Attritionem tamen eodem sensu, atque etiàm, ut ità dicam, exquisitiore usurpat, eodem scilicet, quo Alexander atque ii, qui Contritionem gratiam subsequi docuere: Quamlibet enim præparationem ad gratiam & præparationis gradum, Attritionis nomine vocavere, & quicquid nunc de Contritione dici solet, Attritioni ab iis inventæ tribuerunt. Hos Doctores planè secutus est Scotus: sed audiat lector ipsius verba in 4. dist. 14. q. 2. §. ad hujus. *Peccator*, inquit, *in peccatis existens, potest ex naturalibus cum communi influentiâ considerare peccatum commissum ut offensivum Dei, & ut contrà legem divinam, & ut aversivum à Deo, & ut impeditivum præmii, & ut inductivum supplicii, & sub talibus multis rationibus; & potest voluntas ipsum sub aliquâ illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari & intendi antè infusionem gratiæ. Ille autem motus dicitur Attritio, & est dispositio sive meritum de congruo ad*

deletionem peccati mortalis, quæ sequitur in ultimo instanti alicujus temporis, in quo tempore ista Attritio duravit. Et paulò post: *Si manet idem motus contra peccatum in esse naturæ & moris, qui priùs; idem motus, qui priùs fuit Attritio, in illo instanti fit Contritio, quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, & ità actus formatus, quia habens secum charitatem.* Est igitur Attritio illi actus non modò in genere naturæ, sed etiam ille ad quem ex merito congrui gratia & remissio peccatorum subsequuntur. Illeque idem actus in genere naturæ & moris persistens dicitur illi Contritio tantummodò post charitatis adventum.

Verbis sequentibus homini scholastices perito sententiam suam evidentissimè & medullitus aperit. *Ibi tamen oportet distinguere signa naturæ inter actum, ut est talis in esse naturæ & moris, & inter charitatem & inter actum, ut est formatus. Quia in primo signo naturæ est ibi actus talis, in secundo charitas, in tertio actus formatus à charitate jam inclinante & inhærente, & sic Attritio fit Contritio sine omni mutatione reali ipsius actus. Contra, ergo non per Contritionem deletur culpa, quia non est Contritio nisi in tertio signo naturæ, & in secundo deletur: neque etiam per Contritionem illam ut per meritum, quia sequitur illam deletionem. Potest ergò dici quod Deus disponit per Attritionem in aliquo tempore tanquam per aliquod meritum de congruo in aliquo instanti dare gratiam, & pro illâ Attritione, ut pro merito justificat.* Id, de quo suprà multis actum est, terminis scholasticis vix clariùs exprimi poterat, nec, quæ sequuntur in eodem textu, minùs clara sunt.

Eandem sententiam tuentur Scoti discipuli, ut Nicolaus de Orbellis in compendio doctrinæ scoticæ super sententias, refertque satis fusè verba sui Magistri jam relata, eaque confirmat in 4. dist. 14. q. 2. §. 4. paucula hæc ex §. 5. referemus: *Concedo quod frequenter dimittuntur peccata per aliquem motum Attritionis, tanquam per aliquam dispositionem meritoriam de congruo ante susceptionem Sacramenti pœnitentiæ.*

Petrus Tartaretus Franciscanus, qui magno cum applausu Parisiis Theologiam scoticam docebat anno 1508. de hac re textus Scotici occasione multa subtiliter disputat: hæc pauca lectori selegimus. *Imaginanda sunt tria signa naturæ in uno instanti temporis. Puta quod peccator in A, primo instanti, est*

in peccato mortali, & detestatur peccatum; & ista detestatio vocatur meritum de congruo, & dispositio ad gratiam, & actus informis, quia est sine gratia. Et quando datur tibi gratia in instanti, B, vel in isto, in quo disponit Deus, talis dispositio ad gratiam sive meritum de congruo, vocatur meritum de condigno, quia in secundo instanti puta B Deus dat tibi gratiam, & remittit tibi peccatum, & in tertio est actus formatus. Ex quo sequitur quod unus & idem actus numero continuatus in A & B est actus informis, & formatus in B. ex quo sequitur quid sit Attritio & Contritio in peccatore, & quomodo differant: Quia actus detestandi peccatum in isto peccatore per totum tempus, A, vocatur Attritio; & per totum tempus, B, vocatur Contritio, quia habet gratiam & est formatus.

Clara & perspicua est totius discriminis elucidatio. Uno verbo Attritio Scoto & Scotistis, idem est quod nunc vulgata scholis Contritio, actus scilicet de congruo gratiæ gratum facientis meritorius, quem ex pacto divino gratia illa consequitur, quum ad certum intentionis terminum soli Deo cognitum pervenit. Nam ut suprà ex Alexandro & sancto Thoma demonstratum est, non quivis doloris gradus, Contritionis est dolor: ad certum gradum necesse est ascendat, quem cum attigerit, statim in corde Contritio nascitur. Si autem gradum illum non attigerit Attritio, gratiam nisi Sacramento adjuta non assequetur, de quo statim ex Scoto differemus, si priùs errores, qui ei immerito affinguntur, excusserimus.

A plerisque Theologis Scotus hic pelagianismi accusatur, eò quod scripserit hominem ex naturalibus cum communi Dei influxu Attritionem parare posse, quæ sit prævia & sufficiens ad justificationem dispositio. Sed injuria planè. Per communem enim Dei influentiam, concursum Dei generalem & creationi debitum non intelligit, sed quæcumque gratiæ prævenientis auxilia, ut constat ex resolutionibus ejusdem Scoti in 4. sentent. dist. 14. q. 2. Ubi quæ suprà relata sunt, breviùs repetit. Quia ipsius verba proposito nostro sunt idonea, hic illa referemus: *Insuper observandum quod peccator ex naturalibus cum communi influentiâ spiritus Dei, non generali, quâ omnibus influit creaturis, sed eâ, quam promisit peccatoribus, dicens: Ego sto ad ostium, de quâ etiam: nemo potest veni-*

re ad me, nisi pater meus traxerit eum. Item: Vocavi & renuistis Item: quoties volui congregare filios tuos &c. Potest considerare peccatum ipsum ut Dei offensivum, impeditivum præmii, inductivum supplicii &c. Et sub illis rationibus detestari & continuare hunc peccati displicentiam, ante gratiæ infusionem cum debitis circumstantiis moralibus, & is actus dicitur Attritio, & est dispositio sive meritum de congruo ad deletionem peccati, &c. Itaque nihil aliud sibi voluit Scotus præter id quod toties suprà ex antiquorum scholasticorum placitis explicavimus, Attritionem omnem ad gratiam præparationem significare, atquè à gratiâ gratis data fluere, tumque Contritionem dici, cum actus idem continuatus à libero arbitrio gratiâ jam informato fluere incipit. Perperam etiam Scotum intellexit Tartaretus, alienũque sensum Magistri verbis imputatum ipse approbavit: Ità enim Scoti sententiam interpretatur, velut si asseruisset, hominem in statu peccati actum detestationis sine auxilio Dei speciali producere posse, qui gratiam habitualem mereatur. Eòque gravior est hic Tartareti error, quò de actu præstantiore agitur. Quæstio enim est de actu detestationis, sive de Attritione, quæ vel cum vel sine Sacramento proxima est ad justificationem dispositio.

Aliud dogma Theologi omnes ex verbis Scoti citatis colligunt, & ungue notant, de quo mihi nunquam videtur cogitasse. Volunt enim eum docuisse esse necessarium pœnitentem aliquo tempore Attritionem justificationi promerendæ de congruo parem continuare, antequam ipsi gratia infundatur, ac proindè in momento non fieri justificationem; undè consequeretur sæpè peccatores in extremo die pœnitentes salutem adipisci non posse, cum istius actus continuandi tempus nonnunquam repentina morbi vehementia illis adimat. Quicquid sit de illo dogmate, nihil simile ex ipsius verbis colligi potest. Nihil aliud docuit quàm in pari causâ cæteri omnes scholastici, justificationem, cum omnia parata sunt, ultimaque adest dispositio, in instanti fieri, sed ad eam dispositiones omnes in momento à Deo non semper præstari. Cum autem antiquorum scholasticorum morem sequutus, per Attritionem intelligat universam præparationum ad gratiam œconomiam, ideò dixit eam continuari debere

bere usque ad certum terminum, quem Deus novit, antequam de congruo gratiam mereatur. Certam est enim, & à nemine negari posse videtur, Attritionis sic sumptæ gradus esse plurimos, omnesque justificationem non mereri; aliàs prima quælibet præparatio ad gratiam pareret gratiam, quod apertè negat S. Thomas in quæstionibus disputatis de veritate quæst. 28. art. 8. in conclusione. Alexander quoque & Bonaventura specialibus articulis demonstrant contritionem & justificationem admodum raro sine præparatione præcedente fieri. Hanc igitur Sententiam secutus Scotus docuit non quemlibet Attritionis gradum à pœnitente productum, gratiæ infusionem promereri, sed oportere attritionem continuari, donec intendatur in eum usque gradum, quem Deus novit gratiæ suæ infundendæ legitimam esse dispositionem. Quamprimùm autem ad eum gradum pervenit, gratia divinitus infunditur, fitque in instanti transitus à termino à quo, ut loquuntur Philosophi, ad terminum ad quem, hoc est, à privatione gratiæ ad gratiam, ab injustitia a justitiam. Verùm hoc non impedit, ut docet sanctus Thomas loco citato art. 9. quin in causis terminorum *Considerari possit successio, sicut patet in illuminatione. Nam quamvis aer subitò transeat de tenebris ad lumen, tamen causa tenebrositatis successivè tollitur, scilicet absentia solis.* Sic causa privationis gratiæ paulatim per attritionem tollitur, animaque ad gratiæ susceptionem præparatur, quâ sufficienter per attritionem dispositâ justificans gratia statim infunditur. *Dico igitur*, inquit sanctus Thomas, *Quod extrema justificationis sunt gratia & privatio gratiæ, inter quæ non cadit medium circa proprium susceptibile. Unde oportet quod transitus de uno in alterum sit in instanti, quamvis causa hujus privationis successive tollatur, vel secundùm quod homo cogitando se disponit ad gratiam, vel saltem secundùm quod tempus præterit, postquam Deus se gratiam daturum præordinavit.* Quod Scotus de gradibus attritionis, qui successione temporis crescere solent, intellexit, illi omnes de gradu ad sufficientem justificationis dispositionem requisito intellexerunt, in eo nempè Pœnitenti aliquantulum temporis subsistendum esse, ut gratiam consequatur.

Quæcumque hactenus de Scoti sententiâ disserumus, Attritionem spectant ratione habitâ ad gratiam extra Pœnitentiæ Sacramentum consequendam. Nam de Attritione, ut sufficit ad gratiam virtute Sacramenti consequendam, multò aliter loquitur, sic ille hoc mysterium explicat in eandem distinctionem q. 4. *Sicut adultus primam gratiam delentem originale peccatum potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad eam de congruo, vel ex susceptione Baptismi. Ita in proposito. Hoc declaratur sic, quia ad primam susceptionem gratiæ requiritur aliquis motus meritorius de congruo. Ad secundum autem non requiritur nisi voluntaria susceptio baptismi & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu vel voluntate peccati mortalis: ita quod in primo requiritur aliquod opus intrinsecum aliquo modo acceptum tanquam meritum de congruo: In secundo solum requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti. Non solùm ergo attritus per aliquod tempus usque ad certum instans in ultimo instanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per virtutem meriti de congruo, ut declaratum est in solutione præcedente; sed non habens talem actum, qui sufficiat ad meritum de congruo, sed tantùm habens voluntatem suscipiendi Sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis sibi actualiter facto, vel in voluntate inhærentis, recipit non ex merito, sed ex pacto divino effectum istius Sacramenti &c.* Duplicem justificationis impii formam describit. Priorem, extra Sacramentum, quæ fit cum Attritione, quæ ad eum intentionis gradum pervenit, qui gratiam ex congruo meretur, de quo supra: Posteriorem in Sacramento, quæ fit cum Attritione, quæ nondum ad eum intensionis gradum pervenit, qui gratiam de congruo meretur, sed virtute Sacramenti ex pacto divino hunc defectum supplente gratiâ nihilominus in pœnitentis animo producitur. *Parum Attritus*, inquit, *etiam Attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ sicut dispensatur in Ecclesiâ, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu, in ultimo instanti illius prolationis verborum, in quo scilicet est vis Sacramenti istius, recipiat effectum istius &c. ex pacto Dei assistentis Sacramento suo &c.*

Nicolaus de Orbellis, his breviter repetitis eâdem dis-

tinctione q. 2. §. 4. addit, *Illa Attritio fit contritio, non quidem ex merito, quia dispositio illa non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis suo Sacramento ad effectum illum, ad quem institutũ est.* Ideo eo paragrapho & sequente requiri tantùm affirmat *Aliqualem Attritionem seu displicentiam de peccatis.* Tartaretus quoque eodem loco in. 4. dist. 14. q. 4. ad secundum articulum §. 2. arguitur, enarratâ Scoti Sententiâ superaddit ad majorem rei explicationem, duplicem esse justificationis viam à Deo institutam: *Una*, inquit, *est bonus motus interior, qui debet intelligi pro adultis &c. Alia est per Sacramentum baptismi, quibus consequitur quis gratiam primam. Tunc respondeo ad quæstionem, ponendo casum quod quis peccet decem peccatis, & post aliquod tempus recognoscendo peccatum suum dicat,* peccavi, *& incipiat detestari peccatum suum remissè, ita quod non sit detestatio illa meritoria de congruo, sed tantum habet remissè nolle peccasse. Tunc si quæratur utrum huic remittatur culpa per suam detestationem: Respondetur quod non, eò quod non habuit detestationem peccati ita intensam ut Deus instituit habere. Et volo deindè quod iste inveniat sacerdotem & confiteatur, tunc non est dicendum, quod non remittatur sibi peccatum, quia hoc esset nimis durum in fide. Ideò dico, quod huic remittitur culpa; quia defectus illius motus interioris suppletur per Sacramentum pœnitentiæ, &c.*

Clarum est igitur & planè perspicuum ex mente Scoti & Scotistarum Attritionem, quâ extra Sacramentum impii justificantur, quæque de congruo gratiam meretur, hoc est, illum ipsum liberi arbitrii gratiâ præveniente & excitante actum, qui à Patribus atque nunc contritio à Theologis vulgò nuncupatur, ejusdem esse omnino speciei cum eâ attritione, quâ in Sacramento justificamur, gradibusque tantùm intensionis & remissionis differre, nec iis nec aliis Theologis illorum temporum in mentem unquam venisse homines alio voluntatis actu in Sacramento justificari, alio verò extra Sacramentum. Contritionem autem ex multorum antiquorum scholasticorum consuetudine eam Attritionem propriè vocasse, quæ justificationem sequebatur, ita ut idem numero Attritionis actus, qui justificationem antecesserat, si continuabatur, ut plerumque fieri solet, post justificationem illis contritio diceretur.

Notabit obiter Lector Scotum Theologorum esse primum, qui apertè præparationem animi ad justificationem minuit, ut absolutionis virtutem efferret, quasi germana utriusque virtus & efficacia sine alterutrius depressione nobis constare non posset. Theologi, qui eum præcesserant, aut Contritionem absolutè necessariam esse asseruerant, aut attritionem saltem probabiliter & bonâ fide Contritionem existimatam, quæ tamen confessionis merito, & Sacerdotis precibus ante absolutionem prolatis, non æquivalenter, sed formaliter in contritionem assurgeret. Primus sanctus Thomas à primâ suâ & priscâ sententiâ tantillum in opusculo 22. in mitiorem & humaniorem partem recessisse videtur; licet nempè aliquid perfectæ pœnitentis dispositioni desit, gratiam tamen in eo Deum per absolutionem producere, non secùs ac si perfectè per Contritionem esset dispositus. Verùm Scotus modum omnem excedere videtur; ità enim præparationem animi deprimit, ad Sacramenti virtutem augendam & celebrandam, ut vix in pœnitente aliquem Attritionis gradum postulet, adeò remissam describit. Nihil intrinsecè positivum in pœnitente, ut per Sacramentum justificetur, videtur requirere, sed solam impedimenti remotionem cum exteriori Confessionis actu. Verba sequentia ipsum excusare videntur, ex quibus colligi potest, cum tantum actum intelligere eo remissiorem, qui ad justificationem extrà Sacramentum necessarius est. Verum id quidem est, sed cum remissionis plures sint gradus, remississimus quisque Attritionis gradus, si, quæ suprà ex eo attulimus, simul perpendantur, videtur illi satisfacere. Sanè si remississimus illi satisfacit, multò magis intensior. Ideò eum sequutus Nicolaus de Orbellis aliqualem Attritionem scribit sufficere: ut & alius Nicolaus de Niisa dictus, ex eâdem sancti Francisci Familiâ scriptor egregius, qui paulò post annum 1500. scripsit satis diffusum opus *Resolutio Theologorum* inscriptum in fine q. 4. tract. 6. part. 3. de Pœnitentiâ ad objectionem de Lazari suscitatione respondens ait, antè perceptionem dignam pœnitentiæ sufficere suscitari pœnitentem secundum quid, *scilicet ut habeat aliquam displicentiam de peccato, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum pœnitentiæ, in*

quo Attritio fit Contritio, & tunc per Sacramentum simpliciter suscitatur à peccato & confertur gratia.

Nullâ tergiversatione videtur excusari posse in reportatis ad 4. dist. 14. q. 4. sic ibi distinguit inter justificationem extrà Sacramentum ex merito de congruo, & quæ fit in Sacramento ex pacto divino, ut dispositionem prior requirat, posterior tantùm non indispositionem. *In quolibet Sacramento, quia non requiritur ibi dispositio, sufficit ibi non indispositio. Quando verò confertur gratia per meritum, non sufficit non indispositio, sed ut sufficit ibi non indispositio, requiritur dispositio. Non sic confertur gratia per Sacramentum, quia ibi sufficit non indispositio, quia ibi confertur gratia ex pactione divinâ, non per modum meriti: aliter enim non esset Pœnitentia Sacramentum novæ legis, nec esset secunda tabula post naufragium, sicut baptismus prima, si præsupponeret suscipientem mundum.* Et in sequente paragrapho: *Si in ultimo instanti habeat aliquem bonum motum animi, potest esse quod Deus infundat gratiam ampliorem: imò multi qui veniunt ad Confessionem immundi, nec cum voluntate dimittendi, intendunt tamen recipere, quod Ecclesia intendit conferre, in ultimo instanti absolutionis recipiunt gratiam, & recedunt justificati.* En quo ipsum demergit secunda illa post naufragium tabula, quæ perpetuum est illi hujus sententiæ argumentum.

Hæc Scoti sententia præter quam Nicolais prædictis placuit, placuit etiam Angelo de Clavasio in Summâ suâ verbo, *Confessio.* 1.n.30. Cum enim severiorem opinionem primùm proposuisset, Scoti sententiam ut probabilem subjicit, in quam sanctum Thomam & Richardum trahere conatur. Placuit etiam Tabienæ in Summâ suâ *Rosella* dictâ, verbo, Confessio. 1. §. 4. Jacobus Almainus Scotista celebris ità Scotum intelligit & probat in 4. dist. 14. q. 4. prop. 2. *Ideò patet ex isto secundo dicto*, Sacramenti susceptionem esse dispositionem sufficientem ad remissionem peccati, *quod Deus aliquando confert gratiam absque dispositione præviâ, & hoc est majoris misericordiæ. Dedit enim Deus duas vias ad remittendum peccatum & ad habendam gratiam. Unam per dispositionem, alteram verò per Sacramentum pœnitentiæ. Unde dicit Doctor, quod per secundam viam, id est, per Sacramentum non requiritur nisi libera susceptio Sacramenti ad intentio-*

nem Ecclesiæ, & non requiritur operatio interior. Postquam hæc adversus Gabrielem propugnavit, addit: *Ponit tres modos, per quos remittitur peccatum sine Contritione. Primus, quando aliquis voluntarie suscipit Sacramentum sine detestatione peccati, dummodo non habeat propositum peccandi. Secundus, quando cum displicentia peccati suscipit Sacramentum, sed illa displicentia non est sufficiens propter remissionem. Tertius, quando illa non est sufficiens, non propter remissionem, sed propter nimis brevem continuationem. In istis tribus casibus virtute Sacramenti pœnitentiæ remittitur peccatum, & infunditur gratia.* Almainum tamen puduit tàm laxæ sententiæ, ideò paulò post subdit: *Alia opinio videtur probabilior, puta quod requiritur detestatio cum Sacramento. Et illam tenent omnes Doctores præter Scotum.*

Mirum magis videri debet quod Sylvestro Thomistæ insigni & Sacri Palatii Magistro non modò placuerit, sed aliquid ille hac in causa inferius & humilius Scoto pronuntiaverit. Sic enim ille in Summâ, verbo, *Confessio.* 1. n. 24. cum dixisset teneri pœnitentem cum interioribus lachrymis confiteri, *quæ sunt displicentia peccati præteriti cum proposito cavendi à futuris, id est, Contritio, vel saltem Attritio,* quasi nimis aspera & difficilia pœnitentibus proposuisset, elegantem temerè dicti ἐπανόρθωσιν subdit: *Imò sufficit, si quis vellet habere displicentiam, & à Deo gratiam cavendi in posterum, quia talis est attritus virtualiter, &c. Unde in absolutione virtute clavium justificatur, &c. Imò dicitur fortius secundum Scotum, quod sufficit quis velit habere talem displicentiam, non solum formaliter, sed etiam virtualiter, eam volendo in suâ causâ, id est, in Sacramento pœnitentiæ justificante.* Deindè Scotum ità interpretatur, *tenet quod ad consequendam gratiam per hoc Sacramentum, non requiritur Attritio, sed sufficit voluntas suscipiendi hoc Sacramentum sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto in ultimo instanti absolutionis.* Posteà improbat eorum sententiam, qui dicunt actum interiorem esse partem Sacramento essentialem. Vult enim sufficere Contritionem aliquando futuram. Hoc autem, eo quod censet in sictè confitente ornatum quemdam imprimi, cujus virtute licet gratiam propter fictionem tum non assequatur, recedente tamen fictione, eam tandem consequatur. Quem igitur vult sacrilegè absolutionem

petere, sic eum describit. n. 25. *Qui autem nullam omninò habet displicentiam etiam virtualem, vel voluntatem cavendi, sed actu vult non cavere, si confitetur, & petit absolvi, mortaliter peccat propter irreverentiam Sacramenti.* An dispositiones istæ à Sylvestro, Scoto, & plerisque Scotistis requisitæ ad remissionem per Sacramentum pœnitentiæ obtinendam cum dispositione à sanctis Patribus tanto animi ardore, tantis laboribus petita optimè conveniant, aliorum esto judicium.

Scotistarum sententiam nonnulli recentiores secuti videntur, non tamen ità jejunam & exsuccam. Volunt enim Attritionem magnam & vehementem, quæ tamen ad eum vehementiæ gradum, qui Contritioni constituendæ, necessarius est, nondum pervenerit, ut virtute Sacramenti sine ullo sui augmento gratia producatur, & anima justificetur. Ità Graphius Neapoli pœnitentiarius Major, qui scribebat anno 1593. in decisionum aurearum lib. 1. c. 2. duplicem constituit Attritionis speciem. Unam: *Quæ concipitur ob amorem Dei, & quia peccatum est ejus offensa cum credulitate, quod habeat sufficientem dolorem, licet reverà illum non habeat, & hæc Attritio potest fieri Contritio.* Objicit autem sibi sanctum Thomam, qui negat Attritionem fieri posse Contritionem, sed respondet sanctum Thomam intelligendum esse de Attritione, quæ animo concipitur ex timore Gehennæ & Judicii divini, non de eâ, cujus objectum est amor Dei, & dolor de illius offensâ. Sed præterea censet Graphius dolorem hunc posteriorem, si pœnitens credat eum Contritionem esse, & sufficientem adjuncto Sacramento, ad veniam peccati sufficere & ad gratiæ productionem, Scoti sententiam, quam citat, amplexus. Quàm benè hæc sententiæ pars posterior cum hoc, quod affirmat, in distinctione cohæreat, non est hujus loci excutere. Quicquid sit, ipsi utrumque Attritionis genus, modò censeatur Contritio sufficiens adjuncto Sacramento pœnitentem justificat. Undè manifestè constat, eum non aliqualem Attritionem, sed vehementem postulare, quę pro Contritione facilè possit à pœnitente sumi.

Petrus Binsfeldius Theologus Doctor & Suffraganeus Trevirensis in Enchirid o Pastorali c. 9. de Contrit one quærit, *quæ est illa salutaris Attritio virtute cujus accedente Sa-*

cramento homo ex attrito fit contritus. Deindè respondet: sic describi potest ex Concil. Trid. sess. 14. c. 4. *Est dolor minùs perfectus ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter conceptus, voluntatē peccandi excludens cum spe veniæ.* Hoc posito fundamento colligit. *Ex dictis facile resolvi potest, an idem actus Attritionis possit fieri Contritio: nam virtute Sacramenti Attritio potest fieri Contritio, quod multò rectiùs intelligitur secundum illorum Doctorum sententiam, qui tradunt Attritionem & Contritionem non differre, nisi penes intensum & remissum, ità ut idem actus numero remissus sit Attritio, intensior factus, Contritio reddatur: cui sententiæ videtur applaudere Concilium Tridentinum, cum Attritionem vocat Contritionem imperfectam.* Non improbabiliter tamen Binsfeldii sententia ad eam referri posset, quæ Attritionem sui augmento per Sacramentum fieri posse Contritionem docet. Hactenùs de Scoti sententiâ.

CAPUT NONUM.

Durandi sententia expenditur, scilicet de insufficienter contritis. Quid fiat in Sacramento Pœnitentiæ. Quid de non sibi proponente abstinere. An ficte confessus iterum confiteri teneatur. Juxta eum specie non differre Contritionem quæ extrà Sacramentum, & eam quæ in Sacramento iustificat.

SENTENTIA, cui potissimum adhæret Durandus, eadem est cum secunda, quam ex sancto Thomâ explicavimus, Attritionem nempè, sivè Contritionem insufficientem, quæ à pœnitente judicatur probabiliter sufficiens, virtute Sacramenti veræ & perfectæ Contritionis effectum consequi. Hanc suam sententiam evidenter explicat in 4. distinct. 17. q. 13. his verbis: *Aliquis potest dici non contritus, aut non pœnitens dupliciter: uno modo, quia dolet de peccatis, sed sufficienter non dolet; alio modo, quoniam dolet de peccatis, nec pro*

tunc

tunc abstinere proponit. Primo modo Confessio facta à non Contrito valet, quia nulli potest constare de sufficienti Contritione; & ideò ad hoc, ut excusetur à transgressione præcepti de Confessione, sufficit quod reputet se contritum, & credibile est, quod Deus suppleat residuum; aut quia per absolutionem virtute clavium præcedens dolor, qui fuit insufficiens, efficitur tunc sufficiens, aut quia postmodum succedente sufficiente Contritione dimittitur peccatum. Insufficienter contritus est attritus, ut rei consequentia necessario evincit, & ex ipso Durando expressis verbis statim demonstrabitur. Qui igitur credit se contritum, licet talis non sit, Sacramenti virtute fit ex Durandi sententiâ contritus. Addit autem, *aut quia postmodum succedente sufficiente Contritione dimittitur peccatum:* Alludit ad dogma scholasticum, quod tùm in scholis vulgari incipiebat, aliquando dolorem adeò esse levem, sive Attritionem adeò languidam, ut per Sacramenti susceptionem non fiat Contritio, sed tamen fictione illâ postmodum recedente Sacramentum sortiri effectum, interim tamen confessionem non esse repetendam.

Quod ad eum, qui dolet quidem, sed à peccato abstinere non sibi proponit, censet nec, dum confitetur, peccati maculam deleri, nec recedente post confessionem fictione. Itàque quod ad gratiam attinet, nullam prorsùs esse confessionem: Quia, inquit, aut fictionem illam non confitetur, aut confitetur. Si priùs, sacrilegium in confessione committit: Si posteriùs, absolvi non debet. *Quia Minister, cum sit instrumentum principalis agentis, scilicet Dei, non debet aliquem absolvere, quem scit à Deo non absolvi.* Aliorum, qui multi erant, sententiam refert, qui hujusmodi confessionem valere ad maculæ peccati deletionem asserebant, non quidem tunc cum confessio edebatur, sed recedente post confessionem fictione. Improbatâ hàc sententiâ subjicit: *Ideò qui sic confitetur, & de facto absolvitur, tenetur iterùm confiteri eadem, & de iis absolvi. Nec est dubium quin hæc opinio sit securior, quia confitendo iteratò nullum periculum sequitur, sed maxima securitas, Qui autem omittit iterùm confiteri, committit se dubio, quod est valdè periculosum, in his quæ tangunt salutem vel animæ damnationem.*

Iterùm Durandus in distinct. 18. q. 2. *In pœnitente antequam*

actualiter suscipiat Sacramentum pœnitentiæ quandoque præcedit sufficiens dispositio delens culpam & conferens gratiam &c. quandoque vero non præcedit sufficiens Contritio, quæ culpam deleat, sed Attritio, quæ superveniente Sacramento virtute clavium efficitur sufficiens: & tunc per Sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum, & deletur culpa, & confertur gratia. Et ità virtus clavium extendit se ad dimissionem culpæ, quando eam invenit. Diligenter quoque ponderanda sunt verba, quæ paulò post sequuntur. *Contritio præcedit tempore aut naturâ absolutionem quæ fit virtute clavium nisi quando in absolutione Attritio præcedens fit Contritio. Tunc enim operatur virtus clavium ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, sicut operatur ad hoc quod Attritio fiat Contritio.*

Ex his testimoniis necessariò consequitur Contritionem, quæ sola justificat, ab eâ quæ cum Sacramento idem præstat sivè ab Attritione, gradibus intensionis non autem specie differre. Id enim demonstrant & nominis participatio, & sufficientiæ insufficientiæque addita epitheta. Ità enim loqui omnes solent de omnibus qualitatibus, habitibus & dispositionibus, earumque actibus. Deindè in primo testimonio dicit nemini constare posse de sufficienti Contritione. Hoc intelligi non potest aliter quam de gradu seù perfectione Contritionis ad gratiam producendam necessariâ: cuique enim constare facilè potest an solo timore pœnæ, ut servus ad opus, in peccatum feratur, an verò id faciat Dei offensi dolore actus. Sed nemini constare potest, an satis ardenti dolore Dei offensi inflammetur, non modò ut gratiam consequatur, sed etiam ut eâ per Sacramenti virtutem fruatur: Hoc est scire certò non potest an Contritionem sufficientem habeat, sed ne quidem an Attritionem. Potest enim esse adeò levis Attritio, ut per Sacramentum fieri non possit Contritio. Præthereà modus iste loquendi idem extorquet, *dolet de peccatis, sed sufficienter non dolet.* Dixisse debuerat dolet de peccatis, sed non eo modo quo tenetur. Dolet enim de peccatis propter pœnæ timorem, non propter Deum. Insuper si de Attritione, quæ solum pœnæ timorem complectitur verba faceret, frustrà & imperitè dixisset, *dolet de peccatis, sed sufficienter non dolet*; quià juxtà omnium Theologorum sententiam, quantumlibet intendatur ejusmodi Attritionis

actus, nunquam tamen sufficiet ad justificationem extrà Sacramentum obtinendam, ut vult hic & supponit Durandus. Eodem non inevidenter tendunt singulæ ferè Durandi periodi à nobis excerptæ.

Idem prætereà non minùs evidenter colligitur ex iis quæ scribit in dist. 17. q. 2. resp. ad 1. Contritionem monet considerandam esse & ratione principii sui, & ratione termini: *Dico principium Contritionis cogitationem, quâ quis cogitat de peccatis sigillatim, & dolet, & si non dolore perfecto. Terminus autem Contritionis est quando ille dolor perficitur, & gratiâ informatur. Et ille dolor simul est de omnibus sigillatim cogitatis.* Contritionis gradus successivi qui antecedunt ipsius perfectionem, atque ipsa perfectio, quam gratia consequitur, de quibus nunc nobis est sermo, vix poterant clariùs enuntiari. Rem autem sic necessariò fieri quæstione præcedente edixerat. *Justificatio impii, cum sit remissio peccati per eum commissi, requirit ex parte peccatoris detestationem peccati quatenùs est commissum contrà divinum præceptum. Alioquin non esset dispositus quod peccatum à Deo remitteretur.* Hoc probat autoritate sancti Augustini, deindè persequitur: *Inconveniens enim esset, quod voluntate peccatoris à peccato non aversâ, remitteretur ei culpa. Propter quod in peccatore, ut sit ad justificationem recipiendam dispositus requiritur duplex motus liberi arbitrii, vel unus motus in duo, scilicet in Deum, & in peccatum, ut detestetur peccatum, qualiter est contrà reverentiam & obedientiam divinam commissum, &c.* Ista cuilibet justificationi necessariò conveniunt. Si quid tamen desit, judicanti bonâ fide adesse, virtute Sacramenti supplerur & producitur: Ne quis, cum est adhuc à Deo aversus, justificetur.

Qualis sit motus ille liberi arbitrii clariùs eâdem quæstione explicatur. Ejus modi argumentum contra Sententiam suam attulerat: *Ad justificationem requiritur motus liberi Arbitrii in peccatum, detestando ipsum, & in Deum, diligendo eum. Hæc autem frequenter præcedunt gratiæ infusionem, & peccati remissionem. Ergo non omnia, quæ concurrunt ad justificationem impii, sunt simul.* Totum concedit Durandus, duplicem nempe hunc liberi arbitrii motum gratiæ infusionem præcedere, sed tum dispositionem esse ad justificationem insufficientem. *Quod*, inquit, *est verum, maximè*

quando detestatio peccati est insufficiens & fit metu solius pœnæ, quod concessum est. Clarum est duplicem facere insufficientiam, minorem & majorem; minorem, cum homo jam Dei amore ductus peccatum detestatur; majorem, cum idem facit solo pœnæ timore. Dispositionis enim insufficientia, in debili illâ Attritione maximè elucet, quia fine & objecto à contritione differt. Quia, ut paulò ante dixerat, timor non disponit sufficienter hominem ad salutem.

Objici posset id quod statim sequitur, & *Vocatur talis dispositio attritio*, & quod scribit quæstione sequente: In corporalibus *Dicitur aliquid attritum, quando tactu fortiori premitur, sed dicitur contritum, quando in partes minutas frangitur. Similiter quando voluntas hominis adhærens peccato premitur timore ex consideratione pœnæ debitæ peccato, & ob hoc resilit à peccato, dicitur attrita, sed quando non solùm timore pœnæ, sed amore vitæ totaliter resiliit á peccato, plenè detestando ipsum, dicitur contrita, & sic Contritio est dolor, vel perfecta displicentia voluntatis de peccatis commissis.* Videtur igitur ex ipsius Sententiâ Attritio tantùm dicenda actus voluntatis à timore motus, & consequenter cum dixit Attritum virtute Sacramenti, fieri contritum, attritionem intellexit solo pœnæ timore conceptam. Actum ejusmodi attritionem propriè vocari, quia toto objecto & substantia à contritione distat, jam sæpiùs dictum est. Verùm attritionis nomine hunc solum actum apud Durandum venire falsum esse, quæ allata sunt, evidenter demonstrant. In locis igitur citatis attritionem contritioni opponens, actus eligit sibi invicem maximè oppositos, Contritionem scilicet, ut verbis ipsius utar, quæ est perfecta voluntatis displicentia, quæ amore Dei totaliter resilit à peccato, quæ plenè ipsum detestatur, quæ, ut dixerat q. 1. perfecta est ad justificationem dispositio, summèque Deum diligit. Eam verò attritionem quæ solo timore pœnæ à peccato abstinet, quæ est imperfectissima dispositio, ut pote pœnitentiæ initium. *Dispositio*, inquit, quæst. 1. *Ex parte hominis est quando que & ut plurimum imperfecta, à principio, quandò homo timore pœnæ incipit pœnitere de peccato: pœnitentia enim timore concipitur.* Intermedios actus ista non negant; imò supponunt. Quis

enim dubitare potest invariato objecto displicentiam illam posse esse imperfectam: si amore Dei totaliter & plenè peccatum detestatur, id facere posse non plenè nec totaliter? frustra Durandus plenè totaliter & perfectè addidisset, si, dato quod Deum amet homo, & peccatum detestetur, id aliter præstare non potest, quàm plenè, totaliter, summè & perfectè. Actus illi inter extrema medii Attritio dicuntur & contritio, imperfecta nempe & insufficiens. Quapropter ut cæteros omittam, à Durando, ut ex testimoniis allatis legenti constat, utroque nomine vocantur.

Quæri potest quomodo intelligat Durandus attritionem sive contritionem imperfectam virtute Sacramenti fieri contritionem perfectam, an æquivalenter, an dispositionis augmento? Hanc quæstionem non movet, ut tamen apposité ad ipsius doctrinam respondeatur; prænotanda sunt nobis duo ipsius doctrinæ axiomata. Primum est, nullam vim instrumentalem nedum principalem Sacramentis inesse gratiæ effectivam, vel ad eam dispositivam. Utrumque Deum per se præstare, atque ad id præstandum voluntario pacto se obstrinxisse, ad largiendum scilicet Sacramenta recipientibus, modo non ponant obicem, gratiam & dispositionem ad eam. Itaque Sacramenta esse tantum causas, sine quibus gratia non conferretur, quæ gratiæ productionem aut ejus dispositionem nullo modo attingunt. Secundum, Contritionem præexigi quidem Sacramentum recipientibus, veluti dispositionem necessariam, sed Sacramenti partem non esse. Ex quibus duo confici videntur, prius, Deum ipsum immediatè per se ipsum in usu Sacramentorum dispositionem ad gratiam producere. Posterius, attritionem fieri Contritionem in usu Sacramenti non æquivalenter, sed dispositionis augmento, ita ut qui tantum Attritus ad pœnitentiæ Sacramentum accedit, sumpto Sacramento formaliter contritus recedat. Hoc necessariò videtur exigere illa contritionis Sacramentum recipientibus necessitas. Deinde idem expostulant evidenter verba primi testimonii ex Durando citati. *Credibile est quod Deus suppleat residuum &c.* Testimonium quoque ex quæstione. 2. dist. 18. Attritio virtute clavium efficitur sufficiens; *Et tunc per Sacramentum pœnitentiæ*

Verum negotium, inquit, facessit, quando ad unum numero actum Attritio & Contritio referuntur, quia sanctus Thomas id fieri non posse docet. Sancti Thomæ sententiam dupliciter ait verificari posse. Attende autem undè verificationem illam desumat: *Uno modo*, inquit, *secundum illos, qui dicunt, quod actus intellectus similiter & voluntatis, cum sit simplex, non habens partem & partem, non potest intendi & remitti.* Undè consequi videtur unum & eundem actum esse non posse Attritionem & Contritionem. Tota argumentatio tàm sancti Thomæ quàm Paludani hoc fundamento nititur, Attritionem à Contritione gradu non specie differre, sicque necessariò colligenda est, unus & idem numero actus voluntatis intendi non potest, vel remitti: sed Attritio, ut fiat Contritio, necessariò intenditur: ergò Attritio & Contritio unus numero voluntatis actus esse non possunt. Posteà secundum verificationis modum sic explicat. *Si dicatur quod Contritio est actus à gratia elicitus: Cum non posit esse actus à gratia elicitus, quia principio non erat gratia informatus, & per consequens non erit Contritio actus ille, qui tantùm fuit à principio Attritio.* Sed gratiæ informatio per se actûs objectum non mutat, sed illi tantùm dignitatem & meritum tribuit: verbi gratia, actus amoris Dei à gratiâ gratis datâ elicitus justificationis impii secundum scholasticos Doctores non est meritorius. Informetur gratiâ habituali voluntas, & alium amoris Dei actum eliciat, actus ille priore multò erit dignior, & vitam æternam merebitur. Posterior ille efficere quidē potest ut cū priore unus numero actus esse non possit; verùm non efficit, nec efficere potest, ut prior ab āore Dei non fuerit elicitus. Dicere autē actū amoris Dei à gratiâ præveniente elici non posse, esset perabsurdum, & Patrum omnium placitis oppositum.

Verùm Paludanus post hanc sancti Thomæ defensionem ipsum modestè deserit, ostenditque quomodo unus & idem numero intellectûs & voluntatis actus intendi possit & remitti, gratiâ informari & non informari, difficultatibusque occurrentibus quàm brevissimè satisfacit. *Si autem dicatur, quod causâ intensâ; intenditur effectus, & per consequens durante phantasiatione, quæ potest intendi. Ergo & reliqua, scilicet intellectio & electio.*

Sic de imperfecto actu fit perfectus, sine hoc quod habeat partes quantitativas, sed secundum virtuales gradus, sicut habitus simplex intendítur. Et sic ex parte liberi arbitrii Attritio potest fieri Contritio: quia actus imperfectus non corruptus potest perfici, sicut charitas augeri, licet hoc sit difficile; quia charitas est habitus manens; actus verò est quid transiens. Hoc tamen non tollit quin actus intellectùs possit intendi pro illo parvo tempore, pro quo durat. Ex parte autem Dei, si Contritioni sufficiat, quod sit actus gratiâ informatus, cum Deus possit infundere gratiam durante actu illo, qui prius non erat conjunctus gratiæ, sequitur quod actus ille secundum partem primæ durationis erit Attritio, & secundùm aliam Contritio. Ea verba tàm evidentia sunt, ut nihil illis addendum judicem.

Hæc docet Paludanus de Attritione, nullâ ad justificationem per Sacramentum pœnitentiæ relatione habitâ. Undè iterùm necessariò conficitur cum de illâ Attritione verba facere, quæ specie à Contritione non differt. Paludani autem sententia, eadem fuit quæ sancti Thomæ, Attritionem virtute Sacramenti fieri Contritionem. Ità enim scribit q. 8. ejusdem distinctionis. *Tertia conclusio est, quod si fuisset talis Attritio, quæ non sufficeret sine Sacramento, sed cum ipso, tunc etiam facta esset Contritio vi clavium, & fugata fictio.* Pro confessis tria sumit, Primum Attritionem vi Sacramenti fieri Contritionem: Secundum, Attrionem eò sæpè perfectionis augeri, ut sine Sacramento in Contritionem evadat & justificet. Tertium, Attritionem aliquando ità debilem esse, ut ne cum Sacramento quidem justificare possit.

Interrogabit Lector, quomodo ex Paludani sententiâ per Sacramentum Attritio fiat Contritio? An per virtutem Sacramenti auctâ dispositione internâ, id est, Attritionis, augmento facto, gratia informatur; an verò Attritione, ut reperta fuit, permanente, gratiæ infusionem attritus consequatur? Priori modo Attritionem fieri Contritionem verba Paludani jam citata quenquam dubitare non sinunt: alio tamen expressissimo testimonio id demonstrabimus. In dist. 19. q. 1. art. 2. sic scribit: *Est notandum quomodo claves Ecclesiæ extendant se ad remissionem culpæ. Et quidem sicut omnis actus virtuosus disponit ad virtutem, si absit; vel auget, si adsit:* sic

sic & hic omne Sacramentũ agit, vel auget quod signat, de sacrâ unct. c. 1. unde cum absolutio significet remisionem culpæ, quanto expressius potest, ad eam disponit, si non adest, ut in Attrito; vel si adest, disponit ad ejus augmentum, id est, gratiæ & remissionis pœnæ.

Michaël Aiguanus, qui teste Trithemio Carmelitarum Præpositus Generalis electus est. an. 1381. licet Contritionem Sacramento pœnitentiæ suscipiendo necessariam esse doceat, nihilque in culpam posse sacerdotem; tamen multis explicatâ & probatâ istâ sententiâ, ab aliâ Scoti autoritate inductus non abhorret in 4. dist. 19. q. unicâ in responso ad argum. in 1. conclusionem. *Secundò dico quod aliquando in isto Sacramento infunditur prima gratia, ut puta, posito casu quod aliquis sit contritus de peccato, non tamen tali Contritione, quæ sufficiat ad justificationem, & veniat talis ad Confessionem, tunc in termino absolutionis sacerdotis tali infundetur gratia virtute clavium, ut dicit Scotus dist. 18.* Contritionem ibi utroque modo & pro perfectâ Contritione, & pro Attritione sumit: verbo autem Attritionis nunquam utitur autor ille. Sed Contritionem in secundâ significatione pro gradu Contritionis remisso ab eo accipi palàm est. An qui vult Contritionem perfectam peccatum ante confessionem remittentem necessariam esse, antequàm Sacramentum suscipiatur, in illius sententiæ approbationem, eodem loco momentoque labi potest, quæ Attritionem ex solâ pœnæ formidine ortam justificationi per Sacramentum sufficere docet? Deindè idem confirmat perspicuâ Scoti sententiâ, quam se referre, & non improbare monet.

CAPUT UNDECIMUM.

Bernardi de Gannaco refertur doctrina, quod Attritio per Sacramentum non evadat Contritio, nec illud culpam remittat. Joannes Capreolus sancti Thomæ sententiam cum parvo discrimine amplectitur. Pauli Soncinatis Capreolum abbreviantis & sequentis verba describuntur. Neuter Contritionem absolute necessariam ante Sacramenti susceptionem existimavit, sed Attritionem vi absolutionis fieri posse Contritionem. Thomistis adjunguntur Franciscani, Astesanus, Angelus de Clavasio, &c.

BERNARDUS de Gannaco, quem sæpissimè allegat Capreolus, quique magnâ animi contentione adversus Godofredum pro sancto Thomâ scripsit, docebat, ut rem omnibus exploratã Quodlibeto 5. q. 14. Sacramentum pœnitentiæ ex attrito non facere contritum, nec remissionem culpæ largiri, nisi absolutionem præcederet Contritio. Sic ille ex sancti Thomæ, ut opinabatur, sententiâ philosophabatur. Confessio peccatorum omnium sine ullâ displicentiâ sufficit ad implendum confitendi præceptum Ecclesiasticum, & etiam divinum, ità ut hæc eadem peccata non teneatur iterùm confiteri pœnitens. Absolutio autem sic confitenti data gratiam & peccatorum remissionem non causatur, sed duplicem alium effectum, præsentem unum, & futurum alterum: Effectus præsens est illi ornatus quidam animæ, charácteri similis, qui etiam in fictè baptizatis imprimitur. Effectus futurus est gratiæ Sacramentalis Contritione post modum adveniente recuperatio, non secùs ac in baptismo fictione recedente per characterem gratia baptismalis acquiritur. Quantumlibet autem attritus sit qui confitetur, fictè, inquiebat, confitetur, nec gratiam acquirit per absolutio-

nem; nunquam enim attritus per absolutionem fit contritus, sed tantùm per ornatûs productionem ad Contritionem & gratiam Sacramenti post modum recipiendam disponitur.

In responso ad 5. *Iste*, Godofredus, *dicit quod Confessio valet attritis, & certum est, quod non valet eis pro tempore illo ad remissionem culpæ, sed pro tempore alio, quod non posset facere, nisi aliquem effectum in attrito dimitteret.* Et in resolutione ante argumentorum solutionem: *Dicendum est in proposito, quod homo obligatus est ad confitendum absolutè, ità quod implet præceptum de confessione, confitendo integrè; sed non est ei utile ad vitam æternam sine Contritione vel tunc præsente vel futurâ.* Et paulò post. *Tenetur ergò Deo & homini; sed ab obligatione, quâ tenetur Deo reconciliari, nunquam deobligatur sine Contritione: quia nisi habeat eam, nunquam restituitur ad amicitiam divinam.* In responso autem ad secundum colligit, *quod non minùs potest Confessio præterita quàm futura, imò magis: quia præterita habet illam dispositionem imprimere, quæ dicta est, quam non imprimit futura, quantumcumque habeatur in proposito.* Quod confirmat aliâ ratione, *quia unumquodque virtuosius est in esse reali, quàm in proposito; sed Confessio præterita fuit in esse reali, & dimisit prædictam dispositionem: Ergo non minùs fecit quantùm ad omnia quàm confessio habita in proposito.*

Nonnulla reprehendit in eo Capreolus, qui multis post eum scribebat annis, atque inter cætera illud est, *quod Sacramentalis absolutio, nunquam de Attrito efficiat contritum.* Ratio autem præcipua, quâ motus Bernardus ille scripsit, confessionem etiam sine displicentiâ non esse iterandam, est, quod pœnitens scire non possit, an sit attritus vel contritus, nec id dignoscere possit Confessor, qui tamen agnoscere debet materiam, in quam operaturus est. Asserit tamen si pœnitens *diceret se non pœnitere de peccatis, vel non velle cavere in posterum, vel etiam si perfecta evidentia ostenderet se non esse contritum*, sacerdotem non debere eum absolvere, *quia non solum habet claves aperiendi cœlum, sed etiam claudendi.*

Joannes Capreolus Tolosas Thomista insignis, qui finem imposuit scriptis suis in magistrum anno Christi, ut testatur, 1432. cujusque totum studium occupatum fuit in sancti Thomæ placitis adversus Scoti, Durandi, Aureoli & Godo-

fredi impugnationes tuendis, eandem cum sancto Thoma sententiam tuetur, sed non omninò sinceram. In duobus enim ab eâ recedere videtur, quanquam utrumque, præsertim posteriùs, apud eum non sit omninò exploratum. Priùs est quod efficientiam Sacramenti soli absolutioni tribuere videtur; saltem ab eâ sententiâ non longè videtur abesse. Posterius est quod Sacramenti efficientiam, ut sanctus Thomas in dispositionem ad gratiam non terminat, sed nonnunquam eam diffundere videtur, non quidem ad gratiam gratum facientem, sed ad gratiam Sacramentalem, quam ait absolutione in nobis instrumentaliter à Deo produci. Diligenter consideranda sunt, quæ ex fine distinct. 16. lib. 4. adnotamus: *De Sacramento pœnitentiæ possumus loqui dupliciter, primo quantum ad suam primam perfectionem, & actum primum, vel primam integritatem, sine quo non manet ejus essentia nec veritas Sacramenti: & isto modo partes ejus sunt absolutio, confessio, & aliqualis displicentia de peccatis, sive sit Contritio, sive Attritio, sive qualiscumque dolor, vel detestatio peccatorum. Et ubi aliqua istarum partium deesset, aliæ duæ non sufficerent, nec ad veritatem, nec ad integritatem Sacramenti, nec ad ejus primam perfectionem, vel actum primum. Secundo possumus loqui de Sacramento pœnitentiæ, quantum ad secundam suam perfectionem, quâ scilicet continet, & illud quod est Sacramentum, & illud quod est res tantùm, & id quod est res & Sacramentum & hanc secundam perfectionem non habet sine contritione, nec sufficit ad illam quicumque alius dolor, nisi sit Contio.* Hac distinctione duplicis perfectionis & integritatis Sacramenti pœnitentiæ sic explicatâ, attende, lector, quas eliciat indè conclusiones: *Patet ergo ad argumentum, quia qui confitetur, nec aliquam habet displicentiam de peccatis, nihil recipit, quia nullum est ibi Sacramentum, propter defectum unius ejus partis, scilicet doloris. Qui vero absolvitur & confitetur, & non conteritur, sed dolet licet imperfectè, verum recipit Sacramentum, ex quo aliquid in eo relinquitur, quod est res & Sacramentum, quod quidam vocant ornatum. Non tamen recipit ultimam rem Sacramenti, scilicet gratiam vel remissionem peccatorum; qui autem conteritur, confitetur, absolvitur, perfectum recipit Sacramentum, tàm primâ quàm secundâ perfectione, & ex Sacramento recipit non solùm primam, sed*

ultimam rem Sacramenti. Et quia dolor primi Sacramenti non est formatus charitate, sicut est dolor secundi, ideo primum Sacramentum potest dici informe; secundùm vero potest dici formatum. Et consequenter dicendum, quod Contritio est pars essentialis formati Sacramenti pœnitentiæ, non autem informis, quia ad illam non requiritur Contritio, sed Attritio vel alius dolor. Quid igitur clariùs? Quid luculentiùs ab eo dici poterat, ut confirmaret ad gratiam & remissionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ impetrandam absolutè necessariam esse veram perfectamque Contritionem; & Attritionem aliùve quemcunque dolorem, gratiam virtute Sacramenti non producere, sed hoc tantùm, vel ornatum in animâ, quo fit, ut Sacramentum repeti non debeat, & post Sacramentum susceptum Contritione accedente sine novâ confessione recuperetur gratia Sacramentalis. Sed quid rem in verbis autoris fulgentissimam verbis meis illustrare conor?

Addam nihilominus Pauli Soncinatis autoritatem, qui aliquot post Capreolum annis Ferrariæ & Bononiæ Theologiam professus est, universumque Capreoli scriptum in sententias redegit in epitomen. Sic ille paucioribus verbis, quę jam dicta sunt, effert in fine dist. 16. *Sacramentum potest considerari secundum suam primam perfectionem, sine quâ non manet essentia, & isto modo partes ejus sunt absolutio, Confessio & aliqualis displicentia de peccatis, sive sit Contritio, sive Attritio, sive qualiscumque alius dolor, vel detestatio peccatorum. Et unâ harum partium deficiente, nihil est Sacramentum. Alio modo potest considerari quantùm ad secundam perfectionem, qua scilicet continet Sacramentum & rem, & id quod est res & Sacramentum, & hanc secundam perfectionem non habet sine Contritione, nec est nisi sit Contritio. Est ergo illud Sacramentum informe, ex quo in eo aliquid relinquitur, quod est Sacramentum & res Sacramenti, scilicet ornatus; non tamen recipit gratiam. Sacramenti autem pœnitentiæ formati pars est Contritio.* Itâ summi Theologi eo tempore de Sacramento pœnitentiæ philosophabantur, eo semper fundamento freti, gratiam remissionemque peccatorum individuo & perpetuo nexu perfectam peccatorum Contritionem sequi, & quemcunque dolorem, qui Contritionis non esset, vel Sacramentum nullum reddere, vel si validum es-

ſet, & non repetendum, gratiam tamen non producere.

Verùm enim verò ex verbis Capreoli & Soncinatis videtur colligi poſſe eos in eâ ſententiâ fuiſſe, Sacramentum pœnitentiæ ut fructuoſum ſit & gratiam pariat, Contritione præcedi debere, Attritionemque in ipſo Sacramento Contritionem non fieri. Sed eorum verba hoc loco non ſunt ità preſſè & rigorosè intelligenda, ne ſibi contrarii videantur. Alibi enim disertè docent Attritionis dolorem vi abſolutionis ità intendi poſſe, ut tùm Contritio fiat. Primùm hoc demonſtratur ex ſententiâ Paludani quam Capreolus diſt. 17. q. 2. art. 3. fuſiſſimè refert & approbat, in quâ ex quatuor concluſionibus hæc eſt tertia: *Si fuiſſet talis Attritio, quæ non ſufficeret ſine Sacramento, ſed cum ipſo, tunc etiam facta eſſet Contritio vi clavium, & fugata fictio.* Secunda Concluſio fuerat, *Si fuit talis pœnitentia, quæ ſine Sacramento ſufficiſſet, tunc fuiſſet Contritio.* Quâ datâ hypotheſi, nullus, inquit, fictioni locus. Id ſecundò manifeſtum eſt ex eo, quod Bernardum de Gannaco reprehendit, quod id viſus ſit negaſſe: ita enim verſus finem ejusdem diſtinctionis: *Falſum eſt quod attritio cum Sacramento vel Sacramenti ſuſceptione in nullo caſu ſufficiat pro tempore ſuſceptionis Sacramenti ad remiſſionem peccatorum, ſed ſolum poſt ſuſceptionem ejus.* Superveniente ſcilicet poſt modū contritione. *Videtur enim velle quod ſacramentalis abſolutio nunquam de Attrito efficiat Contritum, quod falſum eſt.* Denique finit diſtinctionem his verbis, quæ adeo clara ſunt & diſtincta, ut dubitari non poſſit Attritionem ex ejus Sentētiâ vi abſolutiōis fieri nonnunquam contritionē. *Nonnunquam* dico, quia adeò poteſt eſſe remiſſa attritio Sacramento præſens, ut illius vi ad contritionem non perveniat. *Mihi breviter videtur dicendum quod pro tempore abſolutionis non ſit verum Sacramentum Pœnitentiæ nec integrum, ſi confitens non habet tempore, quo confitetur, nec tempore, quo abſolvitur, ullam diſplicentiam de peccato, quia in hoc caſu non eſt vera, nec integra, nec ſufficiens materia Sacramenti, ut prius dictum eſt, ſi autem habet aliquam diſplicentiam de peccato, quæ tamen non attingit ad rationem contritionis, nec ſecundum ſe nec cum Sacramento, nihilominus eſt verum Sacramentū, ſed non perfectum in ſe & in ſuo effectu, quam tamen ultimatam perfectio-*

nem dabit sibi Contritio, si postea sequatur: si autem nec tempore Confessionis, nec tempore absolutionis affuit Attritio, nec qualiscunque displicentia de peccato, tunc nulla Contritio sequens faciet, nec integrabit nec perficiet præcedens Sacramentum, quod nullum fuit. Eadem habet brevius Paulus Soncinas in fine ejusdem distinctionis & initio q. 2. ejusdem dist. has ponit conclusiones, *Confessio facta sine contritione non valet pro tempore quo fit ad remissionem peccati, quo ad culpam vel pœnam. 2. Talis confessio recedente fictione incipit esse fructifera.* Theologorum nemo in animum suum inducere poterat gratiam sine perfecto contritionis actu alicui adulto obvenire posse. Ideo nisi contritio confitenti adesset, dum absolvebatur, gratiâ donari negabant; advenire verò, cum post susceptum Sacramentum conterebatur; ita ut nec gratia à perfecto contritionis actu, nec perfectus contritionis actus à gratiâ unquam separarentur.

Ex præcedentibus facilè colligitur prius duorum, quæ diximus ab autore addita opinioni sancti Thomæ, omnem scilicet Sacramenti pœnitentiæ efficienciam absolutioni tribuisse aut, saltem principalem. Quanquam enim Confessionē non excludat, eam tamen cum absolutione disertè non conjungit. Posterius autem, quod videtur addidisse Sententiæ sancti Thomæ supra explicatæ, spectat efficientiam Sacramenti pœnitentiæ respectu gratiæ. Omnem enim Sacramentis respectu gratiæ efficientiam negavit sanctus Thomas; respectu tantùm dispositionis ad gratiam concessit. Sed Capreolus distinguit inter gratiam gratum facientem & Sacramentalem, asseritque Sacramenta nihil operari effectivè ad gratiam gratum facientē, sed solùm dispositivè; ad Sacramentalem verò, utroque modo. Ita enim Conciliat testimonia S. Thomæ, quæ in 4. Sententiarum leguntur, & quę in 3. part. q. 62. art. 1. *Intelligendum est*, inquit, *quod pertingunt ad gratiam Sacramentalem effectivè; ad gratiam verò gratum facientem, solùm dispositivè, ut exponit Petrus de Palude.* Eadē verba ex Capreolo excerpsit, & eodem sensu citavit Paulus Soncinas. Verum ille non absolutè, sed hypotheticè loquitur. Hæc sunt ipsius verba in 1. d. 1. q. 1. *Secunda conclusio est. Quod Sacramēta accingunt ad productionem dispositionis ad gratiam, quæ est character vel orna-*

tus, & pari ratione ad gratiam Sacramentalem, si differat ab aliâ gratiâ. Prætcrquam quod enim Paludanus hypotheticè tantum loquitur, ipsius verba referri possunt, & potius referenda sunt, ut verborum istorum constructio & argumenta sequentia demonstrare videntur, ad dispositionem ad gratiã Sacramentalem, quam ad ipsam gratiam, hoc est, Characterẽ & ornatũ non modo disponere ad gratiam gratũ facientem, sed etiã ad Sacramentalem.

Ex præcedentibus iterum quisque colligere potest Attritionem, quæ virtute Sacramenti fit contritio, gradu tantum doloris à contritione differre. Quomodo aliter censuisset ille, qui cum S. Thoma, quem in pleris que locis citat, docet à peccato abstinere non modò propter solum, sed vel principaliter propter inferni timorem, malum esse, quanquam alias dolor ille hac ratione conceptus sit bonus & utilis. Ita tandem collegit D. 17. q. 1. art. 3. *Ex quibus elici potest, quod non quicunque omittit peccare timore pœnarum infernalium, peccat ex hoc; sed solum, quando solùm omittit propter hoc, vel principaliter omittit illius pœnæ timore, quã fugit sicut summũ malũ & in suo proprio bono naturali constituit ultimum finem.* Quique cum eodem sancto Thoma docet iterum eumdem timorem, quâ ratione bonus est, licet sit à Deo, inter tamen Spiritus Sancti dona numerandum non esse.

Idem cum Paludano, Capreolo, Soncinate plures alii Thomistæ disertè docuerunt Joannes de Friburgo lib. 3. summæ tit. 34. q. 66. Quærit an confessio valeat facta sine contritione & charitate? Non valere respondet quod ad fructum absolutionis attinet, quia non contritus accedens fictè accedit; non esse tamen reiterandam. Hoc probat allatis sancti Thomæ verbis, quibus non contritum ait fictè accedere; valere tamen ejus confessionem, nec reiterandam, cum postea recedente fictione, eâque confessâ, absolutionis præteritæ fructum percipiat. Cui Sententiæ ait consentire Petrum de Tarantasia. Item q. 70. Quærit utrum aliquando teneatur homo Cofessionem Sacramentalem iterare? Sic respondet secundum Petrum de Tarantasia *Confessio est in remedium, sic non procest inmortali suscepta; tamen absolvitur homo præcepto, sicut & fictè baptismum suscipiens &c.* Casus tamen quatuor explicat in quibus

in quibus esset reiteranda. His omnino videtur Joannes ille, sicut & Petrus de Tarantasia, sive Innocentius Papa quintus, existimare, contritionem esse Confessioni tum utiliter faciendæ necessariam; Sententiamque istam confirmat casuum exceptio, si quis eam legat, nec non id quod refert ex sancto Thoma in quodam Quodlibeto, & valdè approbat, *Sacerdos non absolvit aliquem, nisi quem divinitùs credit absolutum; sed postquam est à Deo absolutus, tenetur adhuc Ecclesiæ confiteri.* Verùm quod ad differentiam attinet Contritionis ab attritione, sic ex sancto Thomâ definit propositâ disertè hac quæstione 18. ejusdem tituli: *In corporalibus dicuntur attrita quæ aliquo modo sunt comminuta sed non perfectè; sed contritio dicitur quando omnes partes trita sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat Attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; Contritio autem perfectam displicentiam.* Idem etiam colligitur ex iis quæ refert q. 2. ex sancto Thoma.

Idem docet Sylvester celeberrimus Thomista & totius ordinis Thomistarum olim Magister in Summa. v. Contritio. n. 1. *Attritio secundum nomen importat comminutionem aliqualem alicujus frangibilis, & metaphoricè significat destructionem imperfectam malæ voluntatis, ut cum dolet de peccatis, sed imperfectè, id est, non tantum quantum requiritur ad gratiam divinam acquirendam. Unde in duobus differunt attritio & contritio: primò quia attritio est dolor imperfectus, Contritio verò perfectus. secundò, quia attritio est sine gratiâ, quasi non remittens peccatum, secùs de contritione. Unde comparantur sicut aurora & meridies; Non quasi unus numero actus, qui est attritio, fiat contritio, sed unus specie.* Itaque & ipse & omnes, quorũ recordabatur, Theologi docebant attritionem à contritione specie non differre. Hæc omnia de mente S. Thomæ in 4. dist. 17. & omniũ Theologorum. Differentia autem illa cum gratiâ esse vel sine gratiâ, actui doloris est extrinseca: imò Contritio ipsa juxta Sylvestrum, sanctũ Thomam & Neotericos omnes naturâ prior est gratiâ, ut attritio prior tempore. Itaque ad neutrius substantiam pertinere potest. Et. v. Confessio. n. 24. *Tenemur confiteri cum interioribus* (lachrymis) *quæ sunt displicentia peccati præteriti cum proposito cavendi à futuris, id est*

Contritio, vel saltem attritio &c. Imò sufficit si quis vellet habere displicentiam, & à Deo gratiam cavendi in posterum, quia talis est Attritus virtualiter. Iterum N. 26. utrum confessio facta sine contritione valeat, scribit, *in istâ quæstione Doctores sub nomine contritionis intelligunt aliquando omnem displicentiam, etiam si sit Attritio sola.* Et paulò post secundum fictionis genus explicans, *Sive*, inquit, *Confessa sit, sive non, tamen in puncto absolutionis desinit esse fictio, & valet Sacramentum etiam tempore, quo suscipitur, ut cum quis insufficienter quidem dolet, sed non adeò quin talis dolor Sacramento & usu clavium perfici, & in contritionẽ veram converti possit.* Sanè nemo nescit Sylvestrum Philosophiæ peripateticæ, & Theologiæ scholasticę fuisse peritissimum. Quis autem vel primis labris scientias istas delibavit, qui actibus animi specie differentibus ista tribuerit?

Præcedentibus Thomistis antiquos Franciscanæ familiæ summistas adjungam. Omnium primus est Astesanus, qui summam scripsit *Astensis* vulgò dictam, quam anno 1317. Cardinali Cajetano nuncupavit lib. 5. tit. 9. art. 1. Quærit utrum attritio fiat contritio, atque ut hanc quæstionem solvat, nihil aliud refert quàm verba Richardi supra relata, ideò quod ibi dictum est, hic dictum esto. Similiter & de quæstione sequente, an attritio facientis, quod in se est, necessariò fiat contritio. art. 3. q. 2. sic scribit: Dolor in voluntate, *qui est essentialiter contritio, nihil aliud est, quàm displicentia peccati præteriti, quæ quidem, si sit informis, est attritio, si sit formata, est contritio; sed non formatur de lege communi, nisi sit maxima in comparatione aliorum dolorum.* Distinctio igitur inter dolorem Attritionis & contritionis est, quod hic sit maximus, non autem ille: nec de lege communi, inquit, formatur, hoc est, gratia infunditur, nisi sit maxima. Quapropter ad Confessionem accedenti attritionem necesse est in ipsâ Confessione intendi, ut formari possit: quãdiu enim permanet attritio, maxima non est displicentia. Eodem sensu scribit initio tituli. 19. Confessionem adjunctam absolutioni secundum quod præcedit in voto Pœnitentis, culpâ liberare; *Postea verò*, inquit, *in actu Confessionis & absolutionis gratia augetur, & etiam peccata remitterentur, si præcedens dolor de peccatis non*

sufficiisset ad contritionem, & ipse tunc obicem gratiæ non præberet. Tum supponitur attritus. Quomodo autem ad confessionem accedens Attritus obicem gratiæ ponere potest, nisi Attritionem in ipso confessionis actu non intendendo?

Ideo accedenti ad confessionem vult contritionis dolorem inesse, saltem à pœnitente talem probabiliter judicatum. Præstat ipsum hæc in fine tituli 18. explicantem audire: *Sicut dictum est supra, quod tenemur accedere ad Eucharistiam cum charitate, non quidem necessariò secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem; sic non est necesse quod accedens ad confessionem habeat charitatem, vel dispositionem ad eam sufficientem secundum veritatem: sed sufficit quod secundum probabilitatem. Hæc autem dispositio est Attritio. Quia sæpè in confessione & absolutione Presbyteri formatur per gratiam, ut contritio fiat, vel ad eam contritio subsequatur.* Tandem paulò post colligit: *Non tenetur ergo quis confiteri ex charitate, sed tenetur confiteri vel ex charitate, vel ex dispositione ad charitatem sufficiente secundùm veritatem, vel secundùm probabilitatem*: Hæc illa, quæ ut notat, à sancto Bonaventurâ accepit, & supra ex eodem Bonaventura relata sunt. Præterea perpendenda eodem loco responsio huic argumento facta: *Effectus Confessionis non est nisi in habente charitatem: ergo tenetur homo confiteri ex charitate.* Admittit antecedens, sed negat charitatem initio absolutionis esse absolutè necessariam; sufficere si adsit, vel initio, vel medio, vel fine, atque ut hoc probet, allegat testimonium sancti Bonaventuræ, quod integrum supra recitatum est, cum de istius sancti opinione verba fecimus. Itaque ex illius Sententiâ omnino sequitur, eum, qui saltem in fine Confessionis charitatem non habet, confessionis fructum non consequi, & consequenter confessionem ipsius esse repetendam. Alterā Sententiam refert, quam non improbat, ejusmodi scilicet ad confessionis repetitionem non teneri, *quia licet tunc non recipiat fructum absolutionis, recedente tamen fictione incipiet percipere.* Pro hac, inquit, opinione facit quod habetur Extr. de pœnit. & remiss. quod quidam. & de Pœnit. dist. 3. c. ultimo. Hoc etiam, inquit, sentiunt Richard. 4. dist. 17. q. 2. art. 8. c. 5. Thom. 4. dist. 7. q. 3. art. 4. q. 1. c. Petrus de Tarantasia 4. d. 17. q. 2. art.

5. c. 2. ad opp. Bernard. super dictum c. quod quidam, & Joannes Andreæ.

Angelus de Clavasio, qui Summam suam, vulgò dictam Angelicam, ante annos circiter 150. scribebat, & post Astesanum centum & octoginta, ab aliis non differt, vixque differre poterat, qui non tam suam, quàm aliorum mentem ubique explicat. Sic ille in v. Contritio. n. 1. *In quo differt Contritio ab Attritione? Respondeo secundùm Franciscum & alios Theologos, quod in duobus. Primò, quia Attritio est dolor imperfectus. Secundò, quia Attritio est dolor sine gratiâ gratum faciente, sed non Contritio; & ideò Contritio & Attritio materialiter idem sunt, sicut domus obscura & illuminata, Attritio quippe est lux auroræ, quæ crescendo fit meridies, id est, Contritio.* Verba clara sunt, & jam sæpiùs in aliorum testimoniis explicata. Attritionem autem & Contritionem materialiter idem esse dixit, relatione habitâ ad gratiam, quâ formari vulgò dicuntur. Formalis autem illa denominatio à gratiâ, quæ illis est extrinseca, petitur: ut vel ex ipsa domus & lucis similitudine colligere est. Unus igitur & idem dolor est Attritionis & Contritionis, sicut una & eadem domus luce auroræ & meridiei illustratur. Unus & idem amor Attritionis & Contritionis dolori respondens; sed non idem gradus amoris sicut nec doloris: ut lux auroræ crescens fit meridies, ità crescens Attritionis amor, fit Contritionis amor, ipsaque consequenter Attritio fit Contritio. Idem etiam evidentissimè colligitur ex iis, quæ refert de Attritione in v. Confessio. 1. n. 30. Ex sancto Thoma, Richardo, & Scoto. Doctorum enim istorum sententiam amplectitur, quam suprà fusè explicatam prætermittimus.

CAPUT DUODECIMUM.

Specialis quædam ad Sacramenta recipienda dispositio à nonnullis Theologis inventa explicatur, scilicet quidam vel character vel ornatus animæ adveniens, qui sit ultima ad producendam gratiam dispositio. Plerique scholastici subsequentes inventum istud impugnavere, quod & ipse sanctus Thomas deseruit.

ANTEQUAM ulteriùs ad autorum testimonia referenda progrediamur, operæ pretium aliquod lectori mihi facturus videor, si specialem quamdam dispositionem, quam ad gratiam per Sacramenta recipiendam imaginati sunt celebres quidam scholastici, paucis explicem. Istius sententiæ autorem non nominat Durandus, sed tantùm vocat solemnem Doctorem: Ex verbis tamen, quibus sententiam istam explicat, atque ex argumentorum, quibus illa nititur, relatione, manifestum est per solemnem Doctorem à Durando sanctum Thomam intelligi: Idem etiam persuadent antiqui Thomistæ, Paludanus & Capreolus, qui in Durandum sententiam istam pro viribus confutantem, magno conatu insurgunt. Sed præ cæteris id confirmat D. Thomas ipse, qui hanc sententiam tuetur, & contrariam impugnat in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. & in secundo scripto super sententias. l. 4. dist. 1. art. 4. quænam sit illa dispositio, quid operetur, & quæ illius adinveniendæ fuit occasio, quàm brevissimè fieri poterit, describemus.

Dogma est ab omnibus scholasticis concessum, Sacramenta legis Evangelicæ præstare, quod figurant, atque in eo à Sacramentis veteris legis potissimùm differre, quæ gratiæ promissæ tantum signa erant, non causæ. Cui dogmati conforme est istud Sancti Augustini Tract. 80. in Joannem, *Aqua corpus tangit & cor abluit.* Hinc à sacris istis philosophis quæsitum est, quà ratione in animam agere possent Sacramenta, quæ signa sunt corpo-

rea. Varii de hac difficultate varia senserunt. Omnes primum consentiebant nihil creatum esse posse causam gratiæ instrumentalem, multò minùs principalem; Deum solum per se ipsum eam producere. Hoc posito fundamento, duplex vigebat sententia: Prior Sacramenta esse causas gratiæ, sine quibus non, idest, nihil in gratiam influere, neque efficienter, neque dispositivè, sed Deum ad susceptionem sacramenti per sese gratiam in animam dispositam producere, atque ad illius productionem misericordi pacto sese adstrinxisse. Tali similitudine sententiam suam illustrabant: Argenti pondo centum pollicitus est Rex ei, qui tesseram annulo suo signatam ad sacrarum largitionum comitem detulerit. Deferenti numerantur; numerationis nec effectrix nec instrumentalis causa est tessera illa, sed Rex ipse ad id liberali suâ promissione obligatus. Sacramenta igitur causæ sunt gratiæ, quia illis præsentibus & in actu existentibus, gratiam Deus in subjecto legitimè disposito semper operatur. Hanc sententiam vocat Durandus antiquam, atque à sancto Bernardo traditam scribit, qui in sermone de Cœnâ Domini ità loquitur. *Sicut Canonicus investitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sic & divisiones gratiarum diversis traditæ sunt Sacramentis.* Esseque rationi conformem, quia ut Sacramenta signa sunt gratiæ ex institutione divinâ, sic & causas esse consentaneum est.

Hæc sententia sancto Thomæ non placuit, eo quod nihil illi videtur Sacramentis concedere, quod rationem habeat causæ, cum nec gratiam producere, nec ad eam disponere doceat. Unde videtur illi Sacramentorum novæ legis virtutem à debilibus veteris elementis non satis distinguere. Quapropter aliam invenit, quam his verbis explicat, in 4. dist. 1. q. 1. q. 1. *Ex Sacramentis duo consequuntur in animâ, unum quod est Sacramentum, & res sicut character, vel aliquis ornatus animæ in Sacramentis, in quibus non imprimitur character, Aliud quod est res tantum, sicut gratia. Respectu ergo primi effectûs sunt Sacramenta causa aliquo modo efficientes, sed respectu secundi, sunt causa disponentes tali dispositione, quæ est necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis.* Ex quibus verbis tria manifesta fiunt. Primum, Sacramenta efficienter gratiam

non attingere, ſed tantùm diſpoſitionem ad gratiam: Secundum Sacramenta efficientiâ ſuâ duplicem diſpoſitionem in animâ producere, non omnia eandem: Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem, characterem inſtrumentaliter efficere; cætera, ornatum. Tertium ad characterem & ornatum neceſſariò gratiam conſequi, atque ut poſteà videbimus, gratiam, quæ propter obicem ſecuta non fuerat, eo remoto, ad characterem vel ornatum conſequi.

Non abs re conqueritur Durandus hanc ſententiam multas pati difficultates, *quibus vix poteſt rationabiliter ſatisfieri*. Quæritur primò quæ virtus in corporeis Sacramentis ineſſe poteſt, cujus actio animam attingat ad producendum in eâ characterem & ornatum illum? Subtili animadverſione reſpondet ſanctus Thomas. Inſtrumentum docet duplici virtute eſſe inſtructum, nativa & communicata à cauſa principali: *Sicut*, inquit, *calor ignis, qui eſt inſtrumentum virtutis nutritivæ, ut dicitur in 2. de animâ ex naturâ propriâ habet diſſolvere & conſumere, & hujuſmodi effectus; ſed in quantum eſt inſtrumentum animæ vegetabilis generat carnem.* Sicut præterea in dolabrâ, inquit, eſt duplex virtus, propria ſecare; & communicata ab artifice, ſic ſecare, quâ ſcamni formam attingit: Ità in Sacramentis duplex virtus, una propria ut in aquâ abluere, altera à Deo communicata, quâ diſpoſitiones ad gratiam producit. Verùm quia inde colligere promptum eſſet, ergo Sacramenta inſtrumentaliter ipſam gratiam attingunt, quum ultimam diſpoſitionem ad eam cauſentur, quod ſanctus Thomas tum temporis non concedebat; formarum duplex facit genus, unum, quod à diſpoſitione attingitur, alterum quod ab eâ non attingitur, eo quod forma illa materiæ ſufficienter diſpoſitæ extrinſecùs advenit, *ſicut qualitates activæ & paſſivæ elementorum pertingunt inſtrumentaliter ad formas materiales educendas de materiâ, non autem ad productionem animæ humanæ, quæ eſt ab extrinſeco.* Quid igitur, inquies, attingit inſtrumentum illud ab agente motum? Non formam, ſed ultimam ad formam diſpoſitionem. *Actio inſtrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non: ſemper tamen attingit ad aliquid*

ultrà id quod competit sibi secundum suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio; aliàs non ageret ut instrumentum. Ecquæ tandem est illa dispositio ad quam pertingit, quam producit Sacramentum à Deo motum, & ad quam suâpte naturâ sine divinâ motione evehi non potest, si gratiæ complexu gaudere ἁπλῶς illi non conceditur? Respondet sanctus Thomas characterem esse in quibusdam Sacramentis, in aliis ornatum, quæ sunt ultimæ ad gratiam producendam dispositiones, *Sacramenta*, inquit, *in quantum sunt instrumenta divinæ misericordiæ justificantis pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsâ animâ, qui primo correspondet Sacramentis, sicut est character, vel aliquid hujusmodi. Ad ultimum autem effectum, qui est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositivè, in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effectivè pertingunt, est dispositio; quæ est necessitas quantum in se est ad gratiæ susceptionem.*

Interrogatus autem S. Thomas, quæ est illa virtus Sacramento communicata, atque ei præter naturam propriam ratione illius divinæ motionis competens? Et quodnam genus Entis? In quâ entium categoriâ reposita? Respondet ens esse incompletum & fluxum, non habens substantiam stabilem, sed simile esse fluidis illis & æthereis substantiolis, quæ ab objectis luminis ope eductæ per aërem circumvolitantes in sensus immittuntur, quas philosophi intentiones vocare solent, mediamque tenere sedem inter potentiam puram & actum purum, istamque τοῦ ὄντος naturam instrumentis omnibus convenire, quâ virtute principalis agentis mota ad effectum pertingunt, ut principali agenti virtus completa & qualitas stabilis. Hæc sunt viri sancti verba eodem loco quæstiuncula secunda, postquã refutavit priorẽ sententiam, quæ virtutem illam asserebat nihil aliud esse, quàm ordinem à Deo institutum ad aliquid, ad gratiam scilicet producendam, distinguit inter virtutem agentis principalis, & instrumentalis, & posteà de utrâque sic pronuntiat: *Virtus activa in ipso* (principali) *est aliqua forma vel qualitas habens completũ esse in naturâ. Instrumentum autem agit ut motum ab alio, & ideo competit sibi virtus proportionata motui: Motus autem non est ens completum, sed est via in ens, quæ medium quid inter potentiam puram*

ram

ram & actum purum, ut dicitur in 3. physic. & ideo virtus instrumenti in quantum hujusmodi secundum quod agit ad effectum ultrà id quod competit sibi secundum suam naturam, non est ens completum habens esse fixum in naturâ, sed quoddam ens incompletum, sicut est virtus immutandi visum in äere, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili, & hujusmodi entia consueverunt intentiones nominari. Tandemque sic philosophatus concludit: *Quia Sacramenta non faciunt effectum spiritualem, inquantum sunt instrumenta, ideò virtus spiritualis est in eis non quasi ens fixum, sed sicut ens incompletum,* Hæc affirmat sanctum Augustinum intellexisse, cum dixit: *Aqua baptismi corpus tangit, & cor abluit*; idemque Theologos intellexisse hoc vulgato axiomate: *Sacramenta novæ legis efficiunt, quod figurant.* Hæc omnia iterùm & fusè reperit sanctus Thomas in quæstionibus disputatis q. 27. de veritate art. 4. ibique novemdecim argumentis respondet, sed ornatùs mentionem non facit. Ità tamen docet Sacramenta esse Dei instrumenta, ut eorum ministerialem causalitatem ad gratiam mediatè nullo modo referat, sed tantum ad dispositiones, quæ gratiæ introducendæ necessariæ sunt, hoc est, Sacramentis Deo movente virtutem inesse, quæ aliquid operatur ad gratiæ infusionem, cujus causâ initio conclusionis scribit. *Sacramenta novæ legis esse aliqualiter causam gratiæ necesse est poni.* Id responso autem ad 3. *non principaliter agentibus non attribuitur ultimus finis, sed dispositio ad finem ultimum & sic Sacramenta dicuntur esse causa gratiæ per modum instrumentorum disponentium.* Similia habet in responso ad 9. & 12, quibus determinatur instrumentalis operatio, quàm fusè probat & explicat in conclusione, non definiendo tamen, an illa operatio gratiam ipsam attingat, aut dispositionem ad gratiam.

Sanctum Thomam istius ornatûs primum esse inventorem, quod scribit Durandus, non est usquequaque verum: Hanc enim doctrinam tradidit Alexander Halensis, ut videre est in quarta p. q. 5. memb. 3. art. 5. v. 1. *Sine præjudicio melioris sententiæ opinando dico; nihil asserendo, quod Sacramenta sunt causa alicujus effectus in animâ: non dico solum disponendo, sed efficiendo, efficiunt enim simpliciter characterizando & ornando, unde dico quod singula Sacramenta aliquo modo ornant animam;*

vel imprimendo characterem, *vel alio modo signando*. Hoc posteà pluribus ibidem explicat. mẽb. verò 4. ejusdem quæst. art. 1. fusè docet quare ornatus ille sicut character non sit perpetuus, quâ ratione animam insigniat, & alia ejusmodi. Eadem fuit Alexandro, quæ S. Thomæ, ornatus & characteris docendi causa, ut indè scilicet aliquid in animam Sacramenta divinitùs agere probetur. Cum enim tunc ab omnibus concederetur, Sacramenta nihil ad gratiam in animâ producendam effectivè conferre, aliquid saltem in eâ dispositivè agere, concedendum esse nonnullis visum est. Ideò characterem in scholis attributum tribus Sacramentis huc trahendum judicarunt. Ne verò cætera tribus his inferiora essent, ornatum characteri veluti παρέλκον adinvenerunt, quo invento crediderunt optimè sibi constare, quâ ratione Sacramenta causæ gratiæ dicerentur, cum dispositionum istarum essent per modum instrumenti causæ efficientes. Formula autem loquendi, de isto ornatu, quâ utitur Alexander, facilè indicat primùm ab eo esse inventum & in scholis expositum. Licet tamen sanctus Thomas istius ornatus non sit autor, nec consequenter doctrinæ de istâ Sacramentorum efficientiâ, ut falsò scribit Durandus, primus tamen mihi videtur ornatum illum cum charactere in eo comparasse, quod uterque gratiæ Sacramentalis post fictionis recessum, causa per modum dispositionis ultimæ, veluti materialis constituitur. Sanctus enim Thomas quantùm legendo discere potui, scholasticorum primus accessum gratiæ Sacramentalis post fictionis recessum in Sacramentum pœnitentiæ primus introduxit, idemque de eo docuit quod anteriores scholastici post sanctum Augustinum de Baptismo docuerant. Ad hanc sententiam non nihil accedere videtur Gratianus de pœnit. dist. 3. in fine c. *Quærat hic aliquis*; sed loquitur tantum de pœnis satisfactoriis, quas voluntarias vel impositas aliquando subeunt, qui peccati desertionem in animum suum inducere nondum possunt. Illarum fructum tùm non percipiunt, sed, inquit, percepturi sunt, *cum fuerit pœnitentia subsecuta*: Quod illustrat Baptismi exemplo, qui cum fictione acceptus, eâ recedente, fructum consequitur.

Cognita etiam fuit eadem sententia Magistro. Eam enim

improbat in 4. dist. 15. l. d. sed similiter de satisfactionibus quæstio tantum erat, quas in peccato factas adveniente charitate vivificari, dignitatemque & mercedem reportare nonnulli docebant. Qui autem idem ad Confessionem traduxerit, antè sanctum Thomam vix legetur. Anteà quidem, sed forsan non ante Concilium quartum Lateranense dixerant nonnulli Theologi Confessionem nonnullis in casibus validam esse & non repetendam, licet optato gratiæ fructu non potiretur. Qui fructum illum Contritione posteà adveniente retro trahi doceret, legisse me non memini.

Huic sancti Thomæ doctrinę multi statim repugnarunt. eam modestè deserit Richardus, & quam refutat sanctus Thomas, ipse amplectitur, ut intellectu faciliorem & veritati conformiorem. Henricus verò à Gandavo Quodlibeto. 4. q. 37. eam datâ operâ refutat, tertiamque sententiam de Sacramentorum in gratiam efficientiâ docet, ea, scilicet, *nullo modo aliquid agere ad gratiam creandam, neque in creando attingere eam plus quàm Sacramenta veteris legis, sed solùm dici causam gratiæ præsentis, cujus sunt signa in hoc, quod sunt contentiva ejus, quod est per se causa creativa gratiæ.* Omnis igitur Sacramentorum efficientia juxtà Henrici sententiam à Deo in ipsis inexistente petenda est, qui ad eorum contactum gratiam producit. Sed præ cæteris eam magno conatu impugnant Scotus, Durandus, Thomas de Argentina, Aureolus & Godofredus de fontibus, qui paulò post sancti Thomæ ætatem scribebant. Multi ex posterioribus scholasticis idem fecerunt, ut Michaël Aiguanus Carmelita, Gabriel Major, Almainus, Adrianus, Joannes Medina & alii de quibus capite sequenti plura. Quid? Quod ipse sanctus Thomas se ipsum deseruit, ut suprà adnotatum est, quod Cajetanus Commentario in art. 1. q. 62. tertię partis. Vocat altius sentire. S. Thomæ sententiam de virtute & efficientiâ Sacramentorum quantum ad gratiam gratum facientem, gratiam Sacramentalem, characterem & ornatum, illiusque sententiæ fundamenta perspicuè & submotis disputationis scholasticæ salebris enarrare mihi videtur Viguierius c. 16. v. 10. & sequentibus Institutionum Theologicarum.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Quid sit Ornatus ille, quisve illius effectus. Quid antiqui & recentiores Thomistæ de illo censuerint. Apud Neotericos illius memoriam penè obliteratam esse.

LECTORIS mentem subit, opinor, hæc quæstio: Ecquis est ille ornatus quem sanctus Thomas ait ab ente incompleto Sacramentis divinitùs ad agendum indito productum? Quis illius effectus? Nam aliundè satis potest lectori constare quid sit character, & quis sit illius effectus. Hujus rei explicatio ex duobus sancti Thomæ testimoniis initio præcedentis capitis allatis tantùm colligi potest: Alibi enim de isto ornatu verba non facit. Ex iis autem colligitur ornatum illum, non secùs ac characterem, qualitatem esse à Deo principaliter, à Sacramentis verò instrumentaliter in animâ productam, atque ipsam ad gratiam proximè disponentem, quàmque gratia, nisi obex interveniat, immediatè semper consequitur. Nam, ut ait, post Paludanum Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. a. 3. *Talis ornatus est à Deo, cum sit dispositio ad gratiam, quæ est forma deifica, ad cujus susceptionem immediatam naturalia non sufficiunt.* Hic est ille tantoperè quæsitus Sacramentorum effectus, qui si negetur, Pœnitentis justificatio & salus sæpissimè, ut illis videtur, periclitabitur. De isto ornatu non plura S. Thomas, sed Thomistæ multò plura, quibus problematicè tantùm audent respondere. An sit delebilis? Dicunt indelebilem esse non secùs ac character, eo quod contrariũ non habeat, à quo corrumpatur. An reiterato Sacramento intendatur? Intendi dicunt. An ornatu auctiore facto augeatur gratia? Negant id necessariò fieri, cum inter qualitatem illam & gratiam nonnunquam obex interponatur, qui viam gratiæ jamjam ad futuræ occludit. Ità de ornatu isto analogicè ad characterem disputant. Contrario etiam modo colligunt characteris ab ornatu differentiâ consideratâ. Character enim animæ imprimitur duplici fine,

ut sit ad gratiam dispositio, deinde, ut eo, velut symbolo notatus, quis ab aliis distinguatur, & alicui functioni deputetur. Ornatus verò eo tantum fine animæ imprimitur, ut sit adventuræ gratiæ dispositio. Eo jacto fundamento concludunt, contrario modo, ornatum adveniente gratiâ evanescere, permanere tamen donec adveniat, ut setâ ab acu exeunte succedit filum, & charitati cedit timor servilis. Si objicias ornatum ad gratiam dispositionem non esse, quia cum ejus privatione consistit. Respondent consistentiam illam nihil obesse, idque Diaphani exemplo docent. Est enim ἡ διαφανεία dispositio proxima ad excipiendum lumen, quæ tamen eadem numero, subducto lumine, permanet. Ità Thomistæ de ornatu philosophantur. Ut S. Thomæ ἰσχυρῶς propugnent & illustrent. Lege Paludanum in 4. dist. 1. p. 1. Capreolum in eamdem dist. q. 2. & dist. 14. Bernardum de Gannaco quodlibet. 51. q. 14. Soncinatem in eamdem dist. 2. & in dist. 1. q. 1. Sylvestri summam v. Confessio. 1. Viguierium in institut Theologicis c. 16. §. 1. ver 16. & alios qui in ejusmodi quæstionibus enodandis magno ingenii conatu insudant.

Multa philosophantur Paludanus, Capreolus, Bernardus & alii de isto ornatu ratione habitâ ad alia Sacramenta, præsertim ad Eucharistiam propter quid in eâ constituendus sit, quid in eâ operetur, ut se ab argumentis Durandi, Scoti & aliorum tueantur. Verum ista similiaque prætermittimus, ne magno studio lentem coquere videamur, nosque continebimus intrà constitutas pœnitentię metas.

Quærendum postremò nobis est, quis sit istius ornatus effectus. Ex sancto Thoma jam explicatus est, cum propter quid inventus sit ex ipso docuimus, ut scilicet Sacramentorum in animâ effectum aliquem præter gratiæ præsentis significationem demonstraret. Verùm Thomistæ alium istius ornatûs effectum excogitarunt, cujus excogitandi occasionem dedit sanctus Thomas, licet disertè eum non tradiderit. Doctrinam istam verbis Capreoli & Bernardi exprimam: Totius enim mysterii originem patenter aperiunt. Capreol in 4. dist. 17. q. 2. *Sicut in Baptismo non obstante fictione imprimitur Character & non gratia, quia gratia opponitur fictioni & non characteri; ità in absolutione imprimi-*

tur dispositio quadam & non gratia, quia dispositio ista non contrariatur peccato, sicut nec character. Et ideò ponunt Doctores talem dispositionem imprimi in animâ in virtute Sacramenti, ut Sacramentum habens omnia quæ debet habere, excepta fictione, non careat omni effectu. Sicut cum baptismus habet omnia quæ debet habere, non impeditur ab impressione characteris propter fictionem recipientis. Philosophiam istam illustrat exemplo à naturalibus rebus petito: *Cum*, inquit, *ignis calefacit aquam, non potest aliquando eam convertere in se ipsum. Licet tamen non convertat, &c. imprimit tamen quamdam dispositionem scilicet calorem, unde si non possit habere totum effectum, habet tamen dispositionem ad principalem effectum: sic omninò est in proposito, quia cum Sacramentum non potest habere principalem effectum, qui est remissio peccatorum, quantùm ad absolutionem, imprimit tamen quandam dispositionem ad effectum principalem: & ideo recedente illo, quod impediebat principalem effectum Sacram nti ista dispositio operabitur in virtute Sacramenti, sicut si Sacramentum esset præsens; & fiet tunc remissio peccatorum.*

Hinc colligebant, quod non est lectori leviter prætereundum, ornatus illius in animâ productionem Sacramenti pœnitentiæ validitatem causari, ità ut non modò pœnitens ab onere confessionis reiterandæ liberaretur, verum etiam fictione demum per Contritionis adventum recedente velut remoto obstaculo gratiam omniaque Sacramenti beneficia virtute ornatûs illius non secùs ac si Contritionem, vel Attritionem in ipsâ Sacramenti susceptione attulisset, consequeretur: ornatus enim ille velut ultima ad formam dispositio, eam nativâ quadam vi, obice remoto, ad se trahebat. Hunc effectum præter priorem ornatui tribuerunt S. Thomæ discipuli.

Doctrinæ istius multa sunt consectanea, quæ ipsi colligunt, & disertè docent. Primùm hujus Sacramenti materiam necessariam, ut validè conferatur, non esse peccatorem contritum vel attritum, sed sponte confitentem peccata sua. 2. Sacerdotem, licet nulla videat signa Contritionis & Attritionis in pœnitente, modo videat in eo spontaneum absolutionis suscipiendæ desiderium, ei absolutionem à peccatis impertiri posse; quia, ut colligunt, minister materiam, cui formam applicat, cognoscere tenetur;

ſed cum Contritio ſit interior, eam cognoſcere non poteſt. Si igitur peccator contritus vel attritus Sacramenti materia eſſet neceſſaria, matèriam, in quam agere debet, Sacerdos nunquam cognoſceret. 3. Non modo Contritionem aut Attritionem, ſed aliquid Attritione inferius, ſufficientem ad confeſſionis validitatem eſſe diſpoſitionem. Hanc tamen eſſe inter hæc tria differentiam, quod Contritio gratiam ante Sacramentum producit; Attritio, cum Sacramento; Ornatus, poſt Sacramentum, cum primùm ſcilicet fictio receſſit. 4. Contritionem eſſe Sacramenti pœnitentiæ partem, intelligendum eſſe de Contritione, vel præteritâ vel futurâ. Nonnulla ſunt alia hujus doctrinæ corollaria, quæ lector ex præcedentium intelligentiâ facilè deducet. En iſtius Ornatûs, quod ad Sacramentum pœnitentiæ attinet, vis & poteſtas.

Ut clariùs intelligat Lector quouſque iſtius ornatus virtus ſeſe diffunderet, quantũ de diſpoſitionis ad pœnitentiam labore remitteret, quantumque illius ope Sacramenta novæ legis vetera antecellerent. Hæc Paludani verba in 4. diſt. 1. q. 2. referam, quæ integra recitat & valdè approbat Capreolus in eamdem libri 4. diſt. 1. q. 1. *In ſacramentis novæ legis, in quibus datur gratia, niſi homo ponat obicem, non per ſe requiritur quod homo ſe diſponat; ſed ſolum quod ſe non opponat. Igitur per ipſum ſacramentum diſponitur: & ſic eſt probabile in omni ſacramento novæ legis, quod juſtificat ex opere operato, quod conferat diſpoſitionem ad gratiam. In ſacramentis autem veteris legis non ſolùm promittebatur gratia, ſed dabatur illis à Deo; ſed requirebatur diſpoſitio, quam ſacramenta non faciebant, niſi circumciſio, ſed ipſemet ſuſcipiens. Unde juſtificabant ex opere operante, non ex opere operato. Cum igitur iſta juſtificent ex opere operato, ſicut illa ex opere operante, ſicut opus operans ibi cauſabat formaliter diſpoſitionem, ità hic opus operatum: ut ſicut homo ibi ſuſcipiens ſacramentum, diſponebat ſe ad gratiam, ſic nunc ipſa ſuſceptio ſacramenti, vel ſacramentum ſuſceptum ipſum diſponat. Eſt tamen differentia inter hanc diſpoſitionem & illam ſicut inter actum & habitum quantùm ad hoc quod illa tranſit, & iſta manet; iſta inclinat ad illam, ſicut habitus ad actum. Unde & ſine actu ità poteſt eſſe diſpoſitio in illo qui non habet uſum liberi arbitrii, ſicut eſt in illo qui*

habet. Ista est dispositio per se, alia per accidens ad removendum prohibens: nec habitus iste causatur ex actibus ad quos disponit, sicut nec habitus infusus. Videntur equidem his verbis admodum relaxare dispositionem, quam adulti sibi comparare tenentur ad Sacramentum pœnitentiæ validè recipiendum nullumque ab eis liberi arbitrii actum necessariò requirere præter non repugnantiam, quâ positâ ornatus vi Sacramenti statim producitur, & gratia consequenter. Hoc videtur evidens, quod solum repugnantiam & oppositionem constituere videntur esse id, quod Sacramenti efficientiam prohibet, quæ ab iis vulgô fictio nominatur. Itaque ex eorum sententiâ adulti per Sacramentum pœnitentiæ vix aliter justificarentur quàm per Baptismum infantes: hoc solum discrimen esset, quod omnes infantes susceptione baptismi justificantur, quia repugnare non possunt; non autem omnes adulti ob rationem contrariam. Insuper eâdem sententiâ sic adultorum saluti consulitur, ut Sacramentum cum istâ repugnântiâ susceptum duobus his maximis privilegiis gaudeat, quod sit validum & non repetendum: deindè quod sublatâ illâ repugnantiâ, gratia, quæ impedita fuerat, ut dictum est, producatur. Cum autem hoc testimonium ità laxè, ut verba sonant, acceptum videatur absurdum continere, quid per non repugnantiam & gratiam prohibens intelligant, inquirendum est. Istorum enim autorum mens verbis, quibus utuntur, pressior est & angustior.

Diximus duo sancti Thomæ testimonia universæ huic de ornatu philosophationi occasionem dedisse. Ambo suprà, cùm sententiam S. Thomæ de Attritione explicaremus, relata sunt. Hoc autem volunt, confitentem non contritum fictè confiteri, & absolutionis fructum non reportare; ad confessionis tamen illius repetitionem non teneri pœnitentem, tumque absolutionis fructum percepturum, cum fictio recedet. Deinde alio loco dicit ignorantiam facti, non autem juris divini afictione excusare. Hinc à Thomistis & aliis quæsitum est, quid intelligendum sit per fictionem, vel non esse contritum. Verba enim sancti Thomæ, cum generalia sint, ea unusquisque pro anticipatâ sententiâ intellexit: simpliciter tamen intellecta nihil aliud sonare

nare

nare videntur, quàm cum fictè absolutionem recipere, qui eam non contritus recipit. Sed cum terminus ille infinitus, *non contritum esse*, maximam habeat latitudinem, non abs re quæritur, an quælibet doloris privatio Sacramentum pœnitentiæ reddat validum, licet non fructuosum, hoc est, juxtà eorum loquendi morem, an imprimat ornatum, an verò sit cujusdam doloris gradus, privatio, quæ prorsùs nullum reddat Sacramentum, sive nullum imprimat ornatum, & quod consequenter fictione quantumvis recedente sit necessariò repetendum?

Distingunt illi inter fictionem privativam & positivam: privativam vocant doloris gradum ità imperfectum, ut nequidem cum Sacramento ad ad justificationem sufficiat; sed tamen dolet, & ità dolet, ut credat se sufficienter dolere, atque ideò fictionem illam sivè doloris insufficientiam non confitetur. Talis fictio, inquiunt, per Sacramenti susceptionem ornatum parit: undè fictione recedente, seù obice remoto in animam advenit gratia. Positivæ fictionis duas species faciunt, priorem, cum nec dolet, nec abstinere sibi proponit à peccatis, Sacramentum tamen suscipere cupit; sed nescit, aut saltem non cogitat pravam ejusmodi dispositionem esse ad gratiam per Sacramentum comparandam insufficientem; peccatumque esse mortale, in eo statu absolutionem petere: atque ideò pravam istam dispositionem Confessori non aperit. Priorem hanc speciem dicunt Paludanus & Sylvester Sacramentum validum reddere, licet tunc infructuosum, atque ornatum producere, qui recedente illâ fictione gratiam adducat. Capreolus tamen & alii disertè negant, voluntque Sacramentum pœnitentiæ, cui nullus dolor subest, esse prorsùs nullum & repetendum, ornatumque non producere, multò minùs gratiam. Posterior fictionis positivæ species, secundum omnes Sacramenti integritatem & validitatem non conservat, nec ornatum imprimit, nec alia consequentia operatur. Est autem multiplex ut contingente prioris casu, si hoc impedimentum sciat & advertat; si quis prætereà intentionem habeat confitendi, sed non rem Sacramenti recipiendi, ut facere solent, qui gloriolæ ex pietate captandæ gratiâ confitentur, dignique qui joco & consimilibus cau-

sis confitentur. Infrà clariorem specierum fictionis distinctionem ex Joanne Gersone narrabimus. Ex his omnibus manifestum est eos doloris motum exquisitum ad justificationem semper absolutè necessarium existimasse. Nam infimi illi gradus doloris ab iis postulati justificationem non respiciunt, sed Sacramenti integritatem. Cum enim hominem dicunt infimo doloris gradu, qui abstinendi à peccatis propositum nullum habet, validè confiteri, non intelligunt justificari, sed reiterandæ propter doloris defectum confessionis onere liberari, ac tùm demùm justificari, cum adveniente contritione fictio illa recedet.

Sic occasione verborum S. Thomæ locis citatis philosophati sunt antiqui Thomistæ. Recentiores verò, ut Cajetanus Tomo. 1. opusc. tract. 5. q. 5. de Confessione informi. Petrus Soto in Institut. Sacerdot. lection. 8. de Confessione informi. Melchior Canus relect. de Sacrament. p. 4. & part. 6. relectionis de pœnitentia. Covarruvias Canonista quidem doctissimus, sed qui in rebus Theologicis sanctum Thomam sequi amat relect. in c. Alma mater. §. 4. num. 3. & sequentibus aliique nonnulli secundam sententiam S.Thomæ secuti de Sacramentorum directâ in ipsam gratiam efficientiâ instrumentali, sed prætерito & neglecto aut etiam refutato isto ornatu, idem de validitate Sacramenti pœnitentiæ defectu doloris, & effectu ipsius adveniente per fictionis recessum docuerunt. Posteriorem hanc sententiam, quanquam non omninò amplectatur Durandus in 4. dist. 17. q. 13. eo quod non satis secura illi videatur, ei tamen non displicet. Alii Theologi utrumque negant, & gratiam Sacramenti recedente fictione Contrito advenire, & confessionem non esse iterandam. Ità Major in 4. dist. 17. q. ultim. Gabriel Biel ibid. q. 1. art. 3. dub. 2. l. 8. qui nominato sancto Thoma, ejus sententiam argumentis configunt, & ornatûs inventionem, ut novam, inanem, & pro animi arbitrio fictam flocci faciunt. Addit Major sancti Thomæ sententiam non modo sibi, sed multis aliis displicere. *Insuper,* inquit, *nullum est motivum contrà communem scholam tales ornatus ponere cogens. Ornatibus igitur istis, tanquam inanibus relictis, dico &c.* Nec eos gratiùs excipit Cajetanus in 3. p. q. 84. art. 1. & 2. confutatâ

enim istâ doctrinâ, colligit, *Commentitius ergò videtur ornatus ejusmodi.* Nec etiam Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. §. Sed id tamen. Ubi scribit S. Thomam in Summâ sententiam mutasse, hancque sententiam de universis Sancti Thomæ in Magistrum commentariis pronuntiat. *Plurima eorum, quæ super magistrum sententiarum, quasi aliena congerens, commentatus est, post maturius digestè collimavit in summâ.* A radice ipsâ opinionem evellens probat ad gratiæ per Sacramentum productionem non esse necesse qualitatem ullam spiritalem ut prævìam dispositionem præcedere, & consequenter in hunc finem nec charactere, nec ornatu opus esse: characteris quidem introducendi alias esse causas, sed ornatum illum planè esse supervacaneum, & art. 2. esse fine re fictionem. Jacobus Almainus testatur suo tempore, *communiter Doctores non ponere talem ornatum.* in 4. dist. 14. q. 4. & breviter refutat in dist. 17. q. 1. Scotum & Durandum secutus, docetque cum Durando & Paludano fictè confessum obligatum esse, singula, quæ confessus est, iterùm confiteri, non vi præcepti Ecclesiæ, quæ interiora nonjubet, sed ex naturâ rei, quæ hoc exposcit, quoties quis confiteri tenetur. Joannes Medina, cod. de confessione. Tractatu 2. q. 20. fortiter in utramque sententiam de ornatu & fictione insurgit, nomine tamen S. Thomæ præterito, ut & Canus p. 4. relect. de Sacramentis. Idē facit nomine S. Thomæ non præterito Adrianus Papa in 4. q. 5. de confessione. Dubio 5. vehementerque contendit nullum esse Sacramentum pœnitentiæ, nisi sit fructuosum. Hos plerique sequuntur Neoterici. Nolunt enim validam esse confessionem aliquam, quæ non sit fructuosa. Nonnulli tamen post Dominicum Soto explosa tantum gratiæ Sacramentalis post fictionis recessum recuperatione docent in casibus jam expressis pœnitentiæ Sacramentum valere, ac proindè confessionem non esse iterandam: quæ fuit antiquissimorum scholasticorum, Guillelmi Antisiodor. Alberti magni, Alexandri, & aliorum sententia. Quod ad ornatum attinet, & nominis istius apud antiquos scholasticos potestatem, illius memoria apud Neotericos penè obliterata est & sepulta.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Ioannis Majoris, Thomæ de Argentinâ, Adriani Papæ VI. Gabrielis Biel, Ioannis Gersonis & Dionysii Carthusiani sententiæ referuntur circà Attritionem vel Contretionem justificationis gratiæ præviam.

JOANNES Major natione Scotus, qui Parisiis Theologiam magni nominis sui famâ docebat, anni sunt elapsi circiter 140. specialius de Attritione philosophatur in 4. D. 14. q. 1. *Dico*, inquit *multiplicem esse Attritionem. Una est nolitio peccatorum solùm formidine pœnæ secundum illud poëtæ.* Oderunt peccare mali formidine pœnæ: *Qui est actus malus & timor servilis, & in plerisque ab hoc timore inchoatur pœnitentia &c. Alia est Attritio, quæ est displicentia in uno vel pluribus peccatis complacendo in aliquo mortali. Et etiam iste actus est malus. Neuter istorum actuum Attritionis potest esse Contritio nisi impropriè &c. Tertiò quis potest habere actum, quo displicet ei mortale suum quod est solum amore Dei, & tunc est Contritio: ob aliud mortale superveniens erit Attritio. Et si quis haberet tria peccata mortalia, & haberet primo displicentiam de A, secundo de B, & nullam de C: adhuc uterque actus est Attritio. Quando habet detestationem respectu C. cum aliis duabus detestationibus, qualibet illarum, tunc est Contritio: & sic quod fuit Attritio, realiter est Contritio, &c. Si haberem displicentiam de omnibus peccatis meis, & indè nollem restituere alienum, tunc displicentia mea est Attritio. Et circumstantia circumstans, scilicet nolitio restituendi, impedit ne detestatio generalis sit Contritio. Illa nolitione substracta detestatio illa generalis est Contritio. Vides quod volo dicere Attritionem aliquam posse fieri Contritionem, ut potè quando Attritio est actus bonus, & alius actus vel aliud requisitum deest ad infusionem gratiæ, & talis Attritio per positionem illius requisiti potest fieri Contritio. Similiter aliqua Contritio potest fieri Attritio.*

Hanc doctrinam pluribus

exemplis illustrat: sed ex textibus prolatis legenti satis innotuit, nullum aliud discrimen statui inter Attritionem & Contritionem præter illud, quod detestatio peccati, quæ constituit Contritioné, ad omnia peccata; quæ verò Attritioné, non ad omnia pertineat. Quapropter Attritioné ipsi esse peccati detestationem ob Deú offensum, omninò constat: cum prætereà Attritionem ex solo timore pœnæ constantem, quia cum peccato semper conjuncta est parvi facere. Itàque ex istius sententia, Attritionis & Contritionis unum & idem est motivum, differtque una ab altera neque substantia neque intensionis gradu, sed extensione detestationis ad omnia vel non omnia peccata. Ad hanc sententiam coegit Majorem alia opinio, quæ etiam aliis scholasticis placet, quam hac distinctione & quæstione demonstrare nititur homo πειρῶν Aristotelis callentissimus: *Quamlibet detestationem peccatorum propter Deum quantumcunque remissam, in quantolibet brevi tempore vel instanti liberè productam sufficere ad peccatorum deletionem.* Hoc sanè posito nulla ibi supererat Attritionis à Contritione differentia ratione odii peccatorum & amoris Dei assignanda. Quapropter aut nulla ibi occurrebát, aut ad extensionem illam erat confugiendum. Vide eundem dist. 18. Quæst. 2. fine eâdem Contritione adultum ad baptismum fictè accedere in 4. dist. 3. q. 2. ad finem differit idem Major.

Thomas de Argentina in 4. d. 17. art. 2. eodem modo quo Major Attritionem interpretatur, displicentiam unius peccati aut plurium, non omnium: quia cum diplicentia est omnium, tum illi Contritio est, non Attritio. Ratio ipsius est, quod *aliqui homines ità infecti sunt aliquibus peccatis, quod licet aliqua peccata detestentur, tamen non habent universalem displicentiam omnium suorum peccatorum: quia illa, quibus specialiter infecti sunt & illecti, non proponunt adhuc dimittere.* Cum autem eos omnium displicentia capit, *tunc iste universalis motus voluntatis, quo omnia displicent, quibus offensus est Deus, dicitur Contritio, &c. Sed quamdiù voluntas manet indurata per illectionem unius peccati, tamdiù non est in minima resoluta, unde talis motus præcedens contritionem, quo peccator successive procedit de displicentiâ unius peccati ad displicentiam alterius peccati, proprie loquendo vocatur At-*

tritio: quia tali motu procedit homo de uno in aliud, seù ad aliud, voluntatem suam terendo & frangendo: & hinc est quod Doctores quandoque dicunt, quod Attritio semper est informis, hoc est, sine charitate &c. Manifestum est eum Contritionem ab Attritione objectis non distinguere, neque intensione; sed solâ ejusdem objecti ad plura extensione: quanquam non iverim inficias voluntatis motum in objectum illâ extensione intendi, seù potiùs extensionem illam motûs voluntatis vehementiam sequi; ità ut cum motus ille est admodum vehemens, in odium omnium peccatorum se diffundat; sed hoc non attendunt auctores illi, ne videantur obesse dogmati de minimo Contritionis gradu ad justificationem derepentè producendam sufficiente.

Hadrianus Papa VI. in Tractatu de Sacramento pœnitentiæ § *Secundo, videndum*: nihil aliud hac in causâ docuit, aut ab aliquo doctum fuisse testatur. Prætereo nunc sententiam de summo Contritionis gradu ad justificationem necessario, quæ ipsi ab omnibus ferè affingi solet, ut proposito nostro minimè convenientem. Quæstionem hanc movet, An quemlibet verè pœnitentem Deus recipiat in gratiam peccata condonando? Antequam respondeat, significationé horum verborum, *verè pænitere*, in duo distinguit. *Primo modo, ut verè idem sit, quod rectè seu benè, & sic dicitur verè pænitere, qui actus ad pænitendum requisitos bonos moraliter & sub debitis circumstantiis elicit: puta qui dolet de peccato non principaliter propter pœnam, sed propter divinæ majestatis offensam, decernens ultrà tale nihil committere. Alio modo capitur in quæsito* verè *ut idem sit quod* perfectè, *quod tunc scilicet dicitur, cum quis omnem conatum adhibet, & quidquid in se est facit ad placandum Deum.* Perspicuè sic explicato quæstionis sensu respondet: *Potest quis pænitere primo modo: & non recipi à Deo in gratiam, sed non secundo modo.* Priorem propositionis partem multis testimoniis demonstrat SS. Augustini & Thomæ allegatâ autoritate, subdit: *Sed potest quis dolorem peccati habere propter Deum cum proposito abstinendi in futurum, adeo remissum, ut tepor seu remissio causa fuerit, quare non lacrymetur. Ergo talis nondum tàm digne pænitet, ut à Deo debeat necessariò in gratiam recipi.* Similiter expressis SS. Ambrosii & Hieronymi testimoniis, addit:

Hac limitatione nequaquam opus esset, si quolibet gradu dolor peccati instauraret perditam charitatem & gratiam. Nonnullis aliis antiquorum productis autoritatibus tandem ità scribit, *Si petas, anne saltem in quocumque gradu Attritio sufficiat, ut unâ cum Sacramentali absolutione hominem ad statum gratiæ reponat? Probabilius videtur, si absolutio Sacramentalis aliquid ultrà quàm ostensive seu demonstrative (sicut in veteri Testamento de leprâ) ad peccati remissionē operetur, quod non nisi virtute Sacramenti actus Pœnitendi attritio intendatur, & sic fiat Contritio.* Ipsi igitur, seu potius secundum communem opinionem, attritio est dolor de peccato præcipuè propter Deum offensum, sed remissior; contritio verò ejusdem generis dolor, sed intensior & vegetior. Paulò ante scilicet §. 1. explicans quod in pœnitentiæ definitione posuerat, dolor propter Dei offensam, scribit, *Quia si quis de peccato doleat propter pœnam aut consimilem causam, non est vera pœnitentia. Unde Gregor. tractans illud Genes. 3. de Adam quoniam se abscondit &c. cum ex peccato pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur: timor ex tumore & non ex humilitate est. Unde apud damnatos est pœnitentia &c. sed infructuosa, quia propter læsionem naturæ vel punitionem; Non autem quia offensa est divina Majestas, aut læsa justitia.* Scribit autem ex Sententiâ suâ, & multorum aliorum, attritionem in Confessione fieri contritionem per attritionis in ipso actu confitendi intensionem. Lege quæ postea scribit tractatu de confessione, in fine dubii 5. §. *Videor fortasse*, vbi inter cætera, *Certè cui virtute absolutionis displicentia aucta non fuerit, & æque manserit minuta, formidandum est &c. Unde nisi vehementer doleat* (in susceptione Sacramenti) *ad minus causaliter contritus non est, neque peccatorum remissionem assecutus. Dico notanter* causaliter, *quia nisi perfectâ voluntate convertatur ad Deum &c, nequaquam reponitur ad statum salutis.*

Quid autem de dolore seu Attritione solius pœnæ formidine citâ senserit, explicat paulò ante verba Tractatus pœnitentiæ citata. Pœnitentiam veram sic definierat, *Pœnitentia vera est dolor voluntarius de peccato propter Dei offensam, cum emendationis proposito in futurum.* Ista definitio id, quod de ipsius Sententiâ dictum est, evidenter confirmat. Paulò post rationem istorum verborum reddit: *Quia si quis de*

Peccato doleat propter pœnam aut consimilem causam, non est vera pœnitentia. unde Gregor. tractans illud Genes. 3. de Adam quomodo se abscondit &c. cum ex peccato pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore, & non ex humilitate est. Superbit enim qui peccatum, si liceat impunè, non deserit. unde apud damnatos est pœnitentia &c. sed infructuosa. Quia propter læsionem naturæ vel punitionem, non autem quia offensa est divina majestas, aut læsa justitia. Latiùs hanc doctrinam persequitur in Quodlibetis q. 4. generali q. 2. sive argumentis, ubi distinguit, timorem scilicet ratione sui, & quoad propriam substantiam excitare hominem ad solicitudinem operandi, atque hoc pacto timore pœnæ agere, nihil inordinatum arguere *Si verò vitatio mali, quod metuitur, sumatur pro fine operis*, tùm sic censet, *quiquid fit ex timore mali pœnæ est peccatum; nam sicut honor, divitiæ, voluptas, & similia, non sunt apti, vel decentes fines actuum virtutis, ita nec vitatio pœnæ: sed vitatio culpæ, seu divinæ offensæ, est rectus finis operum virtutis.*

Ex Gabriele Biel in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. idem de Attritione docuisse quod Joannes Major colligi potest. Nonnulla ex eo referemus quæ proposito nostro videntur potiora. Sic scribit in literâ F. *Secundum Dei ordinationem non est possibile aliquem á peccatis liberari sine actu amoris prævio. Nam sicut in omni peccato fit aversio à Deo ad Creaturam plùs Deo dilectam, propter cujus dilectionem divinum præceptum contemnitur: Ita in conversione necesse est se avertere à Creaturâ & peccato propter Deum, pro cujus amore Creatura contemnitur.* Hoc probat autoritatibus sacræ scripturæ & S. Augustini. Post hæc in litera G. refert opinionem eorum, qui dicunt Sacramentum Pœnitentiæ aliquandò primam gratiam conferre, quum scilicet quis ad illud attritus accedit: quam Sententiam amplexos dicit sanctum Thomam, sanctum Bonaventuram, Richardum, Durandum & Paludanum. Hanc aliorum Sententiam, quam refutat, ita explicat, ut afferant contritionem ab attritione gradu tantùm differre. *Dicunt quod dispositio interior requisita, ut prævia Sacramento quandoque est sufficiens ad gratiæ infusionem: & tunc ipsâ habitâ gratia infunditur ante confessionem & absolutionem Sacramentalem &c. Quandoque dispositio illa prævia non est sufficiens, sed disponit quasi à remotis,*

tis, & hanc vocant Attritionem, sive pœnitentiam informem, & illa non sufficit ad peccati remissionem, sed superveniens Sacramentum, si non ponitur obex, supplet imperfectionem illius attritionis, & confert peccatorum remissionem & gratiam, & per hanc format attritionem, ut mereatur dici contritio.

Contra hanc Sententiam ita argumentatur disjunctivè, ut omnes attritionis & insufficientis contritionis modos à Joanne Majore enarratos complectatur, & confutet, quibus omissis, hos tantùm referre visum est. Illa, inquit, peccati detestatio dici potest insufficiens, quæ licet sit cum proposito abstinendi conjuncta, Deum tamen ut finem sibi non proponit, sed se ipsum, *Puta quia peccata inductiva sunt pœnæ aut impeditiva gloriæ, aut confusiva personæ &c. sed hæc detestatio omnino non est dispositio ad peccati remissionem ac gratiam, quia hæc etiam est in malis & damnatis, ut dicit Alexander p. 4. q. 57. memb. 2. unde ait, actus dolendi de culpâ causatur dupliciter, aut ex læsione naturæ, aut ex offensione Majestatis divinæ, & prævaricationis justitiæ. Primum dolorem de culpâ habere potest quis ex solâ naturâ sine gratiâ. Sicut enim homo naturaliter se diligit, ita odit omne, propter quod malum incurrit: Et hic dolor sive pœnitentia est in malis & damnatis, & Angelis malis, & cum hoc vivit & regnat mala voluntas; ideo Deus eam non acceptat, nec sic dolens invenit gratiam vel veniam.* Multis hoc argumentum persequitur, asseritque ut rem omnibus notam, hanc insufficientiam esse ejusmodi, ut meriti cujuscunque apud Deum rationem habere non possit.

Aliam disjunctionis partem impugnat, scilicet dici posse insufficientiam hinc provenire, quod licet detestatio peccati propter Deum fiat, remissa nimium sit, sed per Sacramentum intendi sic, ut ex attrito contritus quis fiat. Hunc attritionis explicandæ modum multis oppugnat, hoc unico principio fretus, quod quælibet Dei dilectio super omnia etiam remississima Contritionem & gratiam producat. Itaque quæ de Joannis Majoris Sententiâ dicta sunt, de hac etiam dicta sunto. Quanquam de utroque dici possit ab aliis verbo tantum differre. Verum est dilectionem Dei super omnia etiam remississimam, contritionem esse, si strictè verba sumantur. Licet enim dicatur remississima, ponitur tamen dilectio

Dei super omnia, qua positione, & gratia & contritio ponuntur, id est, ponitur is dilectionis Dei gradus, sive, ut cum Scoto loquar, is terminus, qui contritionem & gratiam constituit. Sed quemadmodum contritio semel constituta intendi in immensum potest, id est, ille dilectionis Dei gradus, qui contritionem constituit, aliis gradibus cumulari potest, ut & gratia per gratiam augeri: sic idem dilectionis gradus, qui est infra gradum seu terminum, qui Contritionem constituit, in immensum minui potest, descendendo videlicet à contritione versus attritionis initia: vel, quod idem est, in immensum augeri, ascendendo ab initiis attritionis ad eum dilectionis Dei gradum qui contritionem creat. Hanc esse Gabrielis mentem & Philosophandi de hac re methodum, planè perspicuum est ex iis quæ scribit quæstione citatâ in fine literæ H. & litera L. quæ lector, si lubet, consulere poterit. Pauca tantum verba ex fine quæstionis L. S. exscribam, ubi initium & progressum justificationis describit: posito timore servili, subdit. *Ne hac displicentia ac informis pœnitentia vertatur in desperationem, opus est quintò considerare divinæ misericordiæ largitatem per fidem, quâ firmiter credat Deum omni ad se toto corde converso paratum remittere debita. Ex qua consideratione sequitur actus spei, perquem incipit concupiscere Deum ut bonum summum, & consequenter ex illo actu spei ascenditur sexto ad diligendum Deum summum & essentiale bonum in se, & appetere unionem sui cum Deo: Ex illo actu considerato, quod peccata sunt Deo contraria & divinæ majestatis offensiva, incipit septimò elicere de novo peccati odium, & nolle peccasse propter Deum finaliter super omnia dilectum.* Atque ille postremus actus Bieli contritio dicitur gratiam concomitans. Doctrina autem ista eadem est cum eâ quam de dolore ad detestationem peccati requisito supra ex Alexandro Halensi, sancto Thoma, Adriano Papa & aliis explicavimus. Itaque si nodum in scirpo nemo quærat, eadem est ubique doctorum istorum Sententia. Quidquid verò sit de hac doctrinæ Gabrielis appendice, nulla est in eo, quod de Attritione contendimus, fingendæ obscuritatis occasio. Nam contritionem absolutè necessariam absolutioni asserit in 4. D. 14. q. 2. a. 1. L. F. Et ibi objectiones in contrarium solvit L. G. & sequ. Et fusè

refutat S. Thomæ de attritionis in Sacramento efficacia Sententiam.

Joannes Gerson Academiæ Parisiensis celebris cancellarius in compendio Theologiæ de Sacramento pœnitentiæ. eandem Sententiam ut communem & apud omnes vulgatam amplectitur: *Contritio*, inquit, *est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi : Quoniam nisi adsit propositum confitendi, & satisfaciendi, non est contritio, scilicet potius attritio nominatur.* Itaque est omnino idem dolor, sed in attritione, non est ita ardens, ut propositum illud contineat. Paulò post dicit dolorem contritionis dari minimum, majorem & maximum. Quemlibet vero dolorem contritionis culpam delere : pro magnitudine autem contritionis minui pœnam temporalem. *Dicitur magna vel major vel maxima contritio, secundum quod ad majorem dolorem movemur, eo quod proni sumus ad dolorem minorem debito, qui non liberat à gehennâ.* Gradibus tantum dolorem illum distinguit. Requiritur certus gradus, qui à gehennâ liberet, id est, qui sit contritionis dolor : si minor fuerit eo gradu, à gehennâ non liberabit.

Idem in quæstionibus & responsis q. 2. quæ est de fictâ confessione, quatuor distinguit fictionum genera, quorum quartum est fictio propter insufficientem discussionem, cujus facit sex species. Quoddam, inquit, est perniciosè mentiens, quoddam dolosè dimidians, quoddam patenter inficians. Contingit autem hoc ex ipsius Sententiâ, cum peccandi propositum non exuit, vel ex Confessoris præscripto restituere abnuit. Quartum genus est insufficienter discutiens. Tria priora fictionum genera Sacramentum pœnitentiæ invalidum reddunt, non autem postremum, cujus sex species facit? *Primò ignorando factum, quia non fuit sufficienter recogitatum. Secundo ignorando si factum sit peccatum saltem mortale. Tertio ignorando præsupposito. 1. Quod sit peccatum mortale, si sit taliter & expresse confitendum.* Quarta & quinta sunt ejusmodi. *Quarto ignorando si displicentia peccati principaliter sit in confitente, non ratione culpæ, sed ratione pudoris & pœna. Quinto ignorando, si motus in detestationem peccati sit satis intensus vel non. Sexto ignorando, si ponatur obex absolutioni per propositum non abstinendi à pecca-*

10. Hac enumeratione factâ quæstionem resolvit Gerson. *His præmissis itàque præsuppositis, dicendum est ad quæstionem, quod confessio non est propter aliquam istarum sex fictionum, quartam fictionem quæ insufficienter discutit respicientium, iteranda.* Ratio autem quare non est iteranda propter istos defectus confessio, hæc ab eo redditur. *Quia ipsa confessio obtinet & habebit efficaciam vel in absolutione Sacramentali virtute clavium Ecclesiæ, vel postmodum cessante fictione.*

Hinc necessariò & evidentissimè hæc duo consequuntur; priùs, quod si sciret pœnitens displicentiam peccati, quâ principaliter afficitur, non esse ratione culpę, sed ratione pudoris & pœnæ, confessionem ex Gersonis sententiâ esse nullam. Itàque confessionem ex motivo pœnæ principaliter factam censet esse prorsùs nullam, nec habere, ut loquuntur multi scholastici, integritatem essentiæ Sacramenti, nedum fructum; ideò fictione cessante convalescere non posse; si tamen confitens quodnam esset principale suum motivum bonâ fide ignorabat, Sacramentum esse validum, nec iterandum, & recedente fictione per Contritionis accessum, illius fructum retrotrahi. Posteriùs dolorem peccati, qui Contritionem facit, ab eo, qui non facit, gradibus tantum intensionis differre; cum ignorantia, an sit satis intensus, nec ne, dolor ille, confessionem quod ad essentiam reddat validam. Nam si crederet confitens dolorem, quem de peccato concipit, minùs justo ad confessionis validitatem intensum esse, ea esset, ut in priore hypothesi, iteranda. Diligenter autem notandum ex Adriano Papa qui in 4. de confess. q. 5. dub 5. Hæc omnia ex Gersone refert, hanc Gersonis de confessione fictâ resolutionem fuisse scholarum Theologicarum communem sententiam.

Dionysius Carthusian. collectione suâ in 4. sentent. dist. 17. q. 4. relatâ S. Thomæ sententiâ, quæ asserere videtur Attritionem fieri non posse Contritionem, eâ modestè relictâ ad sententiam accedit Richardi, Bonaventuræ, Alberti, & aliorum, quos anteà citaverat. *Hæc Thomas*, inquit, *quibus objici potest quod juxtà præhabita idem actus quantum ad esse naturæ potest primò informis esse, deindè formatus, sicut ex Bonaventurâ, Richardo & aliis est probatum, &*

talis actus idem numero manet; non tamen est idem actus, quantum ad esse moris. Et hoc satis reor ostensum.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Ruardus Tapperus, Petrus à Soto, Franciscus Victoria, Dominicus à Soto, Andreas Vega, Franciscus Sonnius Felicianus Capitonus, Guillelmus Æstius, Franciscus Sylvius, Vivaldus, Binsfeldius pro Contritionis necessitate pugnantes referuntur.

RUARDUS Tapperus Academiæ Lovaniensis Cancellarius in explicatione quam edidit, anni sunt elapsi 89. articulorũ facultatis Theologicæ Lovaniensis art. 4. ità de Attritione scribit, *omne odium sive peccati displicentia, quæ ab hoc fine deficit* (odio peccati propter Dei summè dilecti offensam) *nec sufficit per se sine Sacramento gratiam Dei nobis conciliare, atque peccatum destruere, imperfecta est, ut pote à fine vera displicentia deficiens. Unde colligitur quod multis modis displicentia hæc imperfecta sive Attritio contingere potest. Multipliciter enim contingit à perfecto declinari.* Tres autem Attritionis sivè imperfectæ displicentiæ species facit, sive modos à perfecto deficiendi. *Primum, cum quis dolet de peccato propter humana naturaliaque incitamenta seu motiva, ut, quia turpe est, & contra rationem & honestatem &c: vel etiam contrarium Deo, quatenùs est finis & principium naturæ.* Alterum genus oriri dicit ex timore pœnarum spiritualium, vel æternarum, quæ lumine fidei cognoscuntur. *Tertium, cum quis dolet de peccato, qui contrà Deum est, ejusque offensa, sed ex voluntate imperfectâ & optativâ tantum, non absolutâ neque efficaci, sed prævalent & dominantur affectus peccatorum.* Quartum posteà genus Attritionis indicat, quæ procedit à naturali Dei amore super omnia. De his sic pronunciat, non tàm ex suâ, quâm ex aliorum

ſententiâ. Quum enim adverſus hæreticos diſputet, nihil eorum, quæ à Catholicis problematicè diſputantur, condemnat. Primum & tertium genus non ſufficere ad Sacramenti effectum ſuſcipiendum, efficere tamen ut Sacramentum repetere non ſit neceſſe. Secundum, eſſe idoneam diſpoſitionem ad Sacramentum cum fructu ſuſcipiendũ. Quartum ex multorum ſententiâ probabili, eumdem cum Sacramento effectum producere.

Eam autem cautionem ſæpiùs adhibet quę nobis nunc eſt maximè adnotanda. Poſtquam igitur quorumdam recentiorum de his quæſtionibus ſententias, nullam improbans retulit, ſubjicit : *Conſolatoria quidem hæc ſunt, ſed incerta & ſcripturis ac Patrum ſententiis non ſatis conſentanea, ſi intelligant nullam Dei aut offenſæ ejus in diſplicentia hac peccati habendam eſſe rationem. Nam Apoſtolus Paulus in Actis ſolum annuntiat pænitentiam, quæ ſecundum Deum eſt, & ad Corinth. Triſtitia*, inquit, *quæ ſecundum Deum eſt, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ubi Ambroſius in Commentariis: manifeſtum eſt, quod, qui triſtis eſt quia peccavit, ſecundum Deum triſtis eſt. Dolet enim, quia fecit quod odit Deus. Idem Beatus Chryſoſtomus & Theophylactus. Nam ne homo quidem juſtus placaretur, cum is, qui læſit, nullam ipſius in dolore habet rationem; nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui jacturam propriam ſentit & dolet, non amici offenſionem; & paſſim requirunt ſcripturæ, quod pænitentes convertamur ad Deum : Convertimini, inquit Propheta Joel, in toto corde veſtro. Et apud Ezechielem: Convertimini, & agite pænitentiam. Ubique ratio finiſque pænitentiæ Deus ipſe præſcribitur. Oportet igitur cum Attritione, quæ fit ob metum ſupplicii, & multo magis quæ fit ex conſideratione luminis naturalis, aliam affectûs mutationem conjunctam eſſe, ut ſcilicet rationes, ob quas dictis modis de peccatis dolemus, moveant ad altiorem conſiderationem, mentiſque etiam ad Deum affectionem.* Poſtquam hoc argumentum pluribus perſecutus eſt, tandẽ concludit : *Quandocunque eſt dolor de Dei offenſâ conjunctus cum propoſito emendandi, & vivendi ſecundum leges Chriſti, ſuos effectus, ſi non eſt obex, operatur Sacramentum. Nec tamen hæc mentis diſpoſitio per ſe ad hoc ſufficit, cum nondum ſit cor plene contritum, propter Deum tanquam ultimum finem, & ſuper omnia dilectum.* Et paulò poſt : *Non igitur requiritur amor*

Dei super omnia, & tanquam finis ultimi, ut dispositio necessaria in Sacramento baptismi, nec etiam pœnitentiæ; sed talis sufficit, secundum quem Deus sit causa tristitiæ vel pœnitentiæ.

Petrus à Soto totus est in hujus rei demonstratione. Multis agit totâ lectione 15. de Contritione adversus eos, qui Contritionis dolorem ab amoris gradibus & intensione non metiuntur. Docetque & autoritate S. Thomæ, & ratione amorem vel dolorem alium alio majorem esse vel ab alio superari, aliâ ratione non fieri: *Quàm quia & subjecto fortiùs inhæret, & in se ipso perfectior est, nec unum plus alio diligi, aut de uno plusquàm de altero doleri, nisi secundum intensionem ipsius affectûs.* Ideò in fine lectionis 17. de Attritione decernit: *Cum quæritur rursum, an ex Attritione fiat Contritio, & quid inter Attritionem & Contritionem intersit, parum curandum est. Certè ex imperfecto dolore ascenditur ad perfectum, sive eadem operatio perfecta sit & imperfecta, ut nonnunquam contingit successu temporis, sive sint diversæ.* Et lectione 8. de confessione ipsius est tertia propositio: *Defectus perfectæ Contritionis qui deprehensus non est à pœnitente vel sacerdote bonâ fide & debitâ diligentiâ agentibus, & si nonnunquam fructum auferat absolutionis, non tamen nullam reddit confessionem aut repetendam, sed est validum Sacramentum, quod posteà recedente fictione operabitur.* Præcedentibus propositionibus Contritionis perfectę defectum tantùm notaverat, qui confessionem nullam & iterandam arguebat: nunc duplicem defectum perfectionis, sed utrumque præcedentibus, ut ipse adnotat, minorem. Aliquando enim ea est Contritionis remissio, quæ absolutionem ratam reddit: aliquando paulò major Contritionis intensio facit, ut accedente Sacramento gratia conferatur. Ideò tandem concludit: *Habemus nunc ex iis, quæ dicta sunt, quod defectus perfectæ Contritionis minimus duplex est: alius, qui per Sacramentum ipsum aufertur, cum scilicet virtute ejus ex attrito fit pœnitens contritus: alter qui non aufertur per Sacramentum, sed manet absolutus in suâ imperfectione. Et primus quidem, cum non permaneat adveniente virtute Sacramenti, non reddit vel nullam, vel sine effectu absolutionem; alter verò sine fructu illam relinquit.* Itaque ex attrito fit quis per Sacramentum contritus defectu amoris Dei per augmentum sublato,

menter possit. Contrariam tamen sententiam, quod, aliquis dolor propter Deum offensum necessarius sit, amplectitur.

Secũda propositio ex istâ fluit: Nulla Attritio dolor est propter Deum offensum, sed tantum ob gehennæ metum cæteraque incommoda temporalia vel spiritualia. Nam si datur dolor propter Deum offensum, jam ex istâ sententiâ non est Attritio, sed Contritio. Itàque secundum illos attritio & contritio specie differunt, cum circà objecta prorsùs disparata versentur, nec ullus dari potest gradus remissionis, qui Attritio dici possit. Ideò cum dolor Attritionis illis imperfectus dicitur; Contritionis, perfectior, diversi generis est perfectio illa & imperfectio, ut inter varias species una dicitur alterâ perfectior. Ità Soto evidentissimè l. 2. de natura & gratia c. 14. & in 4. dist. 17. q. 2. toto art. 4. §. *Contra hoc autem*, & sequent. art. 5. ad finem: Franciscus Victoria Relect. 1. Sect. 3. q. 2. de potest. Eccles. Andreas Vega l. 13. c. 24. ad objectionem 3.

Tertia propositio: fatentur Attritionem cognitam nec per se nec cum Sacramento nos justificare: ità Victoria loco citato: *Si talis dolet quidem de peccatis; sed intelligit se non dolere, quia sunt offensiva Dei, sed ob quamcumque aliam rationem, puta, aut propter pœnas inferni, profectò talis dolor non sufficit, quia ille non dolet offendisse Deum: Nihil autem refert quod doleat, si non doleat offendisse Deum; idem est ac si nullo modo doleret.* Soto l. 2. de natura & gratia c. 15. *Qui autem sciret se non detestari peccata propter Deum, ejus profectò non esset vera accusatio in confessione. siquidem accusatio non est nisi de offensâ Dei, & quatenùs est offensa &c. Atque adeo si ità mihi certò constaret, gravissimè formidarem sic affectum absolvere.* Eadem repetit in 4. sententiarum dist. 18. q. 3. art. 2. ad finem. *Qui non se accusat offendisse Deum, non se legitimè coràm Deo accusat. Ergo ut pectus ori fideliter consonet, requiritur detestatio peccati, quatenùs est offensa Dei, saltem secundum judicium pœnitentis.* Tandemque in ipso articuli fine concludit: *Unde colligitur neminem accedere digne ad confessionem, nisi judicio suo sit contritus &c.* Eadem quæstione 3. in tertiâ conclusione. *Non implevit præceptum de pœnitentiâ, qui solùm habet Attritionem, ut patet: quia si sibi constaret, quod non doleret propter Deum dolore, qui verè sit Con-*

tritio, non dignè accederet ad Sacramentum pœnitentiæ: Et quamvis propter ignorantiam invincibilem excusetur à novo peccato, & consequatur gratiam in susceptione Sacramenti pœnitentiæ, tamen posteà si sibi constaret, se non habuisse dolorem de suis peccatis propter Deum, & ut illius sunt offensæ, sed tantùm timore pœnæ, teneretur posteà dolere propter Deu.

Quarta propositio: Attritio illa, si pœnitens post conscientiæ examen bonâ fide eam existimet Contritionem, juncta Sacramento gratiam confert gratum facientem. Hoc est istorum Doctorum solemne effatum ratione Attritionis ex solâ pœnæ formidine conceptæ. Nam alii Attritionem putatam Contritionem cum Sacramento justificare asseruerunt, sed Attritionem intellexerunt ex amore Dei conceptam, quæ à Contritione remissionis gradu tantum differebat. Ista propositio ex testimoniis jam citatis evidentissimè consequitur. Præterea Vega eadem q. 13. conclus. 4. *Breviter dico, Attritio sufficit ad dignè Sacramenta ista recipiendū, & consequendū per ea gratiam, si quidem invincibiliter existimetur Contritio, non alias.* & lib. 13. c. 24. Victoria ad finem q. 2. Relectionis 1. de potestate Ecclesiæ.

Quinta propositio: *Contingit quod aliquis putat se dolere propter Deum, & non dolet, aut non propter Deum dolet, & in tali fit remissio peccatorum virtute clavium.*

Sexta verò propositio: *Omnis ille dolor & solus sufficit da remissionem peccatorum cum clavibus, de quo peccator existimat quod sit Contritio, id est, sufficiens dolor, si non sit aliud impedimentum extrinsecus, &c.* Et paulò post, *sed si bonâ fide, factâ probabili examinatione, putat se sufficienter pœnituisse, quamvis decipiatur, cum Sacramento pœnitentiæ consequitur sine dubio remissionem peccatorum.* Soto in 4. dist. 17. art. 5. & lib. 2. de natura & gratia c. 15. & passim ubi de Contritione & Confessione agit. Omnes homines quasi à natura ipsa ità affecti sunt & instituti, ut reconciliationem cum Deo sine illius amore & dolore propter injuriam Deo illatam, qui necessario ex illius amore consequitur, sibi fingere nequeant. Ideò qui huic imperfectæ Attritioni Sacramento conjunctæ vim homines cum Deo reconciliandi tribuere audent, Pœnitentem volunt se examinantem, Attritionem pro Contritione sumere, & sic bonâ fide deceptum Contritionis fructum

consequi.

Postrema propositio præcedentis est consectaneum. Pœnitens ex attrito fit contritus virtute Sacramenti, cum Attritionem suam putat Contritionem, & bonâ fide confitetur & absolvitur. Si enim Attritionem suam cognosceret, ex eorum sententiâ ad confessionem accedens peccaret. In sententiâ tamen Dominici à Soto duo sunt peculiaria. Dolorem enim propter Dei offensam viribus naturæ elicitum Attritionem quoque vocat, quam accedente gratiâ Contritionem fieri docet: Sic etiam Attritionem gratiâ superveniente vocat Contritionem. Hinc colligit Attritionem fieri Contritionem, extrinsecè scilicet, propter gratiæ adventum, non mutato actûs objecto. Ideò ipsi Attritio è voluntate charitatis participe fluens, dicitur Contritio. Hæc de tribus istis Doctoribus, sicut & cætera historicè tantùm relata sunto.

Franciscus Sonnius Theologus eximius, quique propter insignem pietatem & doctrinam primus renuntiatus est Episcopus Boscoducensis idem docet lib. 2. demonstrationum Religionis Christianæ Tractatu 9. c. 6. Ubi ordinem justificationis impii enarrat. *Primum est verbum Dei terrefaciens peccatorem, ira ventura super impœnitentes &c. secundum est fides &c. Tertium est pœnitentia, quâ revertentes ad Dominum detestamur peccatum, ut iniquum quid & impium, plane offensivum divinæ majestatis. Quartum est dilectio, quæ facit mentem suavi quodam amore flagrantem in Deum. Quintum est gratia gratum faciens &c. Sextum est Sacramentum &c.* Et paulò post: *sic homo, quia verbo Dei, fide, pœnitentiâ, & dilectione præparat sese, atque idoneum facit ad recipiendum in animam suam formam justificationis, seu justitiæ quæ ex Deo est, ideo dicitur cooperari in remissione peccatorum suorum &c.* Antequam gratia gratum faciens infundatur, requirit detestationem peccati propter offensam Dei, ejusque dilectionem, quod idē est cum eâ Attritione, de quâ verba facimus. Attritionis autem sicut nec Contritionis, eo loco mentionem non facit, quod ad librum quartum doctrinam de Sacramentis reservet, qui liber cum aliis non est ed ius, atque an fuerit aliquando editus ignoro.

Felicianus Capitonus Narniensis ex instituto Fratrum servorum, Avenionensis Archiepiscopus rem hanc totam

egregiè explicat, & Concilium Tridentinum hac in causâ optimè intelligit & commentatur explicationum catholicarum parte 2. explicat. 52. *Considerandum est dupliciter fieri posse, ut quis timore pœnarum fugiat peccatum. Primò ut si pœnâ non imminente nihil mali pro peccato se passurum timeret, nunquam illud relinqueret. Et hic timor malus quippe est, quoniam & si timore pœnæ peccatum detestatur, peccandi tamen retinet voluntatem. Alio modo peccatum detestari timore pœnæ est, quod ad eas evitandas, tam opus peccati quàm peccandi voluntas prorsùs deseritur, & hunc bonum timorem sanctumque dicimus, de quo scribit psalmus 110. Initium sapientiæ timor Domini.* An autem sicut cessatio ab opere peccati ex solo timore servili, nullo alio motivo cooperante oriatur, ita & ista voluntatis immutatio, ipsum audiamus. *Quo verò modo id fiat accipe. Considerabit quis gehennæ gravissimam pœnam peccato propositam, quam maxime pavens, & ad Deum qui eam infligit elevatus, omnipotentem videns; deinde progrediens ad considerationem peccati, pro quo tanta irrogatur pœna, gravitatem, foeditatem & enormitatem illius scrutatus, detestatur & abominatur ipsum, non jam propter pœnam, sed propter illius turpitudinem. Adhuc altius conscendens, divinam quam offendit majestatem bonitatemque contemplatus, horret illam offendisse. Ità profectò quod si nulla constituta fuisset pœna, peccare tamen desisteret, peccandique voluntatem compesceret. Et quis erit igitur, qui hujusmodi motum & peccatoris opus dicat esse malum? Et tamen ab illo timore servili, peccatorum discussione & fœditate oritur. Quâ de re errare eos quidem qui Contritionem à servili timore initium habentem damnant, necesse est, si prout diximus, intelligitur. Nam eos qui primo modo aut dolent, aut abstinent à peccandi libidine, semper detestata est Ecclesia, quod Patres in Concilio Tridentino sess. 14. c. 4. his verbis definierunt. Illam verò Contritionem imperfectam quæ Attritio dicitur &c.* Timor igitur servilis non est ipsa Contritio imperfecta, aut Attritio à Concilio intellecta, quæ gratiæ nos in Sacramento proximè disponit, sed initium & principium à quo sæpissimè emanat, ut effectum à Concilio enarratum consequatur. Cætera quæ autor ille enumeravit, conjungenda sunt.

Guilielmus Estius Academiæ Duacensis Cancellarius, & in eâ Primarius Theologiæ professor sic philosophatur de

Attritionis à Contritione differentiâ in 4. dist. 16. §. 9. quatuor Attritionum species distinguit. Prima, cum quis peccasse dolet propter humanos fines, propter infamiam & ex peccato consequentem turpitudinem, propter damna temporalia &c. Secunda, cum dolet propter gehennæ, aut alterius pœnæ spiritualis metum, quæ solo fidei lumine cognoscitur. Tertia, *dum quis dolet de peccato propter Dei offensam, non tamen absolutâ & efficaci voluntate, sed suspensâ & optativâ tantùm, quia nimirum vellet relinquere peccatum, & peccandi affectum, & Deo placere, non tamen relinquit &c.* Postrema, *dum quis de peccato dolet, quia Deum offendit, & absolute proponit non peccare de cætero, sed id facit imperfectâ, remissâ ac debili voluntate.* De unâquâque Attritione sic pronuntiat, primam speciem, quià ex solis naturæ viribus elicitur, & infidelibus inesse potest, Contritionem non esse pronuntiat, nec ullo modo accedente Sacramento nos Deo reconciliare posse. Idem pronuntiat de secundâ specie: *Quia*, inquit, *ille timor gehennæ per se non sufficit ad excludendam omninò voluntatem peccandi, nisi accesserit amor justitiæ & dilectio Dei super omnia.* Tertiæ similiter speciei definitionem Contritionis à Tridentino Concilio datam convenire non posse affirmat. Tandem sic concludit: *Postremi generis Attritio vera Contritio est, & accedente Sacramento sufficit ad reconciliationem, imò & sine Sacramento, quando Sacramenti susceptionem in periculo mortis excludit necessitas.* Multisque probat hanc Attritionem Concilium Tridentinum vocasse Contritionem imperfectam.

Franciscus Sylvius in eâdem Academiâ Theologiæ Professor ordinarius eandem planè docet sententiam, atque eodem modo quatuor illas species explicat; idemque de unâ quâque pronũtiat in supplemẽtum S. Thomæ q. 1. a. 3. quem lector consulere poterit.

Vivaldus tit. 5. de pœnitentiâ, sectione de contritione, Attritionem perfectam definit, *dolorem imperfectum de peccatis propter Deum principaliter assumptum.* Deinde tria genera attritionis imperfectæ distinguit eodem ferè sensu quo supra. Attritionem perfectam sufficere affirmat cum Sacramento. Primam imperfectam, quâ quis dolet solùm, vel principaliter propter pœnas inferni, sufficere ut quis sine peccato petat

confessionem ; multis verò probat, ut fructum Sacramenti recipiat, non sufficere ; alias vero duas à peccato confitentem non excusare.

Eadem planè fuit Sententia Petri Binsfeldii Treverensis suffraganei in Enchiridio Theologiæ pastoralis c. 9. de contritione §. 4. quærit, *Quæ est ista salutaris attritio, virtute cujus accedente Sacramento homo ex attrito fit contritus?* Postea respondet: *Sic describi potest ex Concilio sess.* 14 *c.* 4. *Est dolor minus perfectus ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter conceptus, voluntatem excludens peccandi, cum spe veniæ.* Ex quo vero sanòque principio respondet quæstioni propositæ, quomodo attritio virtute Sacramenti potest fieri contritio? *Multò rectiùs*, inquit, *intelligitur secundum illorum doctorum Sententiam, qui tradunt attritionem & contritionem non differre nisi penes intensum & remissum, ita ut idem actus numero remissus sit attritio; intensior factus, Contritio reddatur: cui Sententiæ applaudere videtur Concilium Tridentinum, cum attritionem vocat Contritionem imperfectam.* Postea id quod objiciebatur ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 4. sic interpretatur, *Scilicet, quod ille, quem pœnitet de peccatis propter timorem inferni cum proposito cessandi à peccato, habet donum Spiritus Sancti, à quo impulsus ille emanavit, & quod pœnitens ad intus ab ipso Spiritu Sancto, qui incepit, disponetur in Sacramento, ut recipiat gratiam, id est, in Sacramento mutabit propositum, & ille timor servilis, qui non sufficiebat ad absolutionem, incipiet esse filialis, quia convertetur adjutus in amorem Dei saltem virtualem, qui sufficit cum hac attritione.* Hoc ita fieri multis probat, atque ab exemplo Ninivitarum, quod eodem loco Concilium profert.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Societatis Iesu Ioannes Maldonatus, Gregorius de Valentia, Henricus Henriquez, Paulus Comitolus, Adam Tannerus, Gabriel Vasquez, Cardinalis Toletus.

JOANNES Maldonatus societatis Jesu Theologus non portentosâ librorum mole, sed ingenii acumine & soliditate, veterumque autorum & recentiorum assiduâ lectione, & dum viveret & post mortem, celeberrimus, per attritionem, antiquorum scholasticorum more, animi dolorem ex amore Dei conceptum intelligit, qui si intensior fuerit, in contritionem elevatur, accedente scilicet huic motui charitate sive gratiâ gratum faciente. Ideò Attritionem à contritione intrinsecâ differentiâ non discriminat, primùmque Attritionis originem ex timore servili deducit; contritionis verò, à filiali. Sic scribit 4. parte de pœnit. c. 1. *Contritio habet semper profine Deum: est enim dolor propter Deum, attritio non semper.* Rectè quidem, nam attritio infima non Deum, sed suppliciorum formi dinem sibi proponit. deinde scribit: *Contritio semper est informata gratiâ à charitate; attritio, non semper. Hinc sequitur majorem esse dolorem contritionem, quàm attritionem genere suo. Quantus autem esse debeat, ut possit vocari contritio, magna quæstio est inter Theologos.* Postea disputatâ in utramque partem quæstione sic concludit: *Ergo tutissimum est, imò propè naturale, ut qui habeat veram contritionem, habeat intensissimum dolorem, eumque ostendat signis.* Itaque cum attritionis dolor ad illum intensionis gradum pervenit, est vera contritio & charitate formatur. Hoc confirmatur ex eo quod scribit c. 2. de satisfactione. *Cum jubemur habere contritionem, non jubemur habere illum dolorem, qui est contritio conjuncta cum gratiâ divinâ, quia hic dolor non est positus in nostrâ potestate, sed tantum jubemur contendere per attritionem, & dolorem naturalem; ut digni simus, quibus Deus per*

contritionem illam veram conferat gratiam suam. Appellat igitur attritionem illam veram contritionem, cum scilicet ad gradum illum pervenit, qui gratia informandus est. Nec difficultatem facit quod dolorem illum naturalem vocat, quum postea doceat à gratiâ gratis datâ provenire, sed gratiam gratum facientem præcedere, eamque ex æquo & bono, ut loquitur, sive de congruo mereri.

Idem nos docet Gregorius de Valentia societatis Jesu insignis Theologus operum tom. 4. disput. 7. q. 8. de contritione, puncto. 1. Quadruplicem statuit peccati dolorem, primum non ut peccatum & offensa Dei est, sed tantùm ut pœnæ reatum inducit: secundum, qui non tantùm propter pœnam concipitur, sed etiam actu vel virtute quod sit offensa Dei, *Sed sic tamen ut non doleret quis eâ ratione, nisi pœnam aut malum aliud timeret.* Tertium qui concipitur quoque propter pœnas, sed *simul actu vel virtute propterea quod est offensa Dei, etiam si nulla alia subesset ratio dolendi, sic tamen ut non habeatur dolor ejusmodi de peccato tanquam de summo malo super omnia detestabili.* Quomodo autem hoc fieri possit, sic explicat. *Quod accidit quando oritur ille dolor actu vel virtute ex dilectione Dei qualicumque, sed non ex dilectione Dei super omnia simpliciter quacumque possent animum abstrahere à Deo.* Denique postremam doloris speciem definit, ut sit de peccato, *Quatenus est & Dei offensa, & summum malum super omnia detestabile, oriatùrque proinde vel actu vel virtute ex dilectione Dei simpliciter super omnia.*

Diligenter nunc attendendum est quid de unoquoque dolore pronuntiet: *Dolor*, inquit, *primo & secundo modo neque Contritio, neque attritio propriè nominari debet, quoniam communiter nomine contritionis vel etiam attritionis, solet intelligi dolor bonus. Ille autem dolor est actus malus ut supra q. 2. puncto 3. docuimus* Referamus quid eo loco decernat, *Nos verò asserimus si quis propter pœnas, tanquam propter maximum quod abhorreret malum summèque avertendum, de peccatis doleret, talem dolorem omnino fore malum, quoniam oriretur ex perversissimo sui amore.* Et paulò post repetitâ eâdem ratione vocat iterum dolorem istum malum, additque secundam rationem quod oriatur *Ex perverso timore, quo quis magis horret, pœnæ malum,*

quam

quàm culpæ, & quàm offensam Dei. Secundam doloris speciem eâdem censurá inurit: *Perversum enim est, & ab eo animo alienum, quo erga Deum affecti esse debemus, sic dolere, ut nisi essent pœnæ, nolles dolere ipsius Dei causa. Hoc enim ipso merito offenditur Deus; sicut etiam offenderetur Dominus aliquis ab eo servo quem sciret, sui causâ nihil velle sponte facere, nisi pœnam timeret.* Hoc probat duobus sancti Augustini testimoniis, concluditque sic agentem non spontè, sed coactè & contra voluntatem agere. Catholicorum verò Doctorum Sententiam, qui aliter locuti videntur, emollire conatur disp. 7. q. 8. punct. 1. *Quod si apud Doctorem aliquem Catholicum alicubi legatur dolorem ob solum metum pœnæ esse bonum, ut ipse etiam Navarrus n. 11. loquitur, intelligi id debet de dolore, qui actu quidem sit propter solum ejusmodi metum, sed virtute tamen sit etiam de peccato, ut est Dei offensa, etiam si nulla alia ratio interveniret dolendi.* In utrumque istum dolorem nimiùm tamen rigidus videtur: In se enim bonus est uterque & utilissimus. Nam ut rectè sanctus Thomas 2. 2. q. 19. a. 4. non tollitur species habitus neque actus ab eo procedentis per destinationem finis propinquioris ad ulteriorem finem: utrique accidit illa destinatio, nisi se res ita haberet, neque redderetur bonus ille timor ex dilectionis Dei mixturâ, sive destinatione ad Dei offensam, ut vult Valentia. Res enim suapte mala destinatione ad finem quantùlibet bonum bona reddi non potest. Effectus præterea illius timoris servilis, etiam quâ servilis, in se bonus est, cessatio scilicet à peccato, licet forsan finis, ob quem cessatur, malus sit. Ideo rigidè nimium colligere videtur *Certissimum esse dolorem, qui nec actu nec virtute sit etiam propter Deum, esse malum:* Certissimum quidem esse debet hanc dispositionem esse imperfectissimam, & quæ ultima sit ad gratiam in Sacramento suscipiendam, indignam. Melius omninò antiqui scholastici, qui sufficere dixerunt ad actus illius bonitatem asserendam, ut voluntas actu non habeat conditionem illam, licet habitu ei inhæreat; eo quod voluntas mala, eo timore perculsa non immutetur. Sed de hoc timore jam abundè tractatum est.

Tertium dolorem docet propriè esse & dici Attritionem, atque etiam contritionem imperfectam, eamque à Conci-

lio intelligi sess. 14. c. 4. & ad gratiam Dei in Sacramento impetrandam disponere. Quartum verò Contritionem perfectam constituere. Eadem repetit puncto. 4. §. *Animadvertendum.*

Henricus Henriquez ejusdem societatis Theologus lib. 1. Summæ c. 25. idem docet licet paulòminus evidenter: scribit enim *Attritionem esse odium & detestationem peccati ex aliquali dilectione Dei, & procedere ex speciali auxilio & dono Dei, & dolere facere non de quibusdam tantùm, sed de omnibus peccatis mortalibus, vel de singulis, quæ in particulari præcogitavit fuisse à se commissa, & reprimere non tantum effectum operum, sed affectum hominis interiorem à peccato futuro, & includere propositum non peccandi de cætero, & implendi præcepta, ac suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ suo tempore.* Nihil in hac definitione ad legitimam justificationis dispositionem requiri potest, nisi forsan exile nimium videatur alicui epithetum *aliqualis* dilectioni adjectum: Magnam enim oportet esse Dei dilectionem, quæ tantum, ut scribit, peccati odium causatur, ut reprimat non modo effectum operum, sed etiam affectum interiorem à peccato, & cætera, quæ sequuntur includat. Nam, ut ait S. Joannes Epist. 1. c. 2. *Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Magnam igitur in eo Charitatem esse oportet, qui tanto odio in peccatum fertur, ut non modo ab eo abstineat, sed etiam affectum interiorem ab eo cohibeat, sibique Dei præcepta implenda firmiter proponat. *Aliqualem* tamen posuit, ut Attritionem à Contritione distingueret, quæ dilectionem perfectam continet quâ statim homo justificatur. Attritionem sic definitam Attritioni, quæ excitatur ex timore pœnæ propriè dicit non convenire, sic enim n. sequente. *Minus habet de objecto formali Contritionis Attritio, quæ excitatur ex timore gehennæ: quia motivum pœnæ est extrinsecum honesto objecto & offensæ Dei ut compensandæ.*

Posteà c. 26. n. 1. tres Attritionis gradus distinguit. Primum dicit esse ad gratiam in Sacramento assequendam insufficientem, sed tamen confessionem reddere validam. Tertium neutrum facere: Secundum, utrumque præstare, quem describit *dolorem de offensâ Dei in ratione superiori propter altissimas & æternas causas, ut est contrà legem æternam:* Po-

steâ n. 5. ejusdem capitis addit: *Attritio secunda non sufficit in quovis gradu ad fructum Sacramenti pœnitentiæ, aut etiam baptismi, id est, si hæc Attritio ex amore tantum naturali Dei procedat: cum debeat esse circà objectum fide propositum.* Nihilominus cum differentias explicat, Contritionis ab Attritione differentiam assignat, quæ si strictè sumatur, quæ paulò antè dixerat, evertere videtur. Dicit Contritionem efficaciter detestari peccatum super omne detestabile, ut est offensa Dei; Attritionem verò, quamvis ornata sit optimis conditionibus prædictis, non esse re verâ dolorem efficacem de omnibus & singulis peccatis mortalibus. c. 25. n. 3. *Reperiri tamen in attrito quandam objectivam dilectionem Dei, & velleitatem, quâ falsò putat se dolere de omnibus peccatis.* Atqui hæc cũ definitione paucis antè verbis assignata sunt prorsùs, ὁμοῖα & eadem prorsùs cum iis, quæ scribit in fine cap. 23. quibus efficaciam negat gratiæ etiam Sacramento conjunctis. Imò eadem sunt cum tertii gradus Attritione, quam dixit Sacramentum ratum facere non posse, ut ea comparanti manifestum est. Itàque inefficax illa secundæ Attritionis dilectio necessariò ex ipsius mente comparativè intelligenda est, quæ scilicet non sit ità efficax, ut Contritionis dilectio, quæ hominem reapse antè Sacramenti susceptionem justificat.

Notabit lector, licet Henriquez aliquando de Attritione verba faciens motivi pœnæ mentionem faciat, prætereitâ dilectionis mentione, dilectionem tamen ab Attritione, quæ cum Sacramento justificat, non excludere. Ea enim addit quæ Dei dilectionem necessariò complectuntur, ut lib. 1. c. 22. n. 5. ad Sacramentum baptismi & pœnitentiæ, *digne accedit peccator cum notâ Attritione ex auxilio Dei, & circà objectum supernaturale fide cognitum, quæ oritur ex turpitudine peccati, vel timore inferni tanquam ex motivo: ità ut voluntatem peccandi excludat, ne maneat in ullâ virtuali affectione peccati.* Motivum hoc solum, ut multis probatum, voluntatem peccandi non excludit, & multò minùs virtualem ergà peccatum affectionem. Hæc sola Dei dilectio cordibus nostris infusa præstare potest. Hoc agnoscit & docet Henriquez lib. 4. c. 21. n. 4. Ubi timorem servilem explicans scribit, *cum non excludere*

quin cohibeatur simul interior affectus ab omni peccato, & actus feratur in Deum propter se ipsum: sed esse motivum sine quo homo tepidus fortè non excitaretur, ad fugiendum detestandumque peccatū. Sæpe hunc actum comitatur timor filialis &c. Non igitur ab illo motivo, sed aliunde fluit cohibitio interioris affectus, detestatio & fuga peccati, non secùs ac timor filialis & actus quivis in Deum propter se ipsum relatus. Eadem videtur esse Pauli Comitoli sententia. lib. 1. Respons. moralium q. 32, *Si verò detestatio oriatur, & peccati dolor existat ex objecto revelato, & catholicâ fide percepto, neque Deus excludatur omnino; & tunc ad tertiam & postremam distinctionem confugiendum est. Est autem ea hujusmodi, aut Lucilius extrà Sacramentum pænitentiæ imperfectè dolet, aut in Sacramento. Si extrà Sacramentum imperfectè doleat, ità ut non expleat eas partes ac numeros, quos detestationi peccatoris & peccati Deus præfinivit, non consequetur veniam peccatorum. Certam autem quamdam mensuram à Deo præscriptam esse dolori ejus, qui insigniter Dei violavit amicitiam, satis aperte docuerunt primarum partium Theologi.* Autores citat, Thomam, Alexandrum, Richardum & Bonaventuram: ex quibus verbis & autoribus citatis clarum est Attritionem, de quâ loquitur, à Contritione gradu tantùm, non specie differre. Nec enim Attritionis, quæ pœnarum objectum sibi unicè proponit, quantavis mensura & excessus Attritio fieri potest, quæ amoris Dei motivo constituatur. Deindè Comitolus sententiam approbat, quæ Contritionem charitate formatam requirit. *Hnc adde quod plures magnique Theologi in pænitente antequam absolvatur Contritionem veram charitate formatam requirunt. Neque usque adeò certum est Attritionem pænitenti esse satis.* Ideò diligenter & verbis energicis Sacerdotes admonet, ut pro viribus verum Contritionis motum à sibi confitentibus eliciant, quę autoris verba infrà referemus. Adjicit tamen se non ire inficias, Pœnitentem attritum Attritione jam explicatâ posse absolvi. Nec enim palmarios societatis suæ Doctores, quanquam ab iis dissentiret, condemnare erat animus. Notabit autem lector Comitoli librum à quatuor societatis Jesu Theologis Provinciæ Venetæ, & duobus Provinciæ Lugdunensis fuisse recensitum, &, ut ait, cõmprobatum.

Tannerus insignis Societatis Jesu Theologus, postquam oper. tom. 4. disp. 6. q. 6. dub. 4. de Attritionis objecto, multum disputavit, Attritionis objectum ex his omnibus constituit, sed divisum, id est, veræ & salutaris Attritionis objectum ex unoquoque constitui posse, non tantum pluribus. Ipsius verba referemus, ut ex iis judicet lector quid asserat: *Colligitur primo sufficientem Attritionem cum Sacramento &c. Esse imprimis dolorem de peccato, ut est injuria Dei offensi &c. Talis actus est etiam dolor de peccato ob pœnas inferni, vel ob spem, seu amorem vitæ æternæ per peccatum amissæ, esto utrimque hoc ipsum sit intrinsecum motivum & unicum talis actus. Talis est etiam dolor de peccato, sive ob generalem ejus rationem, quatenus à Deo ultimo fine, aut supremo legislatore avertit; vel etiam eidem velut summo benefactori ac redemptori nostro repugnat: sive ob propriam cujusque peccati fœditatem, ut repugnantem virtuti, non præcise naturali, sed infusæ: adeoque susceptus ex motivo proprio cujuscunque virtutis infusæ. Talis denique etiam probabiliter videri potest pœnitentia de peccato ob pœnas temporales, si considerentur, ut à Deo irato, & per peccatum offenso inflictæ.* Si ex his objectis secundum & ultimum excipias, meo quidem judicio nihil prorsùs ab amoris & dilectionis divinę objecto differunt, nisi forsan formales conceptus, & abstractiones metaphysicas, & rationis ratiocinatæ distinctiones, & commentationes hujusmodi in hac causâ otiosissimas consideres. Quidquid sit, nihil horum ab amore Dei divelli potest. Quod ad alia duo à timore orta, utilissima quidem sunt ad animæ conversionem inducendã, sed animæ non multis videntur dici posse conversio. De penultimo lis moveri posset: sed hic quid quisque dicat, non quâ ratione dicat, attendimus. Doctorũ enim sententias enarrare nobis propositum est, non refutare.

Gabriel Vasquez tomo 2. in 1. 2. disput. 203. c. 9. explicans dispositiones, quas ad baptismum suscipiendum requirit Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. Dilectionem Dei & peccati odium, quæ necessariò requirit Concilium de Attritione interpretatur; quæ Sacramento prærequiritur, multisque contendit de Contritione perfectâ hæc intelligi non posse, *sed tantum Contritionem & dilectionem imperfectam, quæ est Attritio & dilectio,*

& amor concupiſcentiæ Dei, ut boni noſtri pro diſpoſitione aſſignari. Et paulò poſt. n. 89. *Concilium datâ operâ videtur dixiſſe*, diligere incipiunt, *& non dixiſſe*, diligunt, *ut denotaret imperfectam aliquam & inchoatam dilectionem, quæ nondum eſſet charitatis.* Et num. 92. *Cum dicat Concilium ex tali amore oriri odiũ & deteſtationẽ peccati, & explicet hanc deteſtationem eſſe pœnitentiam, quam oportet agere ante baptiſmum, perſpicuè indicat, eum eſſe dolorem Attritionis, non Contritionis. Nam verbum* oportet *neceſſitatem denotat præcepti: præceptum autem non eſt præmittendi Contritionem ante baptiſmum, quia ſufficit Attritio.* Fatetur igitur evidentiſſimè dilectionem Dei Attritioni formandæ prorsùs eſſe neceſſariam: Itaque Attritioni ſervili ex timore pœnarum conceptæ neceſſariò ſuperaddenda eſt ea, quæ ex amore Dei oritur, ut Sacramento ſuſcipiendo par ſit: Nam ità gradatim Concilium loco citato, & gradus enumerat Vaſquez. n. 89. *Numeratur primo fides: Secundo timor ortus ex hac fide & conſideratione divinæ juſtitiæ: Tertio ſpes ex conſideratione divinæ miſericordiæ: Quarto dilectio orta ex hac ſpe, &c.* Sic S. Thomas 3. p. q. 85. art. 5. ordinem juſtificationis per pœnitentiam recenſens, poſt fidem motum ſtatuit timoris ſervilis, quem ſequitur motus ſpei veniæ conſequendæ, cujus vi peccator aſſumit, inquit, propoſitum emendandi; poſteà *motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia.* Ultimò actus timoris filialis. Itaque ſecundum ſanctum Thomam ex quo ſenſum verbaque ſua mutuatum videtur Concilium, dilectio illa vera charitas eſt, ſed inchoata: Ordinaria enim peccatoris converſio à timore gehennæ incipit, ut loco citato docet Concilium & S. Thomas ibidem; ideò articuli titulus & ſcopus eſt, *utrum principium pœnitentiæ ſit ex timore*, concluditque multis rationibus allatis affirmative: ſi aliter res fiat, ut in S. Paulo miraculi inſtar eſt, aiunt Alexander Halenſis, & S. Bonaventura, *ſi nullus timor eſt*, inquit S. Auguſtinus tract. 9. in Joannem. *Non eſt quà intret charitas &c. Si ſine timore es, non poteris juſtificari: opus eſt ergo ut intret timor per quem veniat charitas, timor; medicamentum; charitas, ſanitas.*

Nec aliquid noſtra refert, Si dicatur amor ille Dei eſſe concupiſcentiæ. Quid enim perfectius, quam amare Deum

tit bonum suum, redemptorem suum, protectorem suum? Quid enim perfectiùs quam amare Deum eo modo, quo jubet, eo modo, quem se ubique in scripturis proponit amandum? Quid enim perfectius quam pro viribus in unionem Dei tendere, hanc deperire, pulcherrimam istam laborum suorum mercedem sibi proponere? Plura de hoc amore libro præcedente dicta sunt.

Cardinalis Toletus lib. 3. c. 4. instructionis sacerdotum universam Attritionis doctrinam, si quis alius, evidenter explicat. Quando aliquid Contritioni deest, unde fit imperfecta, tùm, inquit, Contritio illa imperfecta, Attritio dicitur: Hoc autem quatuor modis contingere poteſt. *Primò ex parte objecti, quando detestatur peccatum cum reliquis conditionibus; sed non quia offensa, verùm aut quia est quoddam malum animam fædans &c, aut quia ei debetur pœna æterna, aut quia ex eo secutum est malum aliquod temporale, &c. Secundò contingit ex parte modi, cum quis detestatur peccatum, ut Dei quædam offensa est, sed non detestatur suprà omne detestabile. Non enim verè mallet quodcumque malum subiisse, quàm peccasse, &c. Tertiò quando quis detestatur peccatum suprà omnia, ut Dei est offensa, non tamen habet propositum firmum vitandi omne futurum, &c. Quarto modo, cum quis desiderat habere Contritionem de peccato, & detestari supra omnia, quamvis verè non habeat ipsam Contritionem. His quatuor modis contingit Attritio.* Diligenter nunc attendendum quid de unâ quâque pronuntiet. *Prima quidem Attritio, si talis sit, ut cognoscat pænitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa*[a], *quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum, imò qui sic accederet, peccaret denuò, & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum.* In secundâ Attritione distinguit: aut eam cognoscit pœnitens, & tunc hæc secunda, sicut prior, est insufficiens, aut eam non cognoscit, id est credit se peccatum, ut est offensa Dei, detestari super omne detestabile, *Tunc talis Attritio, putata Contritio dicitur, & sufficit ut præceptum quis impleat, & gratiam ex ipso consequatur.* Tertiam Attritionem absolutè negat esse sufficientem, immò, inquit, *peccaret, qui sic accederet, nec*

[a] In antiquis editionibus legitur, *Ut est alicujus mali causa, & pœna inferni.*

impleret præceptum. De quartâ idem judicium facit, quod de secundâ: si non constat pœnitenti se non esse verè contritum, ad gratiam sufficit in Sacramento recipiendam; si constat, non sufficit, *quia, cum sibi constat, se non esse vere contritum, debet priùs vere conteri, ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior.* Unde continuò subdit, *confessores maxime debent considerare, qualiter pænitentes admittant ad confessionem. Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt & propositum habent non peccandi in posterum.*

a Iis quæ toto hoc capite tam diligenter & perspicuè tradidit, videtur contraria docere ad finem c. 10. cum scribit. *Si sit vera detestatio culpæ præteritæ, & propositum cavendi ob pœnas inferni, puto quod licet sciat homo se esse tantum attritum, est vera Confessio, & accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam.* Ista non excludunt Dei amorem, & peccati detestationem ut offensa Dei est: Includitur enim hoc motivum in verbis illis

a Objectionem hanc & observationem omisisset forte Morinus, si Summæ Toletanæ præ manibus editiones habuisset aut Coloniensem an. 1599. aut Antuerpiensem an. 1600. à Doctoribus approbatas; in quibus ista; *Quod intelligendum est de Attritione, quæ est imperfectus dolor præteriti & imperfectum propositum futuri. Nam si sit vera detestatio culpæ præteritæ & propositum cavendi ob pœnas inferni, puto quod licet sciat homo se esse attritum, est vera confessio, & accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam, ut colligitur ex Conc. Trident. ß. 13. cap. 14.* Ista, inquam, quæ sibi objicit, minimè leguntur: Atque adeo opus non est, ut Toletus cum Toleto concilietur. Adjecta verò sunt statim anno sequenti 1601. in tribus, quæ simul prodiere Romæ, Lugduni & Parisiis, editionibus summæ Toletanæ, cæterisque quæ posteà ad hæc usque tempora plurimæ variis in locis extitere. In his omnibus mutata videntur esse aliqua, prout editorum forte sententiæ magis vel minus favebant. Nam in lib. 3. cap. 4. n. 9. Cum dixisset Toletus: *Cum sibi constat, se non esse vere contritum, debet priùs conteri.* Addidere: *Ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior, ut infrà. cap. 10. rursus dicam.* Contrà apertam ejusdem Toleti Sententiam, aperta ejus ibidem verba: *Hinc etiam sequitur Contritionem quæ pars est materia hujus Sacramenti, aut esse veram Contritionem, aut existimatam, ut dixi.* Quæ verba erasere. Sic etiam citato loco n. 8. Cum ageret Toletus de Contritione imperfectâ, quæ Attritio dicitur, quæ sufficiat aut non sufficiat ad Sacramentum rite & utiliter suscipiendum, & hæc dixisset; *prima quidem Attritio, si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali causa & pœna inferni, quamvis actus ille bonus sit, tamen non sufficit ad Sacramentum; Imò qui sic accederet; peccaret denuò & non impleret præceptum:* Duas has voces, *pœna inferni*, sustulêre; addidêre verò vocem, *temporalis.* Ut videretur Toletus eam tantùm Attritionem rejicere, quæ metu mali aut pœnæ temporalis concipitur, non autem eam, quæ metu inferni & pœnæ æternæ. Hæc observasse sufficiat, ut cognoscas, quæ vera Toleti sententia fuerit, & quæ eorum, qui post an. 1600. Toletum sibi suffragari voluerunt.

illis, *vera detestatio culpæ præteritæ.* Quod clarius patet si conjungantur verba præcedentia, quibus docet Attritionem, quæ cognita cum Sacramento non sufficit, eam esse, *quæ est imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propositum futuri.* Attritio igitur, quæ cognita sufficit ad gratiam per Sacramentum obtinendam est perfectus dolor, & vera detestatio peccati præteriti, & consequenter ut est Dei offensa, aliàs enim perfectus dolor dici non posset. Itaque illud, *ob pœnas inferni*, referri non debet ad utrumque præcedens, sed ad magis propinquum, propositum scilicet cavendi. Re verâ enim ex omnium consensu timor pœnæ cessationem à peccato causare potest, dolorem verò perfectum, nisi aliud jungatur motivum, non potest. Notabit prętereà lector admodum probabiliter colligi ex Cardinalis Toleti verbis, priorem ipsius sententiam fuisse, Attritionem, putatam Contritionem cum Sacramento sufficere; cognitam verò, esse insufficientem: sed posteà Collegarum, qui aliter docebant, autoritate commotum, in eam sententiam, quæ Attritionem cognitam sufficere asserit, propendisse. Præter enim illa, quæ dicta sunt persuadet id quod obiter scribit in fine cap. 5. *Posset tamen tanta esse Contritio, ut etiam totam auferret pœnam, immò ipsa Attritio putata Contritio, prout major vel minor fuerit. ita cum Sacramento majorem gratiæ infusionem atque pœnæ remissionem consequitur.* Ibi quod ex antiquâ sentiendi consuetudine scripserat, emendare non meminit.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Doctrina de Contritionis necessitate ex Catechismo Concilii Tridentini, ex hoc ipso Concilio, cui similia scribit S. Thomas, ex Arausicano II. & Coloniensi an. 1536. confirmatur.

Ut tandem his testimoniis finem imponamus, eandem doctrinam evidenter docet universam Ecclesiam Catechismus ex Concilii Tridentini decreto propter Parochos compositus, & Pii V. jussu editus. Verba paulò fusius referemus. Postquam multis Contritionis naturam, utilitatem, & necessitatem explicuit, tandem confessionis explicationem aggreditur pag. 172. editionis Romanæ an. 1566. *Primum itaque docendum est confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeò necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, Contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas, cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset, quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni Cælestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex fidei catholicæ doctrinâ omnibus credendum, & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, & si ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium, scelera omnia remitti ac condonari; ut meritò à sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in cœlum aperiri.*

Tres sequentes propositiones ex Catechismo Concilii Tridentini evidentissimè colliguntur. Prima non quamlibet Contritionem peccata delere, nec gratiam gratum fa-

cientem producere, sed eam, quæ est vehemens, acris, & incensa. Secunda, eam Contritionem, quæ non est ita vehemens, acris, & incensa, & consequenter, quæ est remissior, tepidior, frigidior, peccata non delere, nisi conjunctam Sacramento. Unde consequitur contritionem, quæ per se & vi suâ justificat, ab eâ, quæ justificat tantùm Sacramento conjuncta, intensionis tantùm gradu differre. Imò hoc propriè ex Catechismi verbis non consequitur, sed Catechismi verba id disertissimè & expressissimè declarant. Ne autem obiicias verba intensionis, & remissionis, magis, minus, & speciei catechismum non usurpare. Nam Catechismus Parochorum omnium captui accommodatus est, quorum longè maxima pars philosophicorum terminorum planè rudis est; Ideo nusquam eos usurpat, sed his datâ operâ repudiatis, communes, vulgatos, & populares semper eligit. Consequitur præterea necessariò & evidenter attritionis, quæ cum Sacramento justificat, objectum formale esse dolorem animo conceptum ob Dei offensam. Nam cum attritio illa, sive contritio imperfecta à perfectâ contritione, sive contritione per se justificante, gradibus doloris tantum differat, eandem esse utriusque causam, & objectum necesse est. Denique consequitur, id quod supra fusè explicatum est, quemdam esse gradum doloris sive amoris Dei, ad quem cum pervenit Pœnitens, perfectam consequutus est contritionem, quæ gratiam semper habet comitem, supra quem tamen contritio illa perfecta crescere potest, sed infra quem, ut maneat perfecta contritio & gratiæ comes, minui non potest. Quam primùm enim infra illum gradum deprimitur, juxta neotericum loquendi modum, attritio est, quæ ut ad superioris gradus virtutem ascendat, Sacramento indiget.

Tertia propositio est, Contritionem illam vehementem, & incensam paucis admodum ex misericordiâ Dei contingere. Itaque eorum qui servantur, longè maxima pars virtute Sacramenti servantur. Concilii Tridentini Catechismo jungi debet ipsum Concilium Tridentinum sess. *6*. c. *6*. cui titulus est ex hoc capite & præcedente, modus præparationis ad justificationem in adultis. Eam referemus integram. *Disponuntur autem ad ipsam justi-*

tiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, Credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Et dum peccatores se esse intelligentes à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata Vides ut universa ista ad gratiam & remissionem peccatorum per baptismum consequendam præparatio spei & amoris Dei plena est. Ex omnium autem Theologorum consensu dispositio ad justificationem per pœnitentiam æqualis saltem esse debet dispositioni ad baptismum. Similia autem prorsus iis, quæ ex Concilio relata sunt tradit Sanctus Thomas 3.parte. quæst.85.toto articulo quinto. *Alio*, inquit, *modo loqui possumus de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur: quorum actuum primum principium est Dei operatio cõvertentis cor &c. Secundus est motus fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur: quartus est motus spei quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia: Sextus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis, emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali sicut ab immediato & proximo principio.*

Concludamus denique totum hunc sermonem autoritate Concilii 2. Arausicani c. 25. *Hoc etiam salubriter confitemur, & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & posteà per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio, ea, quæ sibi sunt placita, implere pos-*

ſimus, Nec non autoritate Concilii Colonienſis anno 1536. tot ſæculis poſt Arauſicanum celebrati. Ità in Enchiridio inſtitutionis chriſtianę iſtius Concilii juſſu edito, & ante editionem approbato plebē chriſtianam docet, quænam baptiſmi & pœnitentiæ Sacramentis legitimè ſuſcipiendis diſpoſitio neceſſaria ſit: *Vera pœnitentia nihil eſt quàm converſio hominis ad Deum, quæ tum fit, ac peragitur, quum peccata, quæ vel in nobis experimur, vel commiſimus, propter Deum ex animo non ſine gravi animi dolore odimus, cum voto ac propoſito deinceps non peccandi, ſed vitam in melius commutandi. Tres autem ſunt hujus pœnitentiæ actiones, ſi divo Auguſtino credimus, in Eccleſiâ uſitatæ: Una eſt, quæ novum hominem parturit, donec per baptiſmum omnium præteritorū ablutio peccatorum fiat, &c. Altera eſt actio pœnitentiæ poſt baptiſmum, quæ fit pro illis peccatis, quæ Legis Catalogus continet &c. Eſt & pœnitentia bonorum & fidelium pœna quotidiana, in quâ pectora tundimus dicentes, dimitte nobis, &c.* Ità Concilium definit pœnitentiam, quam S. Auguſtinus baptizandis & reconciliandis neceſſariam eſſe in epiſtolà ad Seleucium, & ſæpiùs docet. Qua ratione Concilii illius Patres Dei amorem ab eâ pœnitentiâ diſtraxiſſent, quæ à baptizandis & reconciliandis requiritur, qui aliquot poſt verba citata pagellis de timore ſervili, quem tamen paulò antè laudaverant, ſic decernunt. *Neque tamen putandum eſt hunc timorem ſervilem, qui ex metu ſupplicii ducit originem, & horrorem incutit peccatorum, pœnitentiam totam abſolvere. Quin potiùs is ſolus adeo non ſuffecerit, ut & exitialis ſit, quod deſperationem gignat, niſi proficiat ad ſpem veniæ per contemplationem miſericordiæ divinæ, & ſuccedat fides illa ſecundum tertiam credendi rationem, quæ accedens demùm facit, ut timorem ſervilem comitetur timor filio dignus, cui cōmiſſa diſplicent, non jam quod pertrahant in gehennam, ſed quod patrem optimum ac ſic de nobis meritum offendunt &c.* Quæ exemplo timoris caſti, & reverentialis amoris motivo potiſſimum agentis perſequitur. Tertia illa fidei ratio ex eorum mente eſt, quâ in Deum credimus, *quæ*, ut anteà docuerant, *certiſſima quædam fiducia eſt, quâ totos nos Deo ſubmittimus, totique à gratia & miſericordia Dei pendemus.* Pergunt Colonienſes Patres, & enarrato timoris filialis exemplo ſubdunt: *Hæc ergo fides cum*

timore filiali conjuncta veram pœnitentiam à falsa separat, & discrimen facit inter Contritionem impii & veri pœnitentis. Impius enim concepto timore servili ex metu supplicii, atque ibi consistens in desperationem adigitur, quod videre est in Cain, Pharaone Saul, Achab & Juda proditore. Sed quos in hoc dolore constitutos Deus clementer respicit, hi quum ex timore per fiduciam misericordiæ ad timorem filialem gradum fecerint, tum demum ad veram pœnitentiam contristantur, quales fuerunt David, Ninivitæ, &c. Hæc vera est pœnitentia quæ si incensa fuerit & ardens, pœnitentem procul dubio divinæ majestati gratum reddit & acceptum. Si verò justo remissior, Sacramenti susceptione & merito corroborabitur, & fiet salutaris. Nam, ut aiunt, in extremis de Sacramento pœnitentiæ. *In hac interiori pœnitentiâ, si tamen idonea fuerit, justificationem hominis fieri & per fidem à Deo accipi constat.*

J. MORINI

ORATORII DOMINI JESU PRESBYTERI

DE

CONTRITIONE ET ATTRITIONE

EXERCITATIO

HISTORICO-THEOLOGICA:

PARS SECUNDA:

DE MENTE CONCILII TRIDENTINI.

J. MORINI

ORATORII DOMINI JESU PRESBYTERI

DE

CONTRITIONE ET ATTRITIONE

EXERCITATIO

HISTORICO-THEOLOGICA.

PARS SECUNDA.

DE MENTE CONCILII TRIDENTINI.

CAPUT PRIMUM.

De Contritione vel Attritione quænam fuerit mens Concilij Tridentini ex principiis S. Augustini, S. Thomæ & ipsius Aristotelis deducitur, illudque necessariò amorem Dei ad justificationem in Sacramento percipiendam requisivisse: Ac primum ex eo quod cessationem à peccatis & ante-actæ vitæ odium à Pœnitente exigit, quæ sine Amore esse non possunt.

EJUSDEM generis testimonia sunt innumera: nihil est enim quod patres frequentiùs doceant, & instantiùs urgeant. Sed cum pleraque alia ejusmodi sequentibus capitibus & toto opere nobis referenda sint, jam allegatis lectori satisfactum esto. Unum *Vid. lib. de Pœnit.*

Concilii Tridentini testimonium præcedentibus coronidis vice adjiciemus, quo evidentissimè docebitur, quænam sit interior animi dispositio absolutioni cum fructu suscipiendæ necessaria. De totâ hac re ita docet & statuit Concilium Tridentinum. Primùm sess. 14. c. 3 explicata Sacramenti pœnitentiæ forma materiæ explicationem sic aggreditur. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus; Nempe Contritio, Confessio & Satisfactio.* Altera igitur istius Sacramenti pars substantialis sunt hi tres pœnitentis actus, non tamen ex æquo ad substantiam pertinent. Cum enim vice partis materialis fungantur, una potest, conservatâ Sacramenti substantiâ, non tamen integritate, ab aliâ divelli. v. g. Homo constat ex animâ & corpore tanquam ex materiâ & formâ. Corporis pars una, veluti digitus, pes, brachium, à toto corpore separari & abrumpi potest, salvâ tamen subsistente hominis naturâ. Nam mutilatus homo, verè est homo. Hoc ipsum distinxit & explicavit Concilium. Enumeratis enim tribus illis partibus, statim addit. *Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Sunt igitur tres illi actus pœnitentis totidem materiæ istius Sacramenti partes ex institutione Dei requisitæ & necessariæ: Verum non ad substantiam Sacramenti, sed ad ejus integritatem, & ad perfectam peccatorum remissionem obtinendam. Hoc autem adeo constanter docuit Concilium, ut iis, qui contrarium asseruerint, Anathema dixerit. Sic enim ejusd. sess. c. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem; quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit.* Partes autem illæ materiales, sive integrales sunt ejusmodi, ut aliquæ, vel una sit absolutè necessaria, adeo ut, eâ divulsâ, compositum stare non possit, ut homo capite avulso vivere non potest, licet pede truncato, vitam continuet. Ita philosophandum de tribus illis Sacramenti pœnitentiæ materialibus partibus. Una est ita integrans, ut omnino sit substantialis, Cōtritio scilicet, quâ deficiente, nullum esse

potest Sacramentum. Duæ aliæ partes sunt tantum integrantes: Itaque abesse possunt sine subjecti, ut ita loquar, interitu. Est enim apud omnes in confesso hominem aliquando sine Confessione & Satisfactione servari posse, modo utriusque partis absit contemptus. Ita creditum semper est & observatum in Ecclesiâ, ut suo loco demonstratur. Si de Contritione idem affirmaretur, quod de duabus aliis partibus, posset Sacramentum sine ullâ materiâ subsistere, vimque suam exerere, quod hactenus nemo finxit. Est igitur ex mente Concilii Contritio pars Sacramenti istius essentialis, sine quâ non modò mutilatum esset Sacramentum, ut homo pede aut brachio mancus, sed etiam nullum, ut corpus capite truncum non est homo. Quid opus enthymematis hoc ex Concilii verbis deducere, cum id αὐτολεξεὶ doceat. Capite enim 4. ejusd. sessionis, definitâ Contritione, statim subjicit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius*. Itaque Contritio pars est Sacramenti pœnitentiæ ita integrans, ut etiam sit substantialis, sine quâ, ut homo sine capite, subsistere non possit.

Cum autem toto capit 4. ejusd. sessionis Concilium describat vim naturamque Contritionis illius verba nobis huc sunt referenda & diligenter consideranda. Sunt enim ejusmodi ut quæcumque hactenus ex Patribus hac in causâ retulimus, manifestè confirment. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore semper ad impetrandam veniam peccatorũ hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sanctâ Synodus hanc Contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et certè qui illos sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos*

in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodam ante-actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.

Multa in his verbis perpendenda sunt. Primum est, hunc Contritionis motum verbis tam efficacibus descriptum, quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam fuisse necessarium. Quibus verbis disertè confirmatur id quod initio capitis dictum est, Contritionem ita esse Sacramenti partem integrantem, ut etiam substantialis sit, & sine eâ Sacramentum subsistere non possit. Semper enim, ut docet Concilium, vera Contritio ad peccatorum remissionem obtinendam necessaria fuit.

Eandem contritionis necessitatem, ad cujusvis pœnitentis justificationem nos quoque evidenter docet idem Concilium sess. 6. c. 14. cum baptizandis esse necessariam scribit. *Docendum est*, inquit Concilium, *Christiani hominis pænitentiam post lapsum multò aliam esse a baptismali; eâque contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem.* Quibus verbis eandem Contritionem baptismo necessariam constituit, quæ pœnitentiæ: in eo solo discrimen constituit, quod posterior insuper requirit saltem in voto Confessionem, absolutionem Sacerdotalem & satisfactionem, quæ prior nusquam exigit, de quo discrimine multis infra disseremus.

Secundum membra septem complectitur, quibus universa Contritionis Christianæ natura visque perfectè describitur. 1°. Dolorem de peccato commisso. 2°. Odium ac detestationem peccati. 3°. Cessationem à peccato, & propositum non peccandi. 4°. Veteris vitæ odium. 5°. Propositum & inchoationem novæ vitæ. 6°. Fiduciam divinæ misericordiæ. 7°. Propositum præstandi reliqua, hoc est, confitendi & pro peccatis ex Ecclesiæ præscripto satisfaciendi. Hæc omnia ex Concilii Tridentini Decreto complectitur prima pars materiæ Sacramenti pœnitentiæ, quam usitato multis sæculis nomine vocat Contritionem. Nihil ab antiquissimis & rigidissimis Patribus ad conversionem animi & compunctionem interiorem exprimendam postulatum est efficacius, aut imperatum evidentius. Antiquorum vestigiis

adeo insistunt & pressè adhærent.

Tertium Patres Tridentini tam accuratâ descriptione non contenti docent hæc non remissa, non languida esse debere; sed intensa, sed vivida, sed vehementia. Id autem colligunt ex Sanctorum exemplis quorum verba ex Scripturis mutuantur Patres. Ea repetemus, cum à pœnitentibus satis disci non possint: *En certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione, manasse.* Ejus ardoris & vehementiæ docet Concilium esse debere Contritionem illam, quæ nos reconciliationi Sacramentali dignè disponit. His enim testimoniis non modo explicat, sed etiam probat, qualis esse debeat illa Contritio. Paulò enim ante sic mentem suam expresserat Concilium: *Declarat igitur Sancta Synodus hanc Contritionem non solùm cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Manifestum est ex illis testimoniis & loquendi modo juxta illud, probari & confirmari quod de Contritione assumptum ante fuerat: hanc autem probationem testimoniis paulò ante relatis continuat. Qui igitur necessariam absolutioni in Sacramento pœnitentiæ recipiendæ præparationem sibi comparare desiderat, Contritionem sic à Concilio descriptam habere studeat necesse est. Docet denique Concilium, statim post verba citata, Contritionem illam ità vehementem esse posse, ut pœnitentem ante Sacramenti susceptionem Deo reconciliet. Deus enim Sacramentorum virtute infirmitatem nostram adjuvat, & nobis gratiam confert, sed iis non est adstrictus: ideo nonnunquam, licet raró, eandem sine Sacramento gratiam nobis largitur. Sic igitur Concilium: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc* (quam scilicet omnibus illius capitis antecedentibus verbis descripserat) *aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu*

suscipiatur, &c. Fieri igitur potest ut Contritio adeò charitate perficiatur, ut pœnitentem ante Confessionem & absolutionem Sacramentalem Deo reconciliet, proindeque ante satisfactionem. Notat tamen Concilium eo casu, quo Contritio justificat ante Sacramentum, justificationem illam & reconciliationem Contritioni non esse tribuendam sine voto Sacramenti, ut expresse adnotant verba, quæ jam citata sequuntur. *Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Undè necessario sequitur etiam eo casu pœnitentem datâ occasione, ad Confessionem teneri. Corollarium istud expressius legitur c. 7. sessionis 13. *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse* (ad Eucharistiæ susceptionem,) *ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi Contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiâ accedere debeat.* Ideo jubet Concilium, ut Sacerdos, qui conscius peccati mortalis, sed contritus celebraverit, quam primùm confiteatur.

Quomodo autem illa Contritio à Concilio descripta cessationem à peccato odiumque ejus & detestationem continere potest, & dilectionem justitiæ non amplecti? Vehementer flere propter peccata ex illo odio, & amore in virtutes peccato contrarias non ferri? Injustitiam abominari, & justitiam non amare? *Non enim*, inquit Sanctus Augustinus l. 6. de Musicâ c. 16. *Amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliquâ suavitate æternarum.* Odio igitur in terrenas ferri non potest, nisi æternarum suavitate delibutus, & oblectatus. Ideò utrumque ad veræ pœnitentiæ productionem conjungit initio sermonis 7. de tempore. Adversus eos agit, qui confitentur peccata, & dicunt se pænitere. *Et tamen adhuc eos delectat peccare.* Quale est de hujusmodi hominibus S. Augustini judicium? *Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur.* Quamobrem verò non emendatur, nec sanatur anima sic confitentium & pœnitentium? *quia*, inquit, *pænitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Utrumque igitur conjungendum. Quod si fieri posset ut odium peccati ab amore Dei separaretur; odium illud peccati certam pœniten-

tiam non faceret. Sequens Sancti Augustini Enthymema non est prætereundum. Statim subdit. *Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vitâ, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde; jam tunc benè ingemiscis ad Deum, &c.* In axiomate ἀξιώσεως præcedente ad veram pœnitentiam duo conjunxit, odium peccati & amorem Dei. Hîc verò alterum tantùm assumit, odium & amaritudinem peccati, ex quo tamen integrum effectum colligit: *Jam tunc benè ingemiscis ad Deum.* Argumentum sane evidens horum duorum alterum sine altero esse non posse. Hæc sanè sunt ἀχατάλυτα ϗ ἀνεμμένητα. Qui odio prosequitur objectum aliquod, eâdem ratione sive eodem motivo diligat contrarium necesse est. Qui se à malo avertit, eo ipso ad bonum se convertit. *Rationalis creatura*, inquit Sanctus Augustinus Epist. 120. c. 23. *Sive in Angelico spiritu, sive in animâ humanâ ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata fiat, esse non possit, sed mutabilitas ejus, si convertatur ad incommutabile bonum, fiat beata; unde si avertatur, misera est; Aversio ejus vitium ejus, & conversio ejus virtus ejus.*

Hanc argumentationem à conversione in objectum ad aversionem ab ejus opposito sæpiùs leges apud eundem usurpatam: lib. 2. de libero arbitrio c. 19. & lib. 3. c. 1. Sermone 7. de tempore hanc sibi interrogationem inducit. *Si interrogas me, quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? & ego respondeo tibi.* Consideret Lector responsi syllogismum. *Quomodo: moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, avertendo à malo, & convertendo ad bonum, damnando vitium, amando Deum, &c.* Eo ipso quod ab uno desistit, alteri insistit: quod ab uno avertitur, ad alterum convertitur. Hinc est quod Sanctus Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas c. 15. versus finem, ex eo quod quis abstinet à peccatis, & justitiam præfert injustitiæ, colligit id ex charitate & dilectione justitiæ facere. Triplicem hominis vitam distinguit, primam, *Ante legem, cum nullâ nequitiâ & maliciâ prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit*: secundam autem sub lege, *quando prohibetur quidem & conatur à peccato abstinere se, sed vincitur, quia nondum justitiam propter Deum & propter ipsam justitiam diligit,*

sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire, &c. Tertiam autem sub gratiâ, quæ sic ab eo describitur. *Quando nihil temporalis commodi justitiæ praponitur, quod nisi charitate spiritali, quam Dominus exemplo suo docuit & gratia donavit, fieri non potest. In hac enim vitâ etiamsi existant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consensionem peccati non subjugant.* Ex quibus verbis manifestum est ex Sancti Augustini sententiâ abstinere à peccatis neminem posse, nisi charitate donatum, cum differentiam statûs hominis sub lege & sub gratiâ hanc esse definiat, quod sub gratiâ à peccato abstineat homo, sub lege verò, eo quod ex sese justitiæ & charitatis expers sit, abstinere non possit. Ex eo igitur quod quis à peccato abstinet, dilectionis Dei gratiâ donatus est, sine quâ prorsus abstinere non posset.

Deinde eodem libro paulò post verba citata sic ratiocinatur idem sanctus: *Regnant ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est, ut v. g. occurrit forma speciosa fœmina, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera species castitatis, per gratiam, quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur.* Atqui ex Concilii Tridentini definitione ab illâ Contritione animus tenetur, ne in consensionem peccati ruat. Regnant igitur in illius animo ista bona, hoc est, charitatis fructus: Peccatum odimus & vitam novam inchoamus. Ergo per gratiam Christi vivit & ista operatur, cum virtutis formam amplectatur, & vitii deformitatem abominetur. Dixerat insuper Sanctus Augustinus verbis immediatè præcedentibus. *Regnant spiritales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant.* Sed in eo, qui ita odit peccatum, ut ab eo cesset, certum est peccatum non regnare. Ergo in eo qui peccatum sic odit, ut ab eo cesset, qualis est ille, qui Contritionem imperfectam seu Attritionem habet à Concilio definitam, regnant fructus spiritus, charitas, gaudium, pax, &c. Si quis fingeret verba Augustini proposito suo demonstrando idonea, clariora fingere non posset.

Istius veritatis origo paulò altiùs repetenda. Docet nos Sanctus Augustinus cum Philosophis omnes virtutes, omnia

nia vitia, omnes prorsùs animi passiones ab amore oriri, nihil aliud esse quàm varios animi motus in objecta proposita, quæ pro variâ voluntatis amantis conversione aut aversione, varia sortiuntur nomina. Ita ille c. 15. lib. de moribus Ecclesiæ: *Quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, &c. Sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur: justitia amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans: prudentia amor ex quibus adjuvatur, ab iis, quibus impeditur sagaciter seligens, &c.* Quapropter nulla virtus sine amore & dilectione virtutis exerceri potest, nullũ vitium sine vitii cupiditate committi. Amore ferimur quocumque ferimur, ut alibi scribit Sanctus Augustinus. Si quis autem amore in objectum fertur, in ipsius oppositum odio feratur necesse est. Si odio in vitium fertur, amore in virtutem necessario feretur. Adeo autem hoc verum est, ut statim ante verba allegata pronuntiaverit Sanctus Augustinus, nihil aliud esse virtutem, quam amorem Dei & Epist. 29. ad S. Hieronymum, c. 4. *ut generaliter breviterque cõplectar quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, virtus est charitas, quâ id, quod diligendum est, diligitur.* Et Epist. 52. c. 4. *In hac vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est.* Vitium igitur est amor rei, quæ non est Deus, & rei non diligendæ dilectio. Idem generalius de quibus libet animi passionibus dici debet. Iterùm nos docet Sanctus Augustinus lib. 14. de civitate Dei c. 7. & 9. *Recta voluntas est bonus amor; & voluntas perversa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia! fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.* Quid est igitur odium? actus amoris quo timet, & consequenter refugit, & odit id quod illi adversatur, & persequitur ipsius oppositum. Quid adversatur peccato & vitæ impiæ? Justitia & vita sancta. Cum igitur odium veteris vitæ sive impiæ quis concipit, & peccatum odio prosequi incipit, eodem amoris actu vel altero necessariò priorem consequente, virtu-

injustitiæ adversantem necessario amat, & novam vitam amplectitur.

Sic Aristoteles philosophandum docet c. 4. l. 3. Rhetor postquam enim de amore fusè disseruit, brevissimè, quæ ad odium spectant, expedit, contentus ferè hæc adnotasse: φανερὸν ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ θεωρεῖν. *Manifestum est oportere ex contrariis de hoc philosophari* contraria scilicet esse odio tribuenda iis, quæ de amore docuerat. Immò, si secundum rerum ordinem loqui velimus, prior est in animo pœnitentis justitiæ amor, & novæ vitæ dilectio, quam peccati detestatio, & veteris vitæ odium. Nam secundum Augustinum & rei veritatem peccatum timet & refugit animus, quia justitiam ipsi contrariam amat. Oritur enim odium ex amore, non amor ex odio, cognoscitur quoque odium ex amore, ut malum ex comparatione boni, & obliquum ex normâ recti, ideò sicut bonum naturâ prius est malo, rectum obliquo, sic amor odio. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 29. art. 2. probat amorem odii causam esse cujus præcipua ratio est, quod amor consistit in quâdam convenientiâ amantis ad amatum; odium vero in repugnantiâ. *Oportet autem*, inquit, *in quolibet prius considerare quod ei conveniat, quàm quid ei repugnet. Per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum, vel impeditivum ejus quod est conveniens. Unde necesse est, quod amor sit prior odio, & quod nihil odio habeatur nisi hoc quod contrariatur convenienti quod amatur, & secundum hoc omne odium causatur ex amore.* Prior igitur est in quæstione propositâ justitiæ & vitæ sanctæ amor, quam iniquitatis detestatio, & veteris vitæ odium; imo, ut jam diximus, amor justitiæ & vitæ secundum Deum agendæ causa est odii veteris vitæ. Ideo ferimur odio in peccata, quia priùs amore in vitam sanctam & Dei formam commoti sumus. *Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit*, ut scribit S. Augustinus Epist. 144. amor est enim odii nostri modus & mensura: Tantum odimus aliquid, quantum ipsius contrarium amamus.

Hoc naturali principio fretus idem sanctus sic plebem suam hortatur tract. 43. in Joannem n. 7. *Fratres mei credite & conjicite ex eo quod amatis. Amat aliquis vestrûm pecuniam. Putas invenio aliquem qui non amet? Ex hoc tamen ipso quod* tem & justitiam peccato &

amat, intelligat quod dico, timet damnum. Quare timet damnum. quia pecuniam diligit. Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Medea quoque apud Senecam ardens odio in Jasonem, act. 3. sic apud se colloquens inducitur: *Si quæras odio misera quem statuas modum, imitare amorem.* Concipi non potest, ut jubet Concilium, vehemens anteactæ vitæ odium, & ingens peccatorum detestatio, non concepto prius vehementi justitiæ amore, ex quo animus excitetur, & incalescat in vehementem peccati detestationem. Examinet quisque seipsum, affectiones animi sui replicet, & denudet, non modò nihil se vero odio & non simulato prosequi deprehendet, nisi id in cujus contrarium vero amore fertur; verum etiam ipsius animum aliter odio affici & commoveri non posse.

Peccatum ideo peccatum est, quia contrarium veræ charitati & dilectioni Dei super omnia. Donec igitur in animo sit motus illi contrarius, nondum est plena conversio, nondum vera remissio, quia nondum recessum est animo à peccato. Id quod ita apertius fiet. Cum enim actus omnis voluntatis ex amore procedat, sicut odium & nolitio, sive detestatio mali, quæ non nisi ex amore boni oppositi sunt, meritò inquiritur ex cujus boni amore odium hoc peccati, Contritio sive pœnitentia progrediatur. Nam hoc necesse est omnino ita esse. Si igitur ab alio quàm Dei amore procedit, non ducit ad Deum, sed ad illud bonum ex cujus amore procedit. Si ex amore quidem Dei, sed non vero & perfecto, nec prefectè & verè Deo conjungit. Si verò ex perfecto, necesse est perfectè nos Deo conjungere. Ps. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, &c. Cor autem eorum non erat rectum cum eo.*

Omnis potentia appetitiva inclinat ac tendit semper primò & per se in aliquod bonum propter se amabile, verum vel apparens, ipsum amando, & consequenter inclinatur ad fugam omnis mali contrarii; & ad prosecutionem eorum, quæ ad consecutionem aut conservationem illius boni necessaria sunt. Hinc omne malum accidens rei à nobis amatæ nos aliquâ ratione contristat. Malum autem accidens ei, quam nullo modo amamus, nequidem eo amore

quo generatim ex naturali affectu solemus omnes homines, imò ferè omnia animalia præsertim innoxia, atque adeo omnes res excellentes amare, tale, inquam, malum nullâ nos afficit molestiâ, ut experientia quotidiè nos docet.

Et simili modo, omnis habitus primò & per se inclinat in amorem boni propter se amabilis, & consequenter in fugam mali contrarii, & prosecutionem mediorum, quæ ad illius consecutionem necessaria sunt.

Hinc sequitur unum eumdemque habitum inclinare ad diversos actus etiam speciè distinctos, eosque non solum imperare, sed etiam elicere. v. g. habitum intentionis finis elicere electionem mediorum, & odium mali contrarii. Ratio est, quia, cum, ut dixi, habitus in omni ejusmodi inclinatione primò & immediate tendat in bonitatem finis, & hac mediante, in alia objecta, semper accipit suam speciem à bonitate finis, quem primò respicit, tanquam ab objecto formali. Contra verò actus primò & per se tendit etiam in alia objecta, v. c. electio in utilitatem, quam medium habet ad consecutionem finis, & odium in malitiam bono amato contrariam, & consequenter ab his etiam specificantur, &c.

Habitus virtutis pœnitentiæ, primò & per se tanquam in proprium & immediatum objectum inclinat in bonum, cui peccatum contrariatur: Secundò verò in odium ac detestationem peccati, idque generatim, sive sit absens sive præsens, sive actuale sive habituale, & in quocumque subjecto sit. Koning. disp. 1. de pœnit. ut est virtus, dub. 3. n. 16. 18.

CAPUT SECUNDUM.

Idem colligitur ex eo quod Concilium veram in Deum fiduciam requirit, quæ sine dilectione Dei haberi non potest.

IDEM præterea colligitur ex eo quod Concilium docet, Contritionem illam habere sibi conjunctam divinæ

misericordiæ fiduciam: fiducia enim illa sine dilectione Dei consistere non potest. Tantisper apud se consideret lector, quid sit misericordia, & qui sint ipsius effectus. Id nos breviter docet Sanctus Thomas 1. q. 21. art. 3. Misericors aliquis dicitur, *quia scilicet afficitur ex miseriâ alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria. Et ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut miseriam propriam.* Hinc est quod misericordiæ erga aliquem exercitium maximus sit amoris affectus. Est enim è miseriâ liberatio: *Misericordia Dei est bonitas opitulandi*, inquit Augustinus lib. 1. contra adversarium legis & Prophetarum. Undè Joannis 3. dicit Christus, *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat.* Summum Patris sui amorem commendat ex infinitâ illâ misericordiâ, quâ ita in genus humanum affectus est, ut filium suum morti propter illius redemptionem tradiderit, quare appositè S. Thomas 2. 2. q. 30. art. 2. respons. ad 7. dixit, *Deus non miseretur nisi propter amorem, in quantum amat nos, tanquam aliquid sui.* Quomodo igitur potest quis in Dei misericordiâ fiduciam habere, & Deum non amare, hoc est, credere Deum miseriâ tuâ affici, miseriam tuam depellere, te summè amare, in misericordiâ ipsius fiduciam te habere, ab eo peccatorum, quæ vehementer odisti, veniam te sperare, & te tamen Deum, tam bonum, tam beneficum non diligere? ἀσύστατα planè hæc sunt. Spes vera sine motu dilectionis erga eum, à quo beneficia speras, esse non potest, præsertim si fiduciæ, ut vult Concilium, sit conjuncta. *Ego si habeo spem*, inquit Sanctus Augustinus sermone 29. de verbis Domini c. 6. *Si teneo spem, ovum meum non est à scorpione percussum, benedicam Dominum in omni tempore semper laus ejus in ore meo, felix sit mundus, evertatur mundus, benedicam Dominum qui fecit mundum.* Spes nihil aliud est, quàm motus amoris in bonum arduum, & comparatu difficile. Spes igitur virtus Theologica est motus amoris sive Charitatis in Deum, ut eo tandem, velut summo bono suo fruatur. Spes ergo, si sit vera & firma, ut ea est, cui accessit fiducia, verâ charitate in Deum fertur, & aliter si concipitur, non spei notio, sed μορμὼ fingitur. Hinc Sanctus Augu-

ſtinus Enchiridii c. 8. abſolutè pronuntiat ſpem ſine amore eſſe non poſſe : *Jam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore eſſe non poteſt.* Et paulò poſt, *proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque utrumque ſine fide.* Et in pſal. 114. v. 2. *Quia credidiſti, ſperaſti; quia ſperaſti, jam dilexiſti.* Cauſa eſt ſpei inchoatus amor, nec quis non amans ſperare poteſt. Fieri tamen poteſt, ut vel ignorantiâ, vel concupiſcentiâ dilectionem Dei vincente, perverſus & inordinatus Dei amor cum ſpe conjungatur, ut nos docet Sanctus Auguſtinus. c. 117. Enchiridii. *Quamvis enim ſperare ſine amore non poſſit fieri, tamen poteſt, ut non id amet ſine quo ad id quod ſperat, non poteſt pervenire : tanquam ſi ſperet vitam æternam, quamvis non habeat, & non amet juſtitiam, ſine quâ ad illam nemo pervenit.* Sed ab hypotheſi in Concilio enarratâ abeſt illud periculum : fides enim vera, quæ ignorantiam illam pellit ſpei ſupponitur. Deinde odium injuſtitiæ, quod ſine amore juſtitiæ concipi non poteſt, vel ſpem præcedit, vel neceſſariò ex Concilii ſententiâ comitatur. Itaque illud ipſum Dei auxilium, quo homo peccatum deteſtatur, conſtanter ſibi proponit non amplius peccare, ſpem & fiduciam habet in Dei miſericordiâ, eodem quoque Deum diligit, rebuſque creatis præponit. Hoc egregiè confirmat Sanctus Eligius homil 11. ubi nos docet duo eſſe compunctionis genera, timorem & amorem; priore extincto naſci ſpem, & fiduciam veniæ, quam ſimul & neceſſariò amor Dei comitatur : *Priùs*, inquit, *ſe ſe in lachrymis afficit, quia dum peccatorum ſuorum recordatur, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit : at dum longâ mortis anxietate fuerit formido conſumpta : quædam jam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amorem cæleſtium gaudiorum animus inflammatur, &c.* Vides ſtatim ex veniæ fiduciâ in Dei amorem animum inflammari.

Verùm quid opus id ex neceſſariâ conſequentiâ obtinere, cum alibi diſertiſſimis verbis Concilium ſe ſe explicet ſeſſ. 6. c. 6! præparationem explicat adultis baptiſmo ſuſcipiendo neceſſariam. Nemo autem dubitat præparationem Sacramento Pœnitentiæ rectè ſuſcipiendo neceſſariam præparationi baptiſmali eſſe ſaltem æqualem : *Diſponuntur*, inquiunt Patres, *ad ipſam ju-*

stitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum fore propitium, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pænitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Vides quæ requirat Concilium ad justificationem, quæ fit per baptismum, in quibus tria, quæ ad propositum maximè faciunt, velim consideres. Primum præparationem illam complecti dilectionem Dei tanquam omnis justitiæ fontis. Secundum ex eâ dilectione procedere quod homo peccata prosequatur odio, atque ideò odii & detestationis peccati, quæ in Contritionis definitione à Concilio ponuntur, causam esse Dei dilectionem, non qualemcumque, sed Dei ut omnis justitiæ fontis. Tertium illam Dei dilectionem ex spe & fiduciâ divinæ misericordiæ oriri.

Ejusdem sessionis cap. 14. explicat præparationem ad secundam justificationem, sive post baptismum lapsorum necessariam, eamque cum pœnitentiâ baptismali comparat: *Unde docendum est Christiani hominis pænitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eâque contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem itemque satisfactionem per jejunia, &c.* Decreti duæ sunt partes, in priori refert quæ sunt utrique pœnitentiæ communia, cessationem scilicet à peccatis, eorum detestationem, & cor contritum & humiliatum. Hæc sunt & baptismo suscipiendo & confessioni faciendæ necessaria. Itaque utrique & baptismo & absolutioni necessaria est vera cordis Contritio, quæ sine Dei dilectione nusquam adest. In posteriori decreti parte ea referuntur.

quæ sunt Sacramento pœnitentiæ specialia ; Paulò post eandem pœnitentiam ex verbis scripturæ describit, docetque à Sancto Paulo tristitiam dici secundum Deum, quod idem est cum eo, quod vulgò fertur, dolor propter Deum offensum. Præterea sess. 14. c. 1. Pœnitentiā omni tempore post peccatum mortale necessariam ad justificationem. *Illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent.* Scribit hanc esse, *ut perversitate abjectâ, & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pro animi dolore detestarentur.* Ergo peccatorum rei ut per baptismi & pœnitentiæ Sacramenta justificentur præter peccati odium, & pium animi dolorem Dei offensionem detestari debent. Quanquam patres Dei offensionem non addidissent, cætera verba, quibus mentem suam expresserunt, id satis significant. Quomodo enim potest quis peccatum odisse, & cum pio animi dolore detestari, nisi hoc Dei offensi causâ faciat.

Ne quis autem verborum homonymiâ fallatur, dicimus hoc duplici sensu intelligi posse, & utroque ἀναλόγως sibi respondente. Vel enim naturali rationis motu peccatum aversamur, vel supernaturali: Si naturali, justitiā quoque naturæ viribus diligimus & amplectimur. Naturæ enim inclinatione liberales avaritiam & avaros oderunt, avari vicissim liberales & liberalitatem, sic de cæteris vitiis, & virtutibus, nec aliter fieri potest: Si supernaturali motu, hoc est, auxilio gratiæ peccatum detestamur, quod in omni Cōtritione planè necessarium est; Auxilio quoque gratiæ, sive spiritûs justitiā & virtutem diligimus. Imò gratiæ auxilium Dei & justitiæ amorem priùs in nobis excitat, quàm peccati detestationem. Quæcumque autem diximus de dilectione justitiæ, & odio peccati intelleximus, quatenus istæ animi affectiones in animis nostris, movente & auxiliante Spiritu Sancto excitantur.

Ex doctrinâ Concilii enarratâ manifestum fit, licet verba tantùm attendantur, Tridentinos Patres non modò eadem quæ, antiqui Patres, de interiori animi dispositione ad peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam docuisse, verùm etiam eorum verba præcipua collegisse, & velut compendio nobis tradidisse.

CAPUT. III.

CAPUT TERTIUM.

Proponitur difficultas orta ex Patrum exhortationibus, ipsaque experientia, nec-non ex ipso Concilio Tridentino; quæ docere videntur ex Gehennæ metu Contritionem saltem imperfectam concipi, qua homo justificationi idoneus reddatur. De timore duplici, filiorum altero, altero servorum; ac primum de illo.

DIFFICULTAS, quæ multorum mentes subire potest, non est hic prætereunda. Multis demonstratum est detestationem peccati cum proposito non peccandi in animo esse non posse dilectione Dei & justitiæ amore non prius affecto & imbuto. Sed generalis illa positio falsa videtur, & experientiæ contraria. Tantùm enim peccati odium nonnunquam concipi videtur ex solo timore pœnæ, vel æternæ, vel temporariæ, vel utriusque, Dei amore in mente prætermisso, ut ex eo peccati abstinentia & cessatio consequantur. Deinde Scriptura & Patres iis exhortationibus passim scatent, quæ gehennæ pœnas peccatoribus proponant, ut earum formidine concussi, scelerum pœniteant. Exhortationes ejusmodi sunt innumeræ & unicuique legenti obviæ; quapropter aliquas huc referre supervacaneum. Frustra certè non sunt Prophetæ, Patresque, cum plebem sic terrent, sed eam à peccato deterrent. Nascitur igitur ex formidine pœnæ, & odium peccati, & ab eo cessatio. Deinde quid clariùs verbis & definitione Concilii Tridentini sess. 14. c. 4. ubi de Contritione imperfectâ, quam Attritionem vocat, verba facit. Docet eam ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipi. Tradit præterea hominem disponere ad gratiam Dei in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Quæ omnia præsertim simul juncta videntur omnino, quæ capite præcedente dicta sunt, evertere.

Ut caligo his rationibus

quæ faciunt duo genera servorum. Est timor, quem perfecta charitas foras mittit, & est alius timor castus permanens in sæculum sæculi. Illum timorem, qui non est in charitate attendebat Apostolus, &c. Refert Apostoli verba Roman. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, quæ multis enarrat. Eadem Apostoli verba citat & enarrat lib. de spiritu & littera c. 32. Deinde subdit: *Timor ergo ille servilis est, & ideo quamvis in illo Domino credatur, non tamen justitia diligitur, sed damnatio timetur. Filij verò clamant Abba pater, &c. huc ergo transeant qui sub lege sunt, ut ex servis filii fiant: nec sic tamen, ut servi esse desistant, sed ut tanquam filii Domino & Patri liberaliter serviant.* De timore illo casto, filiali, amicabili, & reverentiali nullus est nobis sermo, sed de servili solo pœnarum timore incusso, quo Deum homines timent, nondum amant.

Posterior distinctio est personarum in quibus versatur timor ille servilis: vel enim sunt servi, vel filii. Quanquam enim sit & dicatur servilis, atque à charitate expellatur, in filiis tamen esse non desinit, sed imperfectus, quia tantò minuitur, quantò charitas augetur, ut summè calidum frigoris est expers, sic timoris istius perfecta charitas; ut calidum frigoris admissione remittitur, sic charitas timoris contagio. De hoc timore servili, ut inest filiis & gratiâ donatis sæpissimè loquuntur Patres, ejus objectu & propositione filiorum desidiam, incuriam & in virtutum profectu tarditatem velut aculeatissimo calcari extimulant. Effectus quoque ejus miris laudibus efferunt, ut S. Basilius homiliâ in principium Proverbiorum: a *Quamobrem initium sapientiæ timor Domini, dicitur, anima verò purgatio timor Domini secundum Prophetæ preces dicentis: confige timore tuo carnes meas: quia scit ubi timor inhabitat, quod ibi omnis animæ resideat munditiés; omnis iniqua noxiaque actio fugetur, membris corporis ad enormes actus moveri* (quod timore quasi quibusdam clavis confixa sunt)

a Διὰ τοῦτο, ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου. Φόβος δὲ, καθάρσιον ψυχῆς κατὰ τὴν εὐχὴν τοῦ προφήτου λέγοντος καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου. ὡς ὅπου φόβος ἐνοικεῖ, ἐκεῖ ψυχῆς ἅπασα καθαρότης ἐνίδρυται, πάσης πονηρίας καὶ ἀτόπου πράξεως ὑποφευγούσης, τῶν τοῦ σώματος μελῶν κινηθῆναι πρὸς ἀτόπους ἐνεργείας διὰ τὸ τῷ φόβῳ καθηλῶσθαι, μὴ δυναμένων.

nequeuntibus. Clavorum similitudinem persequitur, quibus ait similes esse minarum & suppliciorum mœstitiam & expectationem. Similia docet & colligit ex eodem Psalmi loco homilia in psal. 33. Eodem sensu Cassianus lib. 4. de institut. renunt. c. 39. *Principium nostræ salutis, ejusdemque custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim & initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur, ad viam perfectionis acquiritur. Qui cum penetraverit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, oblivionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem.* Sanctus Chrysostomus homilia 15. ad populum Antiochenum istius timoris utilissimos effectus in sanctorum cordibus eloquenter describit: *Quid gehennâ gravius? sed hujus metu nihil utilius, gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Ubi timor est, livor non est: ubi timor est pecuniarum amor non vexat: ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata, &c. metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis subrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur timoris imperio undique exactæ, &c. Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura, &c. Ne igitur doleamus dilecti, neque animum despondeamus ob præsentem tribulationem, &c.* Non dissimilia habet idem sanctus in fine libri primi de compunctione cordis. Eodem argumento populum suum exhortatur Cæsarius Arelatensis ad peccatorum fugam hom. 29. *Ergo suppliciorum acerbitatem è contrario de præmiorum magnitudine colligamus: quia qui novit remunerare merita, novit punire delicta. Saluberrima ergò ac multum necessaria est futuri judicii recordatio, & præteritorum commemoratio, vel deploratio delictorum. Quod si quis est, qui sibi de præteritis illæsæ vitæ meritis blandiatur, &c. Et ideo credit se esse securum, iste talis respiciat, quam incerti & quam lubrici sunt exitus vitæ, &c.* Sanctos Martyres eo timore animatos & corroboratos scribit sanctus Ambrosius sermone 21. in ps. 118. tormentorum incendia, & tyrannorum crudelitatem superasse, atque idem ut sibi contingat, Deum precatur. Eloquenter enim descripta Martyris inter utraque supplicia æterna & transeuntia agitatione, & animi trepidatione, vincente tamen æterni supplicii formi-

dine, sic vovet: *Utinam ego talis esse merear, ut si forte persecutor ingruerit, non considerem suppliciorum meorum acerbitates, non metiar tormenta, non pœnas, non cogitem ullius atrocitatem doloris: sed hæc omnia levia ducam, trepidem autem Christum, ne Christus me neget, ne Christus excludat, &c. Videat magis, licet permotum corporalium terrore pœnarum, plus tamen trepidantem futura judicia.* Hunc finem sibi quoque proposuisse, cum in desertum secessit, scribit sanctus Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium c. 3. post descriptas graves corporis austeritates, quibus se se sponte subjecerat, addit: *De cibo vero & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaveram scorpionum tantum socius & ferarum, &c.* Homo igitur charitate jam delibutus, agens insuper timore gehennæ, ex illo timore peccati odium longè majus concipit. Cum enim jam Deum amet, agaturque præterea formidine pœnæ, quæ peccato debetur, peccati immundities fœdior illi apparet, ex cujus odio & horrore Dei amor in cordibus nostris exardescit, non secus ac fornax injectione aquæ magis inflammatur. Ideo Christianis omnibus quantumvis justis, judicium futurum ignisque æternus utilissimè ob oculos proponuntur. Sed de timore servili, quatenus inest justis, nulla nobis quæstio. In eo tota difficultas vertitur, qui in peccatoribus deprehenditur.

CAPUT QUARTUM.

De timore servili. Hunc magnopere utilem, ut charitati prævium, prædicant Augustinus, Tertullianus, Pacianus, Ambrosius.

SECUNDO observandum est timorem hunc servilem; ut inest peccatoribus dilectione Dei nondum donatis, bonum esse & valde utilem, magnoque cum fructu à prædicatoribus Evangelii proponi, ut terrore commoti peccatores ad misericordiam Dei confugiant. Hoc docet

sanctus Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli c. 8. *Inspice interrogationem meam sonantem, & fac de te ipso interogationem silentem. Dico ergo tibi libidine victus cum habes consentientem, quare non committis adulterium? & respondebis quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis aeterni, timeo judicium Christi, timeo societatem Diaboli, ne puniar ab illo, & cum illo ardeam. Et quid dicturus sum? Malè times, vanè times? Non audeo quando quidem ipse Dominus, ablato timore, subjecit timorem, & ait, ubi dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam ignis, ita dico vobis hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem ingeminaverit, dicturus ego sum, malè times ista? non dicam. Planè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.* Praeclarè & appositè idem sanctus ad finem serm. 13. de verbis Apostoli c. 13. *Qui adhuc ideò benè agit, quia poenam timet, Deum non amat, nondum est inter filios, utinam tamen vel poenam timeat. Timor servus est, charitas libera est: & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat Diabolus cor tuum, praecedat servus in corde tuo, & servet Dominae venturae locum, fac, fac, vel timore poenae, si nondum potes amore justitiae. Veniat domina, & servus abscedet, quia consummata charitas foras mittit timorem.* Ad eundem timorem in animo suo suscitandum exhortatur Augustinus eos, qui justitiam nondum amant, ad finem tract. 41. in Joannem n. 10. & tract. 3. in 1. Epistolam Joannis, & utrosque initio sermonis 214. c. 1. de tempore. *Discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus, &c. Si habere non vis timorem, priùs vide utrum jam perfectam habeas charitatem, quae foras mittit timorem; si verò ante istam perfectionem timor excluditur, superbia inflat.* Jure igitur in psal. 127. n. 8. timorem istum vocat bonum & utilem, & c. 5. de Catechizandis rudibus, saluberrimum. Ideo ad eum in peccatorum animis commovendum non modò sanctus Augustinus, sed & alii Patres criminum reos exhortantur. Tertullian. c. 12. libri de poenit. *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, & poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Quid illum thesaurum ignis aeterni*

æstimamus, cum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, &c. Hæc multis sanctus Pacianus, ut peccatores ad Pœnitentiam agendam commoveat in fine paranesis ad Pœnitentiam. *Mementote, fratres, quia apud inferos exomologesis non est, nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi: festinate dum in vitâ estis, dum cum adversario iter facitis. Sæculares ecce ignes timemus, & carnificum ungulas expavescimus. Comparate cum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla ætate morientium.* Paulò ante verba Tertulliani, quæ retulimus, exscripserat. Sic Virginem lapsam ad pœnitentiam concutit sanctus Ambrosius lib. c. 8. *Cum hæc certâ fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est prævaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantamvis afflictionem, quantumvis laborem & indecorem subire, esto contenta, dum modò ab æternalibus pœnis libereris.* Passim occurrunt hujusmodi Patrum exhortationes criminum reis factæ. Ad hæc & similia scripturæ & Patrum testimonia spectans Concilium can. 8. sess. 6. sic adversus Lutherum pronuntiavit. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, Anathema sit.* Itaque de bonitate & utilitate istius timoris nulla esse potest controversia; & consequenter dubitare nemo potest, quin utiliter judicium Dei, ignisque æterni minæ peccatoribus intentari possint, ut earum metu, velut fulgure attoniti, ad pœnitentiam agendam compellantur. Quis hoc negare possit, quum Philosophos omnes, qui animæ immortalitatem asseruerunt, idem fecisse constet. Hoc bonum esse & utile dictat naturale lumen.

CAPUT QUINTUM.

Duplex timoris servilis effectus respectu actionum humanarum, aliarum initium & occasio tantummodo est, aliarum finis & motivum: utraque hæc affectio fusius explicatur quoad Sacramentum Pœnitentiæ; varijque gradus Pœnitentiæ ex Concilio enarrantur.

UT istius timoris natura, effectusque legenti clariùs innotescant, & eâdem operâ distinctiùs proponatur controversiæ status, observandum prætereà est dupliciter respectu actionum nostrarum considerari posse, vel, ut earum initium, occasio & stimulus; vel ut earum finis & motivum ratione cujus actiones nostræ sint veluti media ad finem illum obtinendum conducentia; ita ut tota ratio agendi sit in animo nostro pœnæ timor, inferorumque cruciatuum evitatio. In hoc posteriore sensu servilem timorem peccatoribus gratiâ privatis adhærentem accipimus, quum negamus ex eo solo peccati odium & detestationem, fiduciamque in misericordiâ Dei oriri posse, cui quæstioni discutiendæ caput sequens destinamus. Nunc nobis explicandum est, quomodo timor ille sit in peccatore actionum, quibus ad justificationem & Sacramenta baptismi vel pœnitentiæ disponitur, initium & occasio, stimulus & incitamentum. Hoc clariùs & breviùs explicari non potest, quàm ex verbis Concilii Tridentini, quæ ideò non modo referimus, sed etiam enarramus.

Modum præparationis ad justificationem impiorum, ejusque gradus sic explicat sessione 6. c. 6. Primò ponit gratiam Dei excitantem; est enim à Deo salutis nostræ initium, omniumque actionum supernaturalium principium.

Secundò loco fidem enumerat, cujus objectum & modum, quo in animis hominum producitur, explicat his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ*

divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, &c.

Tertiò ingeneratâ in peccatorum animis rerum revelatarum fide, Deum scilicet esse peccatorum vindicem; diem constituisse, in quo sedebit omnium hominum judex, æternis pœnis impœnitentes damnaturus; Pœnitentibus verò propter filii redemptionem vitam æternam largiturus; gehennæ ignis terrore utiliter commoventur & concutiuntur, sedulòque dant operam, ut pœnas illas evitent, dicunt Sacerdotibus, ut illi Judæi Apostolis act. 2. v. 17. *Quid faciemus viri fratres?* Terrore igitur isto commoti ibi non subsistunt peccatores, sed eo utuntur, ut occasione ad vitæ mutationem eos commonefaciente, ut aculeo ad pœnitentiam seriò agendam eos pungente & urgente, ut initio salutis operandæ & obtinendæ; ut viâ ad altiorem præparationis gradum assequendum introducente. *Noli mihi dicere*, inquit sanctus Chrysostomus homil. 42. in Matth. [a] *Moderatè aliena atque timidè tetigi: sed cogita propter hanc rem parvam, quam rapuisti, non parvo te cruciatu in æternum esse puniendum: id, inquam, cogita & pœnitentiam age.* Ita quoque populum suum ad pœnitentiam inflammat sanctus Cæsarius Arelatensis homil. 1. *Accendenda est compunctio, corroborandæ sunt preces futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvandæ.*

Quartò igitur tremebundi ad misericordiã Dei confugiunt, quem ex eâdem fidei revelatione, non tantùm scelerum vindicem, verũ etiam clementissimũ Patrem didicerunt, ex quo fit ut in illius misericordiâ spei suæ anchoram figant. Hæc clarissimè verbis sequentibus Concilium: *Et dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur.* Nec est iste celsissimus divinæ illius scalæ gradus, & ultima ad justificationem impii dispositio. Plures alii ad Sacramenta baptismi & pœnitentiæ utiliter, atque ut par est, suscipienda necessarii sunt.

---

a Μὴ γάρ μοι τὸ μέτριον εἴπῃς, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐν τῷ μικρῷ τὴν αὐτὴν δέδοικα δίκην. τοῦτο ἐννόει καὶ μετανόει.

Quintò igitur de misericordiâ Dei adversus terrorem confisi, Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, hoc est, Deum ut legem æternam, omnis justitiæ & rectitudinis creatæ Archetypum, & ideam sempiternam amare incipiunt, atque in ejus lege & mandatis, quia sunt legis æternæ & increatæ justitiæ characteres quidam, & expressiones sibi complacere.

Sextò ex istâ Dei dilectione, oritur & exprimitur in animis nostris peccati odium & detestatio, non modo, ut scholasticè loquar, virtualis & implicita, sed actualis & explicita: Atque in eâ peccati detestatione propriè ἡ κυρίως consistit pœnitentia, & μετάνοια toties in scripturis commendata, id est, sententiæ mutatio, facti retractatio, resipiscentia. Ante enim illam dilectionem homo in peccato saltem interius delectabatur, & sibi congratulabatur: Post dilectionem illam, sententiam mutat, mentem retractat, μετανοεῖ, resipiscit, ipsum pœnitet: odio enim peccatum, quod amabat, prosequitur, quod diligebat detestatur. Quodnam in hac causâ τῆς μετανοίας τεκμήριον evidentius edere potest? Hæc omnia clarissimis verbis Concilium nos docet, cum jam citatis immediatè subjicit: *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* En paucis verbis graphicè descriptum, quod pluribus verbis in quinto gradu enarravimus. Prosequuntur Patres, *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pænitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* In iis verbis vides primum odium illud peccati non tantum dici consequens, sed effectum dilectionis Dei: secundo peccati odium illud esse debere actuale & explicitum; nam peccatores ex illâ Dei dilectione, inquit Concilium, adversus peccata per odium & detestationem moventur. Denique paria esse pœnitere & peccatum odisse.

Tot præparationibus ante baptismi susceptionem traditis nondum sibi videntur Patres omnibus defuncti, sed super hæc omnia à vero pœnitente tria simul requirunt. Septimò igitur docent necessarium esse baptismi suscipiendi, novæ vitę inchoandæ & mandata Dei servandi propositum. Sequitur enim in textu Concilii: *Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam,*

& servare divina mandata. Itaque istius dispositionis sex sunt gradus sive partes, quarum posterior priorem supponit, fides, gehennæ timor, spes, inchoata dilectio, odium & detestatio peccati, inchoandæ novæ vitæ propositum. Gratiam excitantem his non annumeramus, quia præparans est non præparatio: Excitatur à Deo in nobis sine nobis; sex verò reliquæ à Deo fiunt in nobis, sed non sine nobis. Ex quibus duo evidentissimè consequuntur. Prius, timorem illum, de quo agimus esse utilissimum, utilissimè eo peccatores affici & commoveri, occasionem & initium salutis rectè dici, aculeumque esse & calcar, quo peccatores post fidem acceptam languidi ad pœnitentiam extimulantur. Posterius, timorem illum præparationem esse ad justificationem admodum remotam, cum ex sex requisitis gradibus secundum obtineat; non esse pœnitentiam sive animi resipiscentiam, sed viam & occasionem resipiscentiæ, stimulum ad pœnitentiam, non pœnitentiam. Itaque si nulla esset præter hunc timorem ad justificationem animi dispositio, sine pœnitentiâ & animi internâ mutatione justificaretur peccator.

Denique adnotandum est inter præparationes à Concilio enumeratas, & timorem istum, discrimen esse consideratione dignum: Omnes aliæ præparationes perpetuæ sunt, anteque & post justificationem; si homo piè vivit, continuò augentur: hoc probatione aut inductione non eget, quum id videat quisquis ad unamquamque speciem mentem tantisper adverterit; At timor ille gehennæ, quo magis in pietate proficitur, eo minor est, atque ut quotidiè minuatur viro pio, si in pietate proficere cupit, desiderandum est. Hoc sæpissimè nos docet sanctus Augustinus: sed uno testimonio ex tractatu 9. in 1. Epistolam Joannis contenti erimus: *Timor quasi locum præparat charitati, cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est quâ intret charitas.* Hoc illustrat familiari similitudine, quæ rem, de qua agitur ob oculos non describit, sed pingit: *Sicut videmus*

per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem. Manifestissimum quoque est, & illustre in eandem rem ejusdem sancti ex sermone 214. de tempore, initio hujus capitis allatum testimonium, & sancti Eligii Noviomensis Episcopi ex homiliâ. 11. de pœnitentiâ capite præcedente exscriptum. His adnectemus sancti Chrysostomi Autoritatem in homil. 42. in Matth. versus finem: *Diliges, inquit, non dicit, timebis: quia diligere majus est, quàm timere, inchoatio enim culturæ Dei habet timorem; perfectio autem, dilectionem, dicente Joanne: perfecta dilectio foras mittit timorem. Donec enim homo timet Deum, non eum diligit: cum autem diligere cœperit, jam non eum tantum modo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim servorum est; diligere autem filiorum.* Licet igitur timor ille pœnitentiæ & salutis quærendæ sit occasio, incitamentum, stimulus præparationum tamen animæ interiorum minima est, imò vix præparationis nomine censenda, cum præparationis ad Sacramenta baptismi & pœnitentiæ suscipiendæ sit introductio & janua, & præsente charitate perfectâ prorsus evanescat.

Quanquam igitur servilis ille timor adeo sit utilis, totiésque peccatoribus à scripturâ, Patribus & Christianis prædicatoribus ad eorum pervicaciam contundendam utilissimè proponatur, negamus tamen ex eo solo exclusâ & præcisâ omni dilectione Dei odium & detestationem peccati nasci, spem & fiduciam in Dei misericordia animis nostris ingenerari, interiorem à peccato cessationem esse posse: sive actiones ex solo istius timoris motivo factas, in quibus tota ratio agendi est pœnæ temporariæ, vel æternæ devitatio, ista omnia complecti, hoc jam capite superiori multis & evidentissimis argumentis demonstratum est, cum odium peccati, & spem in misericordiâ Dei ex dilectione Dei necessariò emanare demonstravimus: Ex hoc enim stabilito necessariâ consequentiâ colligitur ea omnia servilis timoris fructum germanum & necessarium esse non posse. Idem tamen capite sequenti demonstrabimus argumentis ex istius timoris naturâ & ratione desumptis.

CAPUT SEXTUM.

Ex solo timore servili, ut fine & motivo, veram pœnitentiam formari non posse, nec peccatorem justificari in Sacramento pœnitentiæ, ex ipsius timoris naturâ & ratione demonstratur. Ipsa timoris natura ex Philosophis aperitur, exque sanctis Patribus Ambrosio, Augustino, & ex S. Thoma.

PRIMUM ab Ethnicorum Sententiâ de hoc timore desumimus. Adeo enim parvi illum fecerunt, ut actiones eo solo fine factas viro bono indignas esse censerent, vixque virtutum catalogo inscriberent. Hoc sanè in animũ suum nunquam induxissent, si ex solâ pœnæ formidine vitiorum odium nasci credidissent. Quid enim odio vitiorum præstabilius? Quis vitia odisse potest, & virtutes non amare? verùm quotquot de actionum humanarum finibus cum laude scripserunt, honestatem & virtutem actionum finem, spreto timore pœnæ, viro Philosophiæ studioso proposuerunt. Plato. Lib. 2. & 10. de republ. multis probat, justitiam propter se appetendam & exercendam; pœnam aut mercedem, ut hoc præstet, sapientem non sibi proponere, licet scelerum omnium impunitas illi proponatur, scelus tamen aversaturum, justitiam amplexurum. Utitur ad hoc illustrandum fabulæ de annulo Gygis exemplo, cujus palam cum ad palmam manus convertebat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; cum verò annulum in lucem invertebat, idem rursus videbatur. Annulum ejusmodi nanciscatur, inquit, sapiens, cujus ope quidquid libet perpetrare possit, justitiam tamen amplexabitur, *Justitiam ipsam ipsi animæ optimum præmium esse comperimus, justèque agendum esse monstravimus, sive Gygis habeat annulum, sive Plutonis galeam.*

Cicero similiter lib. 3. de officiis post longam disputationem, quâ probat nihil esse

utile, nisi quod honestum, honestatem esse actionum nostrarum regulam; de re turpi, licet celari possit, & impunè fieri, ne quidem deliberandum, tandem sic præclarè colligit: *Ergo ea deliberanda omnino non sunt in quibus est turpis ipsa deliberatio, atque etiam in omni deliberatione celandi & occultandi spes, opinioque removenda est. Satis enim nobis, si modo in philosophiâ aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avarè, nihil injustè, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.* Cui Sententiæ illustrandæ subjungit Ex Platone Gygis historiam, quâ enarratâ, concludit, *Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quàm si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur.* Ideò toties Seneca virtutem propter se expetendam scribit, ut Epist. 8. *Virtutum omnium præmium in ipsis est; non enim exercentur ad præmium. Rectè facti, fecisse merces est. Gratus sum, non ut alius mihi libentiùs præstet, priori irritatus exemplo, sed ut rem jucundissimam ac pulcherrimam faciam. Gratus sum, non quia expedit, sed quia juvat.* Lib. 4. de beneficiis c. 16. 17. *Eixum est illud à quo in cætera probationes nostræ exeunt; honestum ob nullam aliam causam, quàm quia honestum sit, coli &c. Placet suâpte naturâ, adeòque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora.* Et alibi, ut eum citat sanctus Raymundus lib. 3. tit. ultimo, §. 9. *Si scirem Deos ignoscituros, homines ignoraturos, tamen abhorrerem peccatum.*

Philosophos illos doctrinæ pudebat, quæ supplicii evitandi causa agendum esse asserebat, adeo imperfectum hunc actionum nostrarum finem censebant. Rectè equidem, nam licet actio per se bona sit, mali timor & fuga, atque hinc fluens à peccato cessatio, mala tamen voluntas metu non immutatur. Nam, ut ait sanctus Augustinus lib. 50. homil. 28. c. 4. & refertur de pœnit dist. 1. c. 29. *Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti, fur teneris, & nihil tulisti.* Laude digna non est ejusmodi actio: nec opinor quisquam eorum, qui panegyricas orationes habent heroum, aliquem ob res verberum & suppliciorum formidine gestas, laudibus in cœlum unquam evexit: Nec Rhetor aliquis locis communibus, è

quibus, velut è Thesauro, laudum depromuntur argumenta, hunc inseruit, aut de eo inserendo cogitavit unquam. Qui hinc laudum argumenta depromeret orator, omnibus sese ridendum propinaret. 5. Decret. tit. 41. Nam, ut dicitur Extr. de reg. juris. reg. 8. *Qui ex timore facit praceptum, aliter quàm debeat facit, & ideò jam non facit.* Imprudenter sanè ob id, quod non fecit, laudaretur: aut, si fecisse dicatur, aliter quàm debuit fecit. Ideò quæcunque metu fiunt, lege quâdam naturali omnes homines ita docente, aut ipso facto nulla sunt, aut à prætore rescindi jubentur.

Eandem doctrinam allatâ quoque Gygis fabulâ, laudat sanctus Ambrosius officior. lib. 3. c. 5. sed insuper eam marte suo allatis sanctorum exemplis longè augustiùs probat, nihil scilicet expetendum esse, nisi quod honestum, nihil sapientem facere, *In quo se crimine quoquam obliget, etiam si latere possit: sibi enim reus est priusquàm cateris; nec tam pudenda apud eum publicatio flagitii, quàm conscientia est. Quod non fictis fabulis, ut philosophi disputant, sed verissimis justorum virorum exemplis docere possumus.* Deindè ex Platone enarratâ Gygis fabulâ, sic infert: *Da hunc annulum sapienti, ut beneficio ejus possit latere, cum deliquerit non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est &c. Ideoque non terrore pœna revocatur à culpâ, sed honestatis regulâ.* Tandem postquam de hac re multa disputasset, colligit initio cap. 9. *Nihil itaque deformius quàm nullum habere amorem honestatis, & usu quodam degeneris mercatura quastu sollicitari ignobili, avaro astuare corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem, non considerare vera laudis pulchritudinem.* Mira videri non debet hæc sancti Ambrosii post longam de hac re tractationem severa collectio, nihil esse deformius, quàm nullo honestatis amore teneri, & veræ laudis pulchritudinem non considerare, cum actiones hoc unico motivo factas, Ethnici philosophi, ut demonstratum est, prorsus contempserint. Quid his duobus versibus magis vulgatum? *Oderunt peccare boni virtutis amore; oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Nam eorum est, quibus peccata placent, solâ suppliciorum formidine commotos

ea vitaré. Ideo scribit Aristoteles cap. ult. lib. 10. Ethic. Legislatores ad obedientiam legum hortari debere τοῦ καλοῦ χάριν honestatis & virtutis gratiâ, inobedientibus autem supplicia decernere : *Virum bonum, qui honestatis regulâ vitam suam dirigit, rationi obtemperaturum; vitiosum autem & improbum, voluptatis immoderatè appetentem, dolore & plagis, ut jumentum coercendum.* Et lib. 3. c. 11. postquam de hac re pluribus disseruit, tandem colligit : *Fortes igitur honesti causâ res omnes gerunt, eosque ira adjuvat; bestiæ verò propter dolorem, plagas scilicet & metum.* Pœnarum ergo non virtutis causâ benè agentes, brutis animantibus comparat.

Servilis timoris deformitatem istam egregiè præ ceteris descripsisse mihi videtur sanctus Augustinus institutâ libidinosæ & castæ mulieris comparatione. Ita ille tract. 9. in primam Epist. Joannis. *Non potes melius explanare, quid intersit inter duos istos timores, unum quem foras mittit caritas, alterum castum qui permanet in sæculum sæculi, quàm si ponas duas mulieres maritatas, quarum unam constituas volentem facere adulterium, delectari nequitiâ sed timentē ne damnetur à marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam ideo timet tantum. Huic non grata est, sed onerosa mariti præsentia. Et si forté vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt, qui timent ne veniat dies judicii. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nullâ se adulterii immunditiâ maculare velle; ista optat præsentiam viri & quomodo discernuntur duo isti timores. Illa timet, & ista timet. Interroga, quasi unum tibi respondent. Interroga illam, times virum? Respondet, timeo. Interroget illam si timeat virum, respondet, timeo. Una vox est, sed diversus animus. Jam ergò interrogentur quare timeant. Illa dicet, timeo virum, ne veniat; ista dicet, timeo virum ne discedat. Illa dicet, timeo virum; ne damner; ista dicet, timeo virum, ne deserar. Pone hæc in animo, & invenies timorem, quem foras mittit charitas, & alium timorem castum permanentē in sæculum sæculi, &c.* Servilis timor, sive cessatio à peccatis propter pœnæ formidinem, mulieri libidinosæ &

a Τὸν μὲν γὰρ ἐπιεικῆ, καὶ πρὸς τὸ καλὸν ζῶντα, τῷ λόγῳ πειθαρχήσειν. τὸν δὲ φαῦλον ἡδονῆς ὀρεγόμενον, λύπῃ κολάζεσθαι ὥσπερ ὑποζύγιον.

b Οἱ μὲν οὖν ἀνδρεῖοι, διὰ τὸ καλὸν πράττουσιν. ὁ δὲ θυμὸς συνεργεῖ αὐτοῖς. τὰ θηρία δὲ διὰ λύπην. διὰ γὰρ τὸ πληγῆναι, ἢ φοβεῖσθαι.

adulteræ

adulteræ comparatur, quæ mariti zelum & vindictam timens, animum libidine inflammatum cohibet. Nunquid timor ejusmodi, ex naturâ suâ, hoc est, quâ servilis, ut eum nunc consideramus, peccati amorem & delectationem non continet? Timor ille, inquit Sanctus Augustinus, adhuc amat nequitiam. Quâ igitur ratione dum solá pœnæ formidine movetur, odium & detestationem peccati continere potest? *Fac alteram amare virum, nullâ se adulterii immunditiâ maculare velle.* Hoc est, fac eam voluntatem peccandi excludere, spem veniæ à marito sperare, ex libidinosâ castam efficies; jam non erit timor servilis, sed castus pro charitatis mensurâ perfectus vel imperfectus. Ne autem existimes Sanctum Augustinum re parum consideratâ hanc comparationem proposuisse, non solùm loco citato, sed multis aliis locis, ut tract. 43. in Joannem, Epist. 120. ad honoratum c. 21. & serm. 18. de verbis Apostoli, eandem comparationem tradit & edisserit.

Itaque nemo mirari debet, si tanto cum despectu de actionibus naturâ suâ bonis, sed solâ pœnæ formidine factis, locuti fuerint philosophi, nihilque deformius esse dixerit sanctus Ambrosius, quàm non elevare animum ad honestatis amorem nec considerare veræ laudis pulchritudinem, cum actiones eo fine factas mulieri libidinosæ, ab adulterio ne à marito deprehendatur abstinenti, comparare solitus fuerit Sanctus Augustinus. Rationem tanti despectus egregiam & hoc loco notatu dignissimam reddit Sanctus Thomas in 3. dist. 34. quæst. 2. art. 1. ad tertiam quæstionem ubi ostendit, cur timor servilis ad perfectionem doni non pertingat: *In omni virtute, hoc est commune secundum philosophum, quod virtuosus operatur boni gratiâ, vel propter turpis vitationem: timor autem servilis operatur bonum, non propter fugam turpis, sed propter fugam tristis: unde deficit à perfectione virtutis, & multò ampliùs à perfectione doni, quod est virtute perfectius.* A virtute igitur, nedum à dignitate doni sancti Spiritus multum deficit actio solá formidine pœnæ factâ, nullusque virtute præditus, quâ talis, hunc actionum suarum finem sibi proponit.

CAPUT SEPTIMUM.

Ex solâ pœnæ formidine peccati odium & cessationem fluere non posse, quatuor argumentis, seu quatuor ex timore necessariò consequentibus demonstratur, & Patrum testimoniis illustratur. 1. quod eadem manet voluntas. 2. quod invitus faciat. 3. quod coactus. 4. quod dolens.

IDEM nobis pessiùs nunc est demonstrandum ex iis, quæ actiones solo pœnæ timore factas, & secundum remipsam, & secundum sanctorum mentem, necessariò consequuntur. Hinc enim manifestissimum erit ex solâ formidine pœnæ odium & detestationem peccati non emanare. Imò odium actionis, quæ fit metu pœnæ, cum illo metu non modo subsistere, sed etiam ab illo metu supponi & præ requiri. Sententiam hanc, licet per se claram, atque, ut mihi quidem videtur, hominum mentibus à naturâ inscriptam, quatuor argumentis, quæ sunt actionis solo metu factæ adjuncta necessaria demonstrabimus, & Patrum testimoniis illustrabimus: Agentem videlicet hoc solo fine seu motivo, immutatâ esse voluntate, invitum, coactum & dolentem agere.

Antequam propositum aggrediamur, lectorem admonemus, nos hîc agere de peccatore ad pœnitentiam convertendo, ac proinde, qui in peccatis delectatur, aut etiam si velis de quavis animi delectatione prohibitâ. Nam si pervertatur quæstio, & ad actionem gravi pœnâ prohibitam, sed agenti indifferentem transferatur, fateor quemcumque ad actionem illam indifferenter se habentem, ab eâ metu facile cessare posse, non invitum, non coactum, non dolentem, nec opus esse voluntatem agentis ejusmodi immutari, cum ex hypothesi sit indifferens; nec odio quoque nec amore rem prohibitam ex eo metu prosequatur. Hoc perspicuum est in eo, qui venationem nec

amat, nec odit, ab eâ facilè abstinet formidine pœnæ, ubi cum pœnæ interminatione vetatur; nec ideo quod à venatione metu abstineat, eam vel odit, vel amat. Si quid in voluntatem indifferentem agit metus ille, ex indifferente amantem reddet, juxta tritum illud Ovidianum.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Quapropter concesso per impossibile, ut dicitur, peccatorē, ante conversionem, ἀδιαφόρως ad peccatum sese habere, illius prohibitio pœnæque metus inde proveniens, peccati amantem ex indifferente efficeret.

Verum nobis disputatio est de homine peccatore, & proindè concupiscentiæ & peccati servo ad justificationem disponendo. Primum igitur dicimus voluntatem istius hominis solo timore pœnæ à peccato abstinentis isto metu non mutari, & ideò involuntariè agere, velleque, quamdiù hoc solo fine movetur, id quod agit non agere, & consequenter peccatum quod amabat, non detestari. Hoc natura, hoc docent Philosophi omnes, & unusquisque apud se id experitur, verbi gratia, tempestate periclitatis, metuque urgente supellectilem tuam in mare dejicis: Certe velles id, quod agis, non agere, voluntatem & amorem, quo suppellectilem tuam prosequebaris eâ dejectione in supellectilis tuæ odium non convertis, imò dolens & mœrens eam dejicis, & superato periculo, cum jacturæ tuæ recordaris, eam defles, supellectilis tuæ desiderio ad huc tangeris. Ita omnes homines à naturâ comparati sunt, nec unquam aliter fit, cum metu tantùm res agitur.

Hanc doctrinam sive potius naturalis luminis dictamen præclarè notat. Sanctus Thomas 1. 2. q. 6. art. 7. respons. ad 2. ubi explicat differentiam eorum, quæ metu aguntur, & quæ concupiscentiâ: *In eo*, inquit, *qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur; sed in eo, qui aliquid agit per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quâ repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat: & ideò quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium, sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo. Nam incontinens concupiscentiæ agit contra id quod prius proponebat, non autem contra quod nunc vult; sed timidus agit contra*

id quod etiam nunc secundum se vult. Hoc experietur quilibet in omnibus, quæ per metum aguntur : manet eadem voluntas & affectio in rem priùs volitam, metus istum voluntatis motum non afficit, licet voluntatem ad id agendum adigat, quod huic motui repugnat, sed contrarium sentit quisque in iis, quæ per concupiscentiam agit : Nam si id, quod priùs aversabatur, concupiscit, jam mutata voluntas est, & consequenter eo motivo agens voluntariè ; istaque se se mutuò perimunt, aversari sive odisse, & concupiscere : si aversaris, non concupiscis. Sed in his quæ metu aguntur, omnia contrario modo contingunt, nam, ut ait Sanctus Thomas, & hominis uniuscujusque non stolidi ad hæc mentem advertentis dictat conscientia, timidus agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.

Ex iis luce meridianâ clarius effulget peccatorem, qui peccoto delectabatur, & solo metu à peccato abstinet, peccatum non aversari, in eo se se interiore voluntatis inclinatione & affectu oblectare, contra voluntatem suam agere, & consequenter voluntatem immutatam conservare.

Quod ait Sanctus Thomas, ea, quæ per metum fiunt, esse quodammodo involuntaria, sive, ut Philosophi, & ipse alibi, involuntaria secundum quid, non repugnat iis, quæ dicta sunt, cum ea ne leviter quidem attingant. Aliud est enim loqui de actione, quæ metu fit, vel facta est : aliud de voluntate, quæ actionem illam præcedebat, & comitatur. Actio illa, quæ metu fit, dum fit, simpliciter voluntaria dicitur. Si enin absolutè nollet, eam agens non faceret ; verbi gratia, si nauta nollet omninò merces suas in mare præcipitare, sanè non præcipitaret, neque metus mortis ad id potest eum cogere : posset enim mortem potius eligere, quàm mercis suæ jacturam. Cum igitur sæviente tempestate eam dejicit, id in hac hypothesi, hoc maximé nollet. Itaque actiones illæ mixtæ dicuntur ex voluntario & involuntario. Simpliciter voluntariæ dici possunt, eo quod datâ hypothesi re verâ voluntas, licet per metum, in id objectum inclinatur : Secundum quid verò involuntariæ, eo quod absente istâ hypothesi., eas agens facere nollet. Verùm nunc de hac actione non agimus, sed de voluntatis affectu erga objectum ante hanc hypothe-

sum, quem cum S. Thoma & omnium hominum sensu dicimus, accedente illâ hypothesi, & agente ex illius metu operante, non recedere, sed cum eo & illius motivo permanere: *In eo enim, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, &c. Timidúsque agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.*

Paucis verbis distinctionem explicatam materiæ propositæ applicamus: cessatio à peccato oblectante solâ pœnæ formidine facta voluntaria est simpliciter, & secundum quid involuntaria: quod nunc nec probandum nobis nec improbandum proponimus. Voluntas autem oblectans sese in peccato, cessatione illâ non mutatur, sed eadem permanet, quod contendimus.

Sanctus Augustinus hanc quæstionē sæpius in hypothesi sibi exagitandam proponit, semperque, ut in thesi fecit sanctus Thomas, eam resolvit Epist. 144. *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœna timore non peccat: quia, & si non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? ac per hoc in ipsâ voluntate reus est qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri &c. Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: Amicus autem erit, si ejus amore non peccet: tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et Paulò post: *Tantùm porrò quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.* Sed in hypothesi nostrâ justitiam nullo modo diligit, nullo modo igitur peccatum odit. Idem sanctus lib. de Spiritu & Litera c. 8. *Quia & quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere potiùsque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset, impunè committere:* Et paulò post ista verba: *Non justificabitur ex lege omnis caro coram Deo: Potest enim fieri coram hominibus, non autem coram illo, qui cordis ipsius, & intimæ voluntatis inspector est; & ubi videt, etiam si aliud faciat, qui legem timet, quid tamen mallet facere, si liceret.* Similiter quo-

que & non minus evidenter ejusdem libri c. 32. *Illi, qui sub lege sunt, & timore pœnæ justitiam suam facere conantur, ideo non faciunt Dei justitiam, quia charitas eam facit, quâ non libet, nisi quod licet: non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, quâ mallet, si fieri posset, licere quod non licet.* Sermone 3. qui in appendice legitur, de eâdem re cum exemplis differens, hæc habet: *Mandato accepto timuisti, non dilexisti. Timuisti pœnam, non amasti justitiam. Qui timet pœnam, optat, si fieri potest, facere quod libeat, & non habere quod timeat.*

Nullis verbis sanctus Augustinus poterat expressiùs declarare & prædicare solâ pœnarum formidine peccatoris mentem non mutari, eumdem in peccatum affectum permanere. Voluntatem enim immutare, & delectationem in peccato in odium convertere sola potest charitas, & Dei dilectio. Nam, ut scribit sanctus Augustinus Epist. 144. *Pœna corporis, & si non à voluntate revocat, tamen revocat ab opere peccati*, Et sermone 18. de Verbis apostoli. c. 8. *Timor id agebat, ne faceres; charitas id agit ut nolis facere, etiam si impunè possis admittere.* Sermone autem 15. c. 6. *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit &c. Quid magnum est pœnam timere. Quis eam non timet? quis Latro? quis sceleratus? quis nefarius? sed hoc interest inter timorem tuum timoremque Latronis, quod Latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum. Tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam suam malam non amor tollit, sed timor premit.* Uterque sermo esset lectori magnâ ex parte legendus, ut quis sit proprius & genuinus istius timoris effectus dilucidè perspiceret. Sed testimoniorum hac in causâ satis superque.

Secundum argumentum petimus ex eo, quod qui solâ pœnæ formidine agit, invitus agit. Naturali, & evidentissimâ consequentiâ id ex primo argumento deducitur. Cum enim lis nobis instituta sit de peccatore se se in peccato oblectante, evidentissimè certum est, cum à peccato solâ pœnæ formidine abstinet, repugnantem & invitum abstinere; quia, ut sæpius jam ex sancto Augustino relatum est, optaret si posset, aliud facere quàm facit: in qua re invitè

agentis definitio consistit. Deindè prior voluntas, quâ peccato delectabatur immutata manet. Ergo repugnans & invitus à peccato abstinet, cum nihil sit aliud invitum & repugnantem agere, quàm contra voluntatem agere. Tantum igitur ab est, ut cessatio à peccato solo metu peccati detestationem inferat, ut eam necessariò complectatur, cum eo solo fine cessante invitus cesset. Nam concupiscentia, ut scribit Sanctus Augustinus, lib. 2. contra adversar. legis & Prophet. c. 7. *Non extinguitur per jubentem literam timore pœnæ, sed per juvantem spiritum dilectione justitiæ.* Ideo idem sanctus scribit, sæpe eum, qui solo timore pœnæ agit, invitum agere, ut initio concionis. 11. in Psal. 118. *Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profectò invitus facit: Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam mallet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate.* Invitus igitur agit, immundaque persistit voluntas, licet exterior illa cessatio à peccatis in se & præcisè considerata bona sit & utilis. Et lib. 3. ad Bonifacium Papam c. 4. de timore illo servili disputans, cujus vi legis præcepta Judæi observabant: *Fides in eis per dilectionem non operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit: mavult enim omnino non facere, si secundum ea, quæ cupit & metuit, permittatur impunè, ac per hoc in ipsâ voluntate intùs est reus, ubi ipse, qui præcipit, inspicit Deus.* Id quod in eâ causâ scribit Sanctus Augustinus in psalmum 77. ante medium expressius est, & stringit magis, quam si inviti vocem usurpasset. Quærit quare scriptum non est: *Et in lege ejus non ambulaverunt*, verùm: *Et in lege ejus noluerunt ambulare.* Et hanc reddit rationem: *Poterat enim putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea, quæ præcipiuntur forinsecus fiunt ab jis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt: Ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare, non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ.* Qui formidine pœnæ tantum agit, non vult agere: invitus ergo agit, & nullo modo fieri potest, ut ex corde agat. Ergo nullo modo fieri potest ut non agat in-

vitus. Sententia ei, quam defendimus, contraria nullis verbis expressius à Sancto Augustino condemnari poterat.

Id confirmat & docet ut rem planè notam Sanctus Chrysostomus, sive autor operis imperfecti in Matth. homilia 42. *Timere servorum est; diligere autem filiorum: Timor sub necessitate est, dilectio in libertate; qui in timore servit Deo, pœnam quidem evadit, mercedem autem justitiæ non habet, quia invitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, ut timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed ut diligatur quasi pater.* Prærerquam quod disertè scribit invitum agere, qui propter timorem agit. Notandum necessitatem, ἀνάγκην pro coactione sumere, non pro illâ suavi necessitate, quâ quis volens necessariò ducitur. Utramque necessitatem sub nomine fati uno versiculo expressit Seneca: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Eo sensu à Sancto Chrysostomo sumitur, cum illius necessitatis causa sit suppliciorum timor voluntatem invitam trahens, non suavis quædam persuasio hominem ex nolente volentem efficiens. Ita sæpè ἀνάγκη usurpatur ut in isto Euripidis hecubæ versu: ὑπὸ δ' ἀνάγκης πάντα δουλοῦται τάχα & in Oreste v. 230. ἀνιαρὸν ὂν τὸ κτῆμα ἀναγκαῖον δ' ὅμως. Ideo Aristoteles c. 7. l. 2. Moralium ad Eudemium, ut probet omne violentum & coactum doloris esse causam, hunc Eveni versiculum affert, πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ. *Omnis res necessaria molesta est.* Hinc verbum ἀναγκάζω, cogo, compello, quo sœpè Aristoteles eo loco, & sœpius alibi utitur & ἀναγκασθεὶς coactus, passim ἀνάγκη pro coactione usurpatur. Ideo pluribus id demonstrare supervacaneum.

Tertiò dico, sic agentem, non modò invitum, sed etiam coactum agere, atque hac in causâ idem esse invitum, coactum, & violentum, ἄκον, ἀναγκαζόμενον καὶ βίαιον. Scitum est est apud omnes Philosophos voluntatem cogi non posse, quod restringunt ad actus internos, quos vocare solent elicitos, qui ab ipsâ immediatè fluunt. Rectè equidem: Nam cum actus ejusmodi nihil aliud sit quam voluntatis in rem cognitam inclinatio, vel ab eâ aversio, hominum potestati exemptus est. Sed de actibus externis, quos imperatos vocant, ut ambulare, loqui, aliter decernunt. Licet enim ex voluntatis imperio exerceri soleant, ab agente tamen externo contra internum volun-

tatis

tatis dictamen moveri & torqueri possunt. Verùm, ut jam notatum est, de actibus ejusmodi externis nulla nobis quæstio. Certum est enim homines formidine pœnæ ab jis cohiberi posse. Circa internos & animo immanentes totius difficultatis cardo versatur. Probatum est pœnæ formidinem immutare quidem voluntatem circa actus externos, ita ut ab illis sese cohibeat, & contrarios etiam exerceat, sed eâ ratione delectationem, quâ in illos actus ferebatur, immutatam, & illæsam permanere, atque hinc hominem meritò dici repugnantem & invitum agere. Dico præterea rectè dici coactum agere, & violentiam pati.

Violentum definit Aristoteles libro 3. Ethic. c. 1. οὗ ἔξωθεν ἡ ἀρχὴ, μηδὲν συμβαλλομένου τοῦ βιασθέντος, *cujus principium extra est, nihil conferente eo, quod vim patitur.* Rectè nonnulli scholastici, ut Scotus & Almainus hanc definitionem ita interpretantur, ut ei aliquid addant, & coactum scilicet contra interiorem inclinationem & propensionem agatur. Hoc autem Aristotelis menti convenit, qui libro. 2. Ehtic. ad Eudemium c. 7. de voluntario, involuntario & violento disputans, universè pronuntiat τὸ βίαιον λυπηρόν. *Quod violentum, molestum.* Tristitiam illam & molestiam nihil aliud causatur, quàm interior voluntatis inclinatio ad versus quam coactû ab extrinseco principio movetur. Hic enim motus voluntatem interius lædit, atque ideò dolorificus est. Quæ metu fiunt, Philosophis, cum propriè & subtiliter loqui amant, non dicuntur coacta & violenta, eo quod à voluntate, quæ est intrinsecum principium, efficiantur. Mercator enim tempestate territus, merces suas in mare volens, sed invitus projicit. Discrimen sanè est magnum inter actionem illam mercatoris, & eam, quâ quisar reptâ ipsius manu ipso renitente colaphû proximo impingeret. Licet enim in utrâque actione repugnantia conspiciatur, in priore invitus agit homo, in posteriore invitus agitur. In priore voluntas, licet invita consensit, & dum res acta est, eam agi voluit. Hoc sensu Jurisconsultorum axioma verum est: Voluntas coacta non desin t esse voluntas. In posteriore nullus est consensus, & actio violentiam inferenti tribuenda non patienti. Tota hujus rei ratio est; quod prior actio à principio intrinseco emanat; posterior verò, ab extrinseco.

Sed distinctionis istius usus tantùm est cum de actionibus imperatis sermo habetur, de quo nunc nobis nullus est; cum de interiore odio, & detestatione disputemus. Solus est metus, qui afficit voluntatem, & consequenter actus ab eâ immediatè effluentes. Ideo distinctio illa, quâ actus externi sive imperati involuntarii dividuntur, in involuntarios simpliciter, sive violentos & coactos, & involuntarios secundum quid, quæstioni præsenti est inutilis: quidquid enim de istâ distinctione dicatur, voluntatem tantum consideramus ratione habitâ ad actus elicitos & immanentes, odium & detestationem, in quos violentia & coactio nulla cadit, nisi à metu causata & inflicta. Qua propter in causâ propositâ idem est dicere voluntatem formidine pœnæ à peccato abstinere, & invitam & coactam. Sic est in simili causâ & locutus & ratiocinatus sanctus Thomas in 4. dist. 29. q. 1. art. 1. Cum enim distinctionem involuntarii in involuntarium simpliciter, & secundum quid exposuisset, addit; *Quia legislator non considerat solum interiores actus, sed magis exteriores, ideo per vim intelligit coactionem simpliciter, propter quod vim contra metum dividit: sed nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis, quæ à metu distinguitur: Et ideo quantum ad propositum pertinet idem est coactio quod metus.* Sic nos dicimus quoniam agitur hic de consensu interiori, & actibus voluntatis internis, in quos non cadit coactio, seu vis, quæ à metu distinguitur, quantum ad propositum nostrum pertinet, idem est coactio quod metus. Ideò sanctus Thomas art. 2. in eandem distinctionem metu agentes absolutè cogi dicit: *Cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit, quod aliàs non vellet, ad evitandum aliquid quod timet.* Quid fingi potest clarius ut solâ formidine pœnæ à peccato cessantes cogi dicantur? Testatur quoque Aristoteles lib. 2. c. 8. Moraliũ ad Eudemium timore pœnæ agentes ab omnibus coactos dici. [a] *Verùm & aliter vi coactique agere dicuntur, non dis-*

---

a Λέγονται δὲ κατ᾽ ἄλλον τρόπον βίᾳ καὶ ἀναγκασθέντες πρᾶξαι, ἢ διαφωνοῦντος τοῦ λόγου καὶ τῆς ὀρέξεως, ὅταν πράττωσιν ὃ καὶ λυπηρὸν καὶ φαῦλον λαμβάνουσιν, ἀλλ᾽ ἂν μὴ τοῦτο πράττωσι, πληγαὶ ἢ θάνατος ἔσται· ταῦτα γάρ φασιν ἀναγκασθέντες πρᾶξαι, ἢ οὔ.

ſentiente ab appetitu ratione, quando id faciunt, quod moleſtum & ridiculum judicant, ſed non facientibus plagæ aut mors imminet. Hæc enim omnes aiunt coactos facere aut non.

Sanctus Auguſtinus c. 10. libri de duabus animabus diſputans adverſus Manichæos de naturâ libertatis, nolentem, invitum & coactum agere, idem prorſus eſſe affirmat: *Cum quiſque invitus aliquid facit, ſi eum roges utrum id facere velit? Nolle ſe dicet. Item ſi roges, utrum id velit non facere? Velle reſpondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies, &c. Si rurſum quæramus quam ob cauſam id invitus faciat? cogi ſe dicet. Nam & omnis invitus faciens, cogitur, & omnis qui cogitur, ſi facit, non niſi invitus facit Reſtat ut volens à cogente ſit liber, etiamſi ſe quiſpiam cogi putet. Et hoc enim modo omnis qui volens facit, non cogitur, & omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit.* Hæc ait Sanctus Auguſtinus eſſe vulgatiſſima, omnibus intellectu facillima, atque à nemine negata. Invitum igitur agere, & coactum, & nolentem, communi omnium hominum ſententiâ æquipollent. Hanc ſententiam ut ab omnibus conceſſam aſſumit Ariſtoteles magnorum Moralium lib. 1. c. 13. Probaturus enim cupiditate agentem, non invitè agere, hoc axiomate probat μὴ ἑκόντες πράττουσιν ἀναγκαζόμενοι πράττουσιν, *Eo quod quæcumque inviti facimus, coacti facimus.* Involuntarii, ſeu violentiæ à metu diſtinctionem præteriit Sanctus Auguſtinus non ignorantiâ, ſed eâdem quâ Sanctus Thomas ratione, quod de voluntatis naturâ & definitione diſputaret, cui illuſtrandæ nihil prorſùs conduceret iſta diſtinctio. Hinc eſt quod nonnunquam cogi dicat, qui timore pœnę à peccatis abſtinet: ut libro in Epiſtolam ad Galatas, verſus finē, *Opera illa tractare, &c. quæ ad novum quoque teſtamentum pertinere nemo ambigit, ſed alio fine, quo liberos ea facere decet, id eſt, charitatis æternæ ſperantis hinc præmia, & ex fide expectantis, non ſicut Judæi, qui timore iſta implere cogebantur.* Et paulò inferiùs explicans hæc Apoſtoli verba: *Per charitatem ſervite invicem.* Ita ſcribit: *Qui enim per charitatem ſervit, liberè ſervit & ſine miſeriâ obtemperat Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore, quod cogitur.* Et libro de ſpiritu & litterâ c. 32. *Ideo non faciunt Dei juſtitiam, quia charitas eam facit, quæ non libet niſi quod licet, non timet*

qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, quâ mallet, si fieri posset licere quod non licet. Sermone quoque 17. de verbis Apostoli c. 5. ita plebem alloquitur. *Mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis justitia, ut non ad eam timore cogamini, si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.*

Certum est igitur ex communi omnium hominum sensu eum, qui solâ formidine pœnæ à peccato abstinet, præceptaque observat, id coactum facere, ideò ut colligit Sanctus Augustinus libro. 1. Operis imperfecti in Julianum, c. 101. *Si cogitur, non vult, & quid absurdius, quàm ut dicatur nolens velle, quod bonum est.* Notabit demum Lector, sicut Sanctus Augustinus mutationem voluntatis erga peccatum formidini pœnæ perpetuò denegat, ita charitati & dilectioni Dei eam perpetuò asserere, ut ferè omnia, quæ hactenus ex eo retulimus, testimonia nos docent, & innumera alia, quæ passim in operibus ejus occurrunt.

Denique ex iisdem principiis exploratum est eum, qui solâ formidine pœnæ abstinet ab aliquo opere, aut illud agit, dolentem id facere, ut videre est in eo, qui timore periculi merces suas in mare projicit, & in omnibus actionibus, quæ metu fiunt. Ratio est in promptu & perspicua: Invitus facit & coactus, ut ex antecedentibus constat; Ergo dolens. Nolens facit, ergo dolens. Sanctus Thomas 1.2.q.36. a. 2. in corpore affirmat concupiscentiam doloris & tristitiæ causam esse, cum, ne re concupitâ gaudeat, retardatur; quanto magis cum prorsus impeditur. *Quia*, ut ipse ait, *magis dolemus de subtractione bonorum præsentium, in quibus jam delectamur, quàm futurorum, quæ concupiscimus.* Hujus rei ratio lumine naturali cuivis innotescere potest. Contraria enim sese mutuò perimunt, quod in rebus sensibilibus sine dolore fieri non potest. Id quod est igitur motui appetitus seu voluntatis oppositum, & reapse ipsum impedit, dolorem causetur necesse est. Sed cum quis invitus agit & coactus contra motum voluntatis fertur, cum dolore agitur, qui tantò gravior, quantò motus & inclinatio voluntatis erat propensior. Hoc Aristoteles, ut omnibus notum assumit l. 2. c. 7.

Ethicorum ad Eudemium. [b] *Omne involuntarium, violentum videtur, & si violentum sit, etiam acerbum erit, omne scilicet, quod coacti faciunt, aut patiuntur, quemadmodum Evenus inquit, omnem rem necessariam, molestam esse. Itaque si quid molestum, idem etiam violentum erit; & si quid violentum, idem & molestum erit. Quod autem contra cupiditatem est, id omne dolorem infert: Jucundi enim cupiditas est.* Et lib. 3. Ethicorum ad Nicomachum, c. 1. [c] *Qui vi aliquâ coacti, atque inviti agunt, molestè feruut: Qui autem jucundo ad agendum invitantur cum voluptate & jucunde agunt.* Similia docet magnorum Moralium. lib. 1. c. 13.

Ex veritate istâ vel pueris cognitione. & sensu notá consequitur eum, qui solâ formidine pœnæ abstinet à peccato, dolere quod abstineat: invitus enim & coactus abstinet. Itaque cessatio illa dolorem in animo illius causatur, non quod peccatum commiserit, sed quod illud amplius non committat. Metus tamen præponderat, atque ideò invitum & dolentem in peccati cessationem rapit. Utramque propositionem tertiam scilicet & quartam paucis verbis docet & probat Sanctus Thomas in 3. dist. 34. q. 2. art. 2. respons. ad primam quæstionem: *Illud dicitur aliquis facere liberè, quod spontaneâ voluntate facit: illud autem serviliter, ad quod faciendum sibi voluntas deest: facit autem illud coactus ab alio, violentiâ vel metu, & ideò cum tristitiâ, quia omne coactum est contra voluntatem, & triste, ut dicitur in 5. Metaphys. & secundum hoc dicitur aliquis ex libertate spiritus aliquid facere, quia beneplacito suæ voluntatis delectabiliter facit; timore autem servili, quod facit coactus metu pœnæ, & per consequens cum tristitiâ: mallet enim non facere, nisi pœna timeretur.* Itaque qui agit solâ pœnæ formidine, coactus agit & dolens, malletque, si posset impunè, ab actione, quæ imperatur, cessare. Hujus rei origo & fundamentum primum est, pœnæ metum voluntatem non immutare, quod supra multis est demonstratum. Cessans igitur à peccato pro-

b Τὸ γὰρ ἀκούσιον πᾶν δοκεῖ εἶναι βίαιον· τὸ δὲ βίαιον, λυπηρὸν, καὶ πᾶν ὃ ἀναγκαζόμενοι ποιοῦσιν ἢ πάσχουσιν· ὥσπερ καὶ Εὔηνος φησί· πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ. ὥστ' εἴ τι λυπηρὸν, βίαιον, καὶ εἰ βίαιον, λυπηρόν· τὸ δὲ παρὰ τὴν ἐπιθυμίαν πᾶν λυπηρόν. ἡ γὰρ ἐπιθυμία τοῦ ἡδέος.

c Καὶ οἱ μὲν βίᾳ καὶ ἄκοντες πράττουσι, λυπηρῶς· οἱ δὲ διὰ τὸ ἡδὺ, μεθ' ἡδονῆς.

pter pœnæ futuræ timorem, contra voluntatis oblectationem agit, quod dolorem necessariò parit. Nam, ut proposito nostro accommodatè disserit Sanctus Thomas. 1. 2. q. 36. a. 4. *Si aliqua potestas major in tantum invalescat, quod auferat inclinationem voluntatis, vel appetitus sensitivi, ex eâ non sequitur dolor vel tristitia, sed tunc solum sequitur, quando remanet inclinatio appetitus in contrarium.* Sed simul cum illo pœnæ æternæ vel temporalis metu voluntatis inclinatio & delectatio subsistit: planè igitur necessarium est, ut cum dolore à peccato cesset. Potestas autem illa major, quæ voluntatis inclinationem & cupiditatem tollere potest, sola est charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusa; ut jam suprà multis probatum est & nos disertè monet Sanctus Augustinus Epistolâ 144. *Tantum quisque peccare odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* Et capite 1. libri de correptione & gratiâ. *Adjuvat nos, ut declinemus à malo & faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ; quæ si desit, ad hoc lex adest ut reos faciat, & occidat.* His accedit quod *timor servilis ex amore sui*, ut docet Sanctus Thomas. 2. 2. q. 19. art. 6. *Causatur, qui est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni.* Quod argumentum sæpe tractat & urget Sanctus Augustinus, ut timorem illum elevet. Sed de hac quæstione satis superque actum est.

CAPUT OCTAVUM.

Difficultati capite tertio propositæ satisfit. Duæ aliæ proponuntur & dissolvuntur.

EA igitur quæ objecta sunt, facilè diluuntur. Formidine pœnæ cessari potest à peccato externo, quod hominum legibus coercetur: Sed voluntatem, cui inest odium & detestatio, metus ille non afficit: habet enim metus quod aversetur voluntas & refugiat, non quod amet & sequatur. Cum igitur voluntas ante metum ponatur cupiditate ad peccatum trahi, superveniente solo metu, quod amabat, odio non prosequetur, licet ab eo forsan abstineat. Actiones enim cogere potest metus, non affectus. Quâ de re cum supra multis disputatum sit, molestum esset nunc eandem telam retexere. Frequentissimis Patrum exhortationibus abundè satisfactum est. Meritò enim à peccato deterrent homines æternarum pœnarum comminatione, quum ab iis cessationem à peccato plerumque obtineat ista comminatio, & ex illâ cessatione peccandi consuetudo abrumpatur, & benè agendi facilitas quædam in animum introducatur. Deinde est veluti naturale agenti pœnarum timore cum nullâ arte evitari possunt, ad minantis misericordiam confugere, ejusque pedibus advolvi, ut dicitur Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Unde ad hunc effectum respiciens Sanctus Augustinus scribit lib. de spiritu & littera c. 10. *Legem terrendis imponit injustis, ut, cum & in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus, incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum spiritus suavitate justitiæ delectati, pœnam literæ minantis evadant.* Plures sunt istius timoris utilitates à nobis jam expositæ & illustratæ, quarum causa toties ignis æternus peccatoribus terrendis proponitur: quapropter supervacaneum est in his diutius immorari.

Videbitur forsan alicui ob-

jectio ex Concilii Tridentini verbis petita, nodum multo pressius stringere. Ut quid indè elici possit lector facilè cognoscat, Concilii textum ob illius oculos proponemus: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem in habitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.* Contritio illa imperfecta sive Attritio duabus potissimum de causis animis nostris ingeneratur, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarũ metu. De posteriore tantùm causâ verba fecimus, & nunc facimus. Prior enim ad institutum nostrum, de quo hactenus tam multa, non pertinet. Nisi planè cæcus sim oculis & animo, ex Concilii verbis contrarium evidenter colligitur. Dicit enim si Contritio ex pœnarum metu concepta voluntatem peccandi excludat: Contingit igitur aliquando Contritionem illam peccandi voluntatem non excludere. Accidit itaque huic Contritioni, sive Attritioni (nihil enim ad propositum nostrum refert Contritio dicatur vel Attritio, cum de re, non de verbo differamus) peccati exclusio & spes veniæ. Cum ergo utrumque adest animo, id est, & timor Dei, & non amplius peccandi voluntas, posterius juxta mentem Concilii ex priori non fluit necessariò, cum possit abesse, sed ab aliâ causâ, dilectione Dei videlicet, quæ speciali auxilio post istum timorem animis infunditur. Non est igitur illa Contritio imperfecta per se & naturâ suâ sufficiens ad Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ suscipiendum, nisi excludat peccandi voluntatem, & spem veniæ includat. Contritio, quæ illuc usque pervenit, quæ videlicet hominem justificandum ad detestationem peccati & spem veniæ deduxit, ea laudatur à Concilio, & ab hæreticorum calumniis vindicatur.

Antequam ulteriùs hac in causâ progrediamur, objectio, quæ si lectoris animum subeat, ei negotium facescere possit, nobis dissolvenda est. Diximus evidens esse ex verbis Concilii Contritionem, quam vocat imper-

imperfectam, & Attritionem per se & ex naturâ suâ voluntatem peccandi non excludere, nec spem veniæ includere, eo quod hypotheticè Concilium loquatur, *si voluntatem peccandi excludat, &c.* Si argumentum ex hâc loquendi formulâ desumptum necessarium est, ergo nec vera Contritio à Concilio initio ejusdem capitis definita fiduciam divinæ misericordiæ & votum reliqua præstandi, quæ ad Sacramentum suscipiendum requiruntur, necessariò complectetur, cum in eâ explicanda eandem loquendi formulam Concilium usurpet. *Ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum, requiruntur, conjuncta sit.*

Hujus difficultatis enodatio naturalem consequentiæ istius necessitatem illustrabit. Notandum igitur est Contritionem initio capitis à Concilio definitam omni tempore convenire, & peccatori, ut justificetur, semper fuisse, & esse necessariam, ante baptismum, in baptismo, & post baptismum: Ideò Concilium statim datâ illâ definitione subjicit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hìc Contritionis motus necessarius.* Itaque ante legem, sub lege & post Evangelium revelatum ad impetrandam veniam peccatorum necessaria fuit atque est ea Contritio, quæ est animi dolor ac detestatio peccati commissi, cum proposito non peccandi de cætero. Hoc dicto Concilium explicat quid speciale præter Contritionem illam sit homini post baptismum lapso præstitu necessarium ad peccati veniam impetrandam: Statim enim sequitur in textu, *Et in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ, &c.* Contritioni igitur, quæ perpetuo ad veniam impetrandam necessaria est, accidit id, quod in textu Concilii continuo sequitur, ut veniam homini post baptismum lapso impetrare possit. Ergo ad substantiam ejus non pertinet. Quis enim votum confitendi, pro peccatis satisfaciendi, & absolutionem à sacerdote accipiendi, Contritioni ad baptismum suscipiendum requisitæ, ut tempus ante legem & sub lege prætercam, necessarium esse docuit aliquando? Est igitur manifestissimum vel ex ipsa objectione, hypotheticam hanc propositionem accessorium attributum de sub-

jecto enuntiare. Hoc nos sigillatim docet cap. 14. sess. 6. *Docendum est Christiani hominis pœnitentiam multò aliam esse à baptismali.* Quo verò discrimine ab eâ differt? *Eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum.* Hæc sunt necessaria omni Contritioni: postea docet, quid sit homini lapso justificando specialiter præter hanc Contritionem necessarium, quod ab aliis, saltem secundùm omnia, non requiritur. *Verum etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, &c.* Scribit igitur Concilium Contritionem à se definitam hominem post baptismum lapsum ita demum præparare ad remissionem peccatorum, si quæ enumerata sunt, aut saltem eorum votum conjunctum habeat: quia hæc Contritioni in sese & generaliter consideratæ accidunt: Contritioni verò hominem post baptismum lapsum ad justificationem præparanti substantialiter inhærent.

Difficultas tamen cieri aliqua potest de fiduciâ divinæ misericordiæ. Jungit enim Concilium fiduciam illam cum confessione, absolutione & satisfactione. Certum est autem confessionem &c. non requiri ad Contritionem baptismo suscipiendo necessariam, sed de fiduciâ divinæ misericordiæ id nullo modo dici potest. Non minus enim baptizandis fiducia illa necessaria est, quam post baptismum lapsis. Quâ ratione igitur Patres ista conjungunt velut lapso justificando specialiter necessaria? Respondeo fiduciam illam divinæ misericordiæ, quam in lapso justificando specialiter requirit Concilium, ab eâ, quæ à baptizando postulatur, diversam esse. Confidere enim debet post baptismum lapsus, tam ingentem & effusam esse Dei misericordiam, ut ipsi ingratitudinem condonaturus sit, quâ gratiam baptismo concessam ludibrio habuit, injurius fuit & contumeliosus Spiritui Sancto, ipsius templum violavit, & sanguinem fœderis evangelici, quo redempti sumus, pedibus conculcavit. Nihil autem horum sibi proponit baptizandus; quia nihil horum commisit. Ideò longè graviora, & condonatu difficiliora semper existimavit Ecclesia peccata post baptismum, quàm ante baptismum commissa. Hujus rei rationes hic prætermit-

timus quia in his explicandis, adorandoque hoc Christianæ Religionis mysterio enarrando integrum ferè hujus operis librum tertium impendimus. Longè igitur alia & major debet esse lapsi, quàm baptizandi de divinâ misericordiâ fiducia. Adeo sibi de divinâ misericordiâ diffidebant Montanistæ, Novatiani & alii, ut crimina post baptismum commissa dicerent Ecclesiam remittere non posse, & scriberet sanctus Paulus id esse impossibile, hoc est, ut interpretantur Doctores Catholici, difficillimum. Lapsis igitur post baptismum specialis fiducia de Dei misericordiâ necessaria est, quæ à baptizandis non exigitur, ad quam Concilium loco citato respexit.

CAPUT NONUM.

Concilii Tridentini mens circa timorem servilem exponitur, & ejus doctrina cum verbis Lutheri quæ condemnavit commissa illustratur. Paucula dubia expenduntur.

SACRI Concilii Tridentini propositum in eo decreto cap. 4. sess. 14. evidentissimè fulgebit, si hæreticorū Sententiam, quam ibi damnat, explicaverimus. Respicit Concilium ad doctrinam, quam Lutherus initio perversionis suæ magnâ animi contentione docuit, in sermone quem de pœnitentia edidit, operumque ejus tom. 1. legitur, idque repetivit in epistolâ ad Joannem Stupicium ordinis sui vicarium, & aliis locis. Erat autem ejusmodi: *Contritio*, inquit, *duplici via paratur: Primò per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, multitudinem, fœditatem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem.* His verbis explicata primâ illâ ad contritionem viâ, sic statim in eam pronuntiat: *Hæc autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.* Et paulò

post: *Imò quo magis timore pœnæ & dolore damni sic conterun- tur, eò magis peccant.*

Explicatâ & sic damnatâ priore contritionis parandæ viâ, posteriorem aggreditur, *Secundò paratur per intuitum & contemplationem speciosissimæ justitiæ, quâ quis in pulchritudine & specie justitiæ meditatus, in eam ardescit & rapitur &c. Hæc facit verè pœnitentem, quia amore justitiæ id facit, & hi sunt digni absolutione.* Contritionem sic ortam solam amplectitur Lutherus, quia, ut ipse putat, omnia sunt in eâ dulcia, suavia, jucunda, nullo labore, nullâ cum tristitiâ: hinc homo justificatur. Post nonnulla enim sic differit: *Ratio omnium prædictorum est: impossibile est ut odias aliquid vero odio & perfecto, cujus contrarium non priùs dilexeris. Amor semper est prior odio, & odium naturâ & sponte fluit ex amore, & sic nascitur zelus, qui est iratus amor, id est, odium mali propter bonum. Sic odium peccati & detestatio vitæ præteritæ nullâ curâ, nullo labore quæsita, veniunt suâ sponte: Alioqui perversissimo ordine & nunquam profuturo studio, quæritur amor justitiæ per odium peccati: imò machina desperationis & dejiciendi animi est talis perversitas. Pœnitentia enim debet esse dulcis, & ex dulcedine in iram descendere ad odium peccati &c.* Ita ex vero principio perperam Philosophatur hæresiarcha, ut omnem ab Evangelio peccatorum satisfactionem explodat.

Nunc igitur, ut unde digressa est, eo redeat oratio in posteriore contritionis parandæ viâ laudandâ non errat Lutherus, sed in priore condemnanda. Nonnunquam enim, licet rarius, contritio solius amoris germen est, ut docet Guilelmus Episcopus Parisiensis c. 6. de pœnit. Episcopus Roffenisis initio confutationis artic. 6. Lutherani, docentque cum eo cæteri Theologi. Ideò Leo decimus Pontifex in Bulla, quam edidit anno 1520. adversus nascentes Lutheri hæreses, quæ tomis Conciliorum infine Concilii Lateranensis inferitur, repetitis Lutheri verbis, quæ de priore contritionis parandæ via retulimus, ea sola damnat. Eandem damnationem repetit Concilium iis verbis, de quibus controvertitur, ut nemini legenti ignotum esse potest, & rursum apparet manifestissime ex can. 5. qui ex hoc capite eductus est. *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ*

quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem &c. Anathema sit. Propositum igitur Concilii est Lutheri Sententiam damnare, quæ motum Contritionis imperfectæ sive attritionis, quia à minis & terroribus oritur, ut hypocriticum & ad peccata semper impellentem absolutè damnat.

Contra verò edicit motum illum bonum esse & utilem; utiliter eo ad veram pœnitentiam & contritionem peccatores concuti. Nihil amplius in Lutheri sententiâ reprehendunt Leo Pontifex & Concilium. Negavit quidem in eodem sermone & alibi sæpius ex eo timore peccandi voluntatem excludi, imò eam necessariò includi voluit. Quapropter hanc imperfectam Contritionem sive Attritionem ut impiam absolutè damnabat Lutherus. Verùm Concilium, cum eam Sententiam condemnat, tantum abest, ut ex eâ attritione sive formidine pœnæ voluntatem peccandi dicat excludi, licet ex materiâ subjectâ hujus assertionis nasceretur occasio, ut apertè illius contradicentem doceat & tueatur, ex eâ scilicet attritione voluntatē non peccandi necessariò non sequi, cum scribit hypotheticè, *Si voluntatem peccandi excludat &c.* Quod capite præcedente multis persecuti sumus.

Notabit Lector obiter verba Lutheri, quæ post Concilium, & Leonem Pontificem attulimus. *Hæc autem Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.* Hæc immediatè sequi, *quia solùm timore præcepti & dolore damni id facit, & tales omnes indignè absolvuntur, & communicantur.* Quæ Concilium prorsus præterit, licet Contritionem ex solo pœnarum timore ortam adversus eum ut bonam & utilem tueatur. Quamobrem verò ista prætertio? In promptu ratio est: Quamvis ejusmodi Contritio imperfecta bona sit & utilis, utpotè via & gradus ad veram Contritionem, falsissimumque sit eam ad peccatum nos vehementius provocare; reverâ tamen quamdiu formidinis pœnæ metas non transilit, insufficiens est dispositio ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ ritè

& immediatè suscipiendam: ideo Concilium addit, *si voluntatem peccandi excludat, &c.*

Duo igitur adversus Lutherum decernunt Patres, Prius, assertionis Lutheranæ contradictoriam: Contritionem ex eo solo motivo ortam non facere hominem hypocritam, atque, ut aiebat, magis peccatorem: Est enim in se bonus ille timor & utilis, ut tam multis supra demonstratum est. Posterius est, si huic timori & Contritioni imperfectæ adjungatur voluntas & propositum cessandi à peccato cum spe veniæ, Contritionem illam imperfectam non tantum donum esse Dei & Spiritus Sancti impulsum, sed etiam sufficientem justificationis præparationem; tantùm abesse, sicut docebat Lutherus, ut hominem faceret hypocritam, & magis peccatorem. Est igitur planè evidens ex illo timore pœnæ peccati odium & detestationem juxta Concilii mentem necessariò non consequi.

Concilii verba, quæ sequuntur, idem confirmant: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Timor igitur ille pœnitentiam & animi conversionem præcedit, est que ad pœnitentiam stimulus, quâ conversione misericordia Dei impetratur. Præcedit igitur gehennæ timor, succedit pœnitentia, quâ Dei gratia impetratur. Neque ad Dei gratiam impetrandam sufficit ille timor, nisi animi ad Deum conversio sequatur. Subjungit Concilium: *Quamobrem falsò quidem calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit.* Ex antecedentibus colligunt Patres Sacramentum pœnitentiæ sine bono suscipientium motu gratiam non conferre, sive non justificare, quod evidenter ex antecedentibus consequitur. Nam motus animi, qui non est solum timor gehennæ, sed est ejusmodi timor, quem comitantur odium peccati, spes misericordiæ Dei & propositum melioris vitæ, à nemine sanæ mentis negari potest bonus esse animi motus, quidquid sit de hoc servili pœnarum timore. Sed Contritio necessaria justificationi in Sacramento pœnitentiæ est timor sive animi motus, cui hæc omnia sunt adjuncta, ut docent omnes Doctores Catholici, & semper Ecclesia docuit, non autem

nudus & simplex gehennæ & suppliciorum timor. Ergo Contritio justificationi necessaria in Sacramento pœnitentiæ secundum omnes Catholicos Doctores est bonus animi motus. Ex quo evidentissimè elucet Lutheri calumnia blasphemantis Ecclesiam docere homines sine bono animi motu justificari, licet id, quod de Contritione ex solâ formidine pœnæ ortâ impiè affirmat, verum esset.

Denique addit Concilium in eo Decreto: *Sed & falsò docent, Contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.* Occasio istius calumniæ à Luthero prætexta hæc erat. Quod solo supplicii timore fit, illud est extortum & coactum. Sed Contritio, quam Catholici docent sufficientem esse præparationem ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ suscipiendam, solo pœnarum timore concipitur. Est igitur extorta & coacta. Prima propositio lumine naturali certa videtur. Verùm docent Patres, id, quod assumitur, calumniam esse, Contritionem scilicet justificationi obtinendæ necessariam ex solo pœnarum timore concipi, imò liberam esse & voluntariam. Quo autem argumento id docent Patres? Conclusio est ex doctrina antecedente collecta: Catholicos scilicet non docere Contritionem imperfectam sive Attritionem, quæ ex solâ pœnarum formidine nascitur ad justificationem nos sufficienter præparare, sed Contritionem illam imperfectam tum demum esse sufficientem, cum ei hæc sunt conjuncta, voluntas non peccandi & spes veniæ, hoc est, cum ad veræ Contritionis initio ejusdem capitis à Concilio definitæ naturam & dignitatem pervenit. Cum igitur evidentissimum sit spem veniæ esse liberam, & voluntatem non peccandi saltem esse voluntariam & non coactam, evidentissimum quoque est, Contritionem, quâ dicunt Catholici peccatores ad justificationem disponi, liberam esse & voluntariam, & quidquid garriunt hæretici de Contritione extortâ & coactâ, putidam esse calumniam. Manifestum est igitur Concilium Tridentinum non modo clarè docere eo capite voluntatem non peccandi, propositum melioris vitæ, & spem veniæ ex solo timore gehennæ non emanare, verùm etiam singulis ferè ejusdem capitis periodis id vel expressè pronuntiare, vel sermoni suo supponere.

Negotium fortè facesset alicui, quod in articulo Lutheri damnato inter cætera formandæ Contritionis media, peccati detestatio legitur, quod etiam in canone quinto Tridentino repetitur. Verùm si Lutheri mens attenditur, nullâ difficultatis umbrâ negotium obscuratur. Detestationem enim intelligit, non aversionem & odium peccatorum, quæ ex amore justitiæ nascuntur, sed dolorem animi, quo quis in peccatum excandescit, velut in mali & infortunii sui occasionem. Ejusmodi autem dolor solitarius exteriorem peccati actum coercere potest, voluntatem autem non mutat, imò dolet maximè quod formidine pœnæ à peccato impediatur. Lutheri mentem non fingo; ipse ita eodem loco statim post verba articuli condemnata sese explicat: *Si liberè deberent remoto præcepto & minis pœnarum confiteri, certè dicerent sibi non displicere eam vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri.* Per detestationem igitur peccati voluntatis mutationem non intellexit Lutherus, nec igitur Concilium ejus verba mentemque condemnans. Cùm autem hæc in peccatum detestatio sive excandescentia dolorem animo pariat, Lutherus, qui initio perversionis suæ omnem à Contritione dolorem explodebat, detestationem illam peccati à Contritione, quam sibi animo fingebat longè submovebat.

CAPUT DECIMUM.

Concilium Tridentinum non modo non sancivit dolorem ex solo pœnarum terrore ortum justificationi sufficienter præparare, sed etiam hoc asserentibus Anathema dixit. Lutheri variæ sententiæ, quarum posteriorem Discipuli amplexi sunt; terroribus conscientiæ incussis & fide in Christum pœnitentiam constare. Placuit hæc Calvino & Calvinianis sententia. Decretum Tridentinum & canon. 4. de pœnitentia conciliantur: quorum altero terrores ex pœnarum minis incussi, partes pœnitentiæ dici, altero negari videntur.

SACRUM Concilium Tridentinum adeò abhorruit ab eâ sententiâ asserendâ, attritionem ex solo pœnarum timore conceptam homines ad justificationem sufficienter præparare, ut eam non modo decreto suo improbaverit, sed etiam in canonibus Anathema iis dixerit, qui eam ita amplecterentur, ut Contritionis, quam explicaverat, necessitatem tollerent. Ita enim decernit in fine c. 3. sessionis ejusdem 14. *Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.* Lutheranorum errorem damnat, qui Contritionem solâ pœnarum formidine metiebantur, eamque, licet ut sic voluntatem peccandi non excluderet, spemque veniæ non includeret, priorem tamen pœnitentiæ partem statuebant, sufficereque docebant, accedente fide ex Evangelii prædicatione, quæ illis absolutionis vice fungitur ad impii justificationem. Hinc fidem posteriorem pœnitentiæ partem asserebant, quæ cum ejusmodi Contritione integram peccatorum remissionem præstaret. Non tantum hoc loco negat Concilium Contritionem ex ejusmodi gehennæ timore emergentem pœniten-

tiæ esse partem, verùm etiam can. 4. ejusdem sessionis qui ex hoc capite desumptus est, anathema dicit iis, qui hoc sensu jam explicato affirmaverint.

Ut lector funditùs hæc intelligat, monendus est Lutherum initio perversionis suæ, ut capite præcedente adnotatum est, docuisse Contritionem ex timore gehennæ, fœditate peccati, & amissione rerum æternarum, esse malam, hypocriticam, peccatique incentivum. Hanc sententiam improbavit Concilium c. 4. & Anathemate percussit can. 5. In eâ sententiâ non diu stetit Lutherus, ut ex locis ex commentario in Epistolam ad Galatas, & multis aliis constare potest. Magistri sententiam posteriorem ut consultiorem discipuli omnes amplexi sunt, prioremque ita aversati, ut eam à magistro suo assertam fuisse negaverint, ut Kemnitius parte 2. Exam. ad cap. 4. sess. 14. Sed istius sententiæ magistrum & discipulos tandem puduisse nobis nunc satis superque est. Dicunt igitur Contritionem illam ut jam dictum est formatam, non modo utilem esse, verum etiam priorem esse pœnitentiæ partem: cui si fides in Christum accedat, quâ desperatio, in quam timor ille sollicitat, frænatur & fugatur, tum verè per eam justificatur homo, hoc est, secundum ipsorum doctrinam, justitia Christi per fidem ab eo apprehensa illi imputatur. Hanc doctrinam tradidit alterum Lutheranæ fidei Symbolum, Confessio scilicet Augustana art. 12. *Pœnitentia, hoc est, conversio impii constat propriè ex duabus partibus, quarum altera est contritio, id est, terrores incussi conscientiæ agnito peccato &c. Altera pars est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu absolutione, & credit propter christum remitti peccata &c.*

Tradit quoque Philippus Melancthon Lutheri fidus Achates, ut legere est in locis communibus Theologicis capitibus de pœnitentiâ, & de contritione, & de fide; ad quæ loca respexit Concilium Tridentinum, quum hæresim illam damnavit. Sic igitur Philippus in cap. de pœnitentiâ. *Voco pœnitentiam, ut in Ecclesiâ loquimur, conversionem ad Deum, & hujus conversionis partes, seu diversos motus, docendi causâ discerno. Dico partes esse contritionem & fidem.* Nunc audiamus quid per contritionem & fidem intelligat. cap. de contritione. Est enim id quod potissimum quærimus. *Vocamus*,

inquit, *Contritionem, pavores conscientiæ agnoscentis iram Dei adversus nostra peccata, & dolentis propter peccatum.* Et initio Capitis de fide: *Sed ad contritionem, hoc est, ad hos terrores necesse est accedere consolationem, scilicet fidem, quæ statuat nobis remitti peccata propter filium Dei, & tantæ misericordiæ agnitione rursus erigat nos, ne oppressi desperatione ruamus in æternum exitium. Nisi enim accederet fides, contritio fieret mors æterna.* Et paulò post, *Multi hic disputant quod sit discrimen contritionis Petri & Judæ, Davidis & Saulis, & sunt spinosæ disputationes, de amore justitiæ & timore pœnæ, sed hoc discrimen planum & illustre est. Ad contritionem Judæ non accessit fides, ideò oppressus terroribus ruit in æternum exitium. è contra ad contritionem Petri accessit fides, ideò revixit ex suis ingentibus doloribus.* Lutherana igitur Contritio solos terrores & pavores complectitur gehennæ scilicet ignis, iræque Dei judicis severissimè peccata punientis formidinem, malorum etiam & calamitatum temporalium, quæ nobis in hac vitâ Deus propter peccata infligit, apprehensionem. Articulatim mala æterna & temporalia enumerat Melancthon, quorum terror in animis Contritionem gignit, quibus & ipsa Dei beneficia accenset, quatenus eorum consideratio ingratitudinem nostram auget, & consequenter jam aliàs incussum terrorem ingeminat.

Eadem prorsus habet. Chemnitius parte 2. Examinis, initio examinis de pœnitentiâ, nec aliam agnoscunt Lutherani Contritionem justificationi per fidem necessariam. Evidentiùs sese explicat Chemnitius, ubi examinat cap. 3. sess. 14. & can. 4. de quo agimus, qui anathema dicit iis, qui terrores conscientiæ incussos ex agnito peccato & fidem ex Evangelio conceptam partes esse volunt pœnitentiæ. Agnoscit enim hanc esse suam & suorũ doctrinam, acriterque in Tridentinos patres invehitur quod doctrinam tam evidentem & necessariam damnat. *Concilium, &c. sonorâ voce profitetur se damnare eorum Sententiam, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt. Et terrores quidem à Deo voce legis conscientiæ incussos ideo nolunt esse partem pœnitentiæ, quia contritionem volunt esse dolorem voluntariè pro peccatis tanquam vindictam assumptum.* Paulò ante fundamentum duarum istarum partium in officio legis

& Evangelii statuerat, quod lex monstret peccatum, incutiat terrorem iræ Dei & peccati detestationem. Evangelium verò per legem contritis Christi meritum per fidem apprehendendũ ostendat &c. *Ita juxta scripturam, ut pœnitentiâ consequamur reconciliationem, requiritur in pœnitente contritio, & fides apprehendens meritum Christi: fructus verò post reconciliationem sequuntur.* Per contritionem autem nihil aliud intelligit, quàm id, quod Concilium explicat, terrores conscientiæ incussos ex agnitione peccati & pœnarum quas meretur, ut ex toto sermonis contextu colligitur. v.g. ex ipso initio examinis cap. 4. & can. 5. ubi ad Contritionem sex conditiones requirit. *Quintam, hæc vero agnitio, hic pavor & dolor excitat & urget conscientiam, ut cogitet & quærat, an & quo modo effugere possit iram Dei, & judicium damnationis, sicut Baptista inquit: Quis submonstravit vobis fugere à venturâ irâ. Sextam, ad hos terrores necesse est accedere consolationem, fidem scilicet &c. Nisi enim hæc fides accedat, contritio est fuga Dei & fremitus adversus Deum, quibus tandem ruitur in æternum exitium. Et hic gradus discrimen facit inter contritionem Petri & Judæ.*

Lutherana ista contritio est etiam Calviniana, plurimùm enim Calvino arridet. Sic de eâ loquitur c. 3. lib. 3. Institut. sect. 3. *De pœnitentiâ docti quidam viri &c. dixerunt constare duabus partibus, mortificatione, & vivificatione. Mortificationem interpretantur animæ dolorem & terrorem ex agnitione peccati, & sensu judicii Dei conceptum. Ubi enim quis in veram peccati cognitionem adductus est, tùm verè peccatum odisse, & execrari incipit, tùm sibi ipsi animo displicet, miserum se & perditum fatetur &c. Tum verò perculsus & consternatus jacet, humiliatus ac dejectus tremit, animum despondet, desperat. Hæc prior pœnitentiæ pars, quam vulgò contritionem dixerunt. Vivificationem interperetantur, consolationem quæ ex fide nascitur &c.* Per viros doctos Melanctonem præsertim intelligit Calvinus, qui ista scribit in Apologiâ, quam pro Confessione Augustanâ edidit. Odium verò illud peccati, de quo Calvinus, non spectat peccatum, qua æternæ legi contrarium est, quod ex amore æternæ legis & justitiæ oritur, sed quâ pœnam æternam infert, atque ideò peccator, ut ait, consternatus tremit, animum despondet ac desperat; verum fide super-

veniente, *Sese erigit, respirat, animum colligit, & velut è morte in vitam redit.* Manet idcirco, non obstante hoc odio, hominis voluntas impia, & peccati cupiditatibus sese oblectans. Hos terrorum effectus egregiè describit Lutherus in cap. 3. ad Galatas, ad hæc verba: *Antequam veniret fides, &c. Talis est etiam vis legis & justitia ex lege, cogens nos æternè esse bonos, dum minatur pœnam & supplicium transgressoribus: Ibi obtemperamus quidem legi timore pœnæ, sed inviti & maximè indignantes. Qualis autem hæc justitia est, si coactus formidine pœnæ malum omittis? &c. Interim tamen hoc commodi habet lex, ut maximè corda maneant impia, ut primùm externè & civiliter coerceat aliquo modo fures, homicidas & palam improbos, &c. Interim tamen mallent nullam legem, nullam pœnam, nullum infernum, denique nullum Deum esse. Si Deus non haberet infernum, nec malos puniret, amarent & laudarent eum omnes. Quia verò malos punit, & omnes mali sunt. Ideò quatenus sub lege concluduntur, non possunt non odisse & extremè blasphemare Deum.*

Diverso modo ex suâ & aliorum sententiâ pœnitentiæ partes describit Calvinus Inst. l. 3. c. 3. sect. 4. Duplicem constituit pœnitentiam legalem & Evangelicam. *Legalem, quâ peccator peccati cauterio vulneratus, & terrore iræ Dei attritus, in eâ perturbatione constrictus hæret, nec se explicare potest. Evangelicam alteram, quâ peccator graviter quidem apud se afflictus, altius tamen emergit, & Christum vulneris sui medicinam, terroris consolationem, miseriæ portum apprehendit.* Prioris pœnitentiæ exempla profert Cain, Saul & Judam: Posterioris Ezechiam, Ninivitas, Davidem & alios. Verbis hæc explicatio à priore differt, sensu est eadem. Verbis autem & sensu ad Lutheranam proximè accedit. Interest autem inter Calvinianos & Lutheranos, quod hi absolutionis & Confessionis quandam umbram conservatunt, quâ absolutione contritis ejusmodi peccata propter fidem in Christum condonari asseverant; Illi verò omni confessionis & absolutionis umbrâ explosâ solum prædicationis sive exhortationis publicæ & privatæ ministerium sibi reliquum fecerunt.

Ea, quæ hactenùs de istâ hæreticorum sententiâ diximus, neminem dubitare sinunt eam in decreto Concilii allegato notatam esse & condemnatam. Licet autem Concilium

iſtam ſententiam in omnibus illis hæreticis damnet, ſpecialiter tamen Confeſſionis Auguſtanæ & Melanchonis ſententiam verbaque ſpectavit, cum ea in ſuum Decretum, atque etiam in Canonem condemnanda traduxerit. Hinc neceſſariâ planè conſequentiâ colligitur, Concilium abhorruiſſe ab eâ ſententiâ, quæ affirmat, Contritionem, quæ ſolo pœnarum timore concipitur, voluntatem peccandi per ſeſe excludere, & ſpem veniæ neceſſariò complecti. Nam Contritio, quæ voluntatem peccandi excludit, & ſpem veniæ complectitur, eſt vera pars pœnitentiæ, quum omnia contineat, quæ ad veram Contritionem formandam Concilium poſtulat. Sed ea Contritio, quæ procedit ex ſolo terrore pœnarum conſcientiæ incuſſo, nullùmque aliud habet motivum, non eſt pars pœnitentiæ, ut docet Concilium adverſus hæreticos id aſſerentes. Contritio igitur ejuſmodi voluntatem peccandi ex Concilii ſententiâ non excludit, nec ſpem veniæ includit.

Notabit Lector, cum hoc capite negat Concilium terrores conſcientiæ incuſſos & fidem partes eſſe pœnitentiæ, non ideò negare iſta ad Contritionem formandã concurrere. Id enim capite ſequenti non modò diſertiſſimè docet, verum etiam contrariam ſententiam apertè damnat: Sed hoc negat eo ſenſu, quo ab hæreticis docetur, nempe Contritionem ex his ſolis terroribus conſtantem veram eſſe Contritionem, & pœnitentiæ partem, quæ ad juſtificationem poſtea conſequendam nos ſufficienter diſponat. Deinde quod ad fidem ſpectat, negat fidem, licet quoque ad Contritionem & pœnitentiam eliciendam neceſſaria ſit, alteram eſſe pœnitentiæ partem, quâ Contritioni ex ſolis pœnarum terroribus conceptæ accedente, peccator verè & reapsè juſtificatur: Hoc enim falſiſſimum eſt, & univerſam juſtificationis divinæ œconomiam à Scripturâ & Patribus nobis traditam funditùs evertit. Contritio enim ejuſmodi, quam ſolam agnoſcunt hæretici, & Concilium imperfectam vocat, & Attritionem dici notat, licet bona ſit & utilis, pœnitentiæ pars non eſt, ſed ad veram Contritionem producendam, ut jam fusè explicatum eſt, occaſio, via, ſtimulus. Quâ verò ratione Contritio iſta pœnitentiæ pars dici poſſet, cum in perfectâ pœnitentiâ nulla ſit

ejusmodi Contritio? Et si perfecta non est, quo perfectior est, eo Contritionis istius inanior. Fides quoque, licet sine eâ pœnitentia nulla sit, pœnitentię pars dici non debet; alioquin minutatim sic dividendo quæ ad pœnitentiam concurrunt, innumeræ istius Sacramenti partes constituetentur.

Non videtur prætereunda difficultas, quę ex comparatione decreti jam citati cum canone 4. exurgit. Docet enim concilium in fine illius decreti, ut jam dictum est, incussos conscientiæ terrores & fidem non esse partes Pœnitentiæ. Verùm canone 4. id fatetur & approbat. *Si quis &c. dixerit duas tantùm pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.* Concilium igitur eo Canone illa duo fatetur esse pœnitentiæ partes, cum Anathema dicat iis, qui illas duas tantùm agnoverint. Jam diximus duas illas pœnitentiæ Lutheranæ partes reverà ad pœnitentiam spectare, cum prior, Contritio scilicet Lutherana, sæpissimè; posterior, fides nempè semper ad eam ex animis nostris eliciendam concurrat. Possunt igitur quodammodo partes dici pœnitentiæ, eo quod ad eam pertineant. Verùm id contra rectam rationem & Ecclesiæ praxim dicitur, ideò in Concilii decreto damnatur. Quamvis autem id sit absurdum, & meritò damnatum, non est tamen tantæ absurditatis, ut asserenti, modò absit Ecclesiæ contemptus, Anathema sit infligendum. In Canone autem longè absurdior sententia anathemate percutitur, ea nempè, quæ sic affirmat, Contritionem solo timore pœnarum constantem, & fidem, esse pœnitentiæ partes, ut veram Contritionem, quæ amorem justitiæ, & eum consequens odium peccati propter Deum complectitur, à necessariis pœnitentiæ partibus excludat. Confessionem omitto, quia Lutherani, quos præsertim hic damnat Concilium, eam admittunt: Errores verò, quos in eâ administrandâ committunt, non hic, sed aliis in Decretis & Canonibus, meritis censuris inurunt. Nulla est itaque Canonis cum Decreto contradictio, cum Canon longè diversam à Decreto sententiam condemnet.

CAPUT UNDECIMUM.

Sensus Concilii Tridentini Lutherum damnantis ex Ruardo Tappero, ex Episcopo Roffensi, Andrea Vega, &c. eruitur & confirmatur. Hujus vacillans doctrina discutitur, & ad sententiam de Contritionis necessitate reducitur.

CONCILII mentem verborumque ejus sensum quem exposuimus non aliter magis perspectum habere possumus, quàm ex eorum scriptis, qui vel Lutherum oppugnarunt vel Concilio ipsi interfuerunt. Hos inter eminet Ruardus Tapperus Academiæ Lovaniensis Cancellarius, qui ante annos 90. adversus Lutherum de hac materiâ scribebat, qui quartum articulum eorum, quos ut Catholicos Lutheranis opponit, sic effert: ut interpretationem nostram commendet plurimum. *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi & satisficiendi: Non autem, (ut quidam hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem.* Intelligebat enim veram Contritionem, quæ peccatorem ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ suscipiendum sufficienter disponit, ab eâ quæ ex solo suppliciorum & pœnarum timore constat, hoc est, à Contritione Lutheranâ plurimum differre.

Ita quoque sanctus Martyr Episcopus Roffensis adversus Lutheri articulos scribens rem ipsam intellexit. Sic enim ad articulum sextum, in quo de Contritione ex terroribus ortâ verba facit: *Fides ob oculos peccatori statuit gravitatem, multitudinem, fœditatem suorum scelerum, præsentat æternos gehennæ cruciatus, quos & omninò videre facit, nisi resipiscat, effugere se non posse &c. Hæc haud dubiè collectio citra charitatem fieri potest, quæ si cordis aliquem motum excitet ad detestanda peccata, quod fieri plerum-*

que

que compertissimum est, jam factus est quasi gradus quidam quo peccator propius ad culmen veræ contritionis accessit. Et profecto rationi consentaneum est, ut qui tam longè positus ante fuerat à salute, non repentè, sed paulatim & quasi gradibus quibusdam ad eam revertentur. Rectè docet hanc collectionem sine charitate fieri posse; esse tamen ad veram contritionem obtinendam gradum quemdam & accessionem, & plerumque ad peccatorum detestationem excitare: nonnunquam enim ex eo id non consequitur.

Andreas Vega unus è primariis Theologis, qui Concilio Tridentino adfuerunt, lib. 13. in quo explicat c. 14. Concilii Tridentini, quod est de lapsis & eorum reparatione, multis contendit c. 17. adversus Lutherum, odium & detestationem peccati ad remissionem peccatorum necessariò requiri, cessationemque & novæ vitæ inchoationem non sufficere, hæcque ex illis non necessariò consequi. Si cessationem à peccato, vitæque novæ inchoationem peccati odium & detestatio necessariò non consequuntur, multò minus erunt formidinis pœnæ comites indivulsi. In celebris hujus Theologi verbis citandis & enarrandis tantisper immorabimur, eo quod hujus sententiæ, quam persequimur, non modò testimonia, sed etiam rationes complectantur. In Lutherum igitur sic disputat. *Sed quæ, rogo te, Luthere, nova vitæ inchoatio potest esse, ubi nulla subest antiquæ displicentia? &c. Quomodo ad eum, qui ultra nos & supra nos est, venire & appropinquare possumus, nisi à nobis ipsis deficiamus, & nos ipsos per cordis Contritionem ei mactemus? &c. Natura & nostra & affectuum nostrorum hæc est, ut tamdiu nobis hæreant, quæ semel placuerunt, quamdiu nullo ab eis odio aut displicentiâ dimovemur.* Atqui experientiâ certum est, adulteros, (idem judicium est de vitiis omnibus quibus homines delectantur) formidine pœnæ adulterandi animum non deponere, licet ab adulterio plerumque cessent: quia, ut jam demonstratum est, pœnæ formido actuum à voluntate imperatorum exercitium suspendere potest, non autem voluntatem ipsam sola immutare. Paulò post docet & probat propositum vitæ melioris non sufficere, dictique rationem egregiam reddit: *Non satis est profectò ad veram mutationem priorum affectuum, longe alios in futurum habere. Nam*

vera mutatio transitus est ab uno in alterum contrarium: nulla vero contrarietas est inter complacentiam anteacti alicujus peccati, & propositum non illud committendi in futurum. Nam contraria sibi invicem repugnant, & se mutuò expellunt: Hæc autem passim stant simul, &c. Neque reconciliari cuipiam possumus, nisi nobis, quam ei intulimus, offensa displiceat. Quâ igitur fronte Dei gratiam quis ambiat, quo pudore in illius gratiam reverti postulet, si non ante omnia acerbum & amarum ei sit, ipsum reliquisse, in ipsum peccasse, ipsique perfidum & ingratum extitisse? Si propositum vitæ melioris prioris odium non inducit, & anteacti peccati complacentia cum proposito illud in futurum non committendi stare potest, stabit multò magis cum formidine pœnæ peccati antecedentis delectatio; illiusque odium, pœnæ futuræ formido in voluntatem non inducet.

Eodem tendunt sequentia argumenta, quibus in Lutheri dogma disputat, necessariò scilicet odio esse habenda propter Deum offensum peccata commissa, antequam in ipsius gratiam redire possimus, ut allato ex psalmo 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c.* subjicit. *Ut discerent videlicet, qui verè discipuli ipsius essent, cum spiritu contrito & gemitu cordis ad baptismum venire. Quod si ad baptismum hic dolor de peccatis necessarius est, multò magis requiretur ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & reparationem lapsi, &c.* Idem evincunt omnia quæ sequuntur in eandem rem ex Patribus collecta argumenta. Multa cap. 21. ejusdem libri his similia leguntur.

Idem autor lib. 6. ubi explicat doctrinam Concilii Tridentini de præparatione adultorum ad justificationem per baptismum, hæc habet evidentissima c. 28. Primum est capitis titulus, *Dilectio Dei ad justitiam disponit, & illam antecedit.* Propositionem istam toto capite demonstrat, sicque incipit: *Quarto loco commemorarunt Patres inter dispositiones ad justitiam, dilectionem Dei ut fontis omnis justitiæ, & eam causam esse asseverarunt odii & detestationis peccatorum, &c. Et naturâ sic comparatum est, ut spes dilectionem generet, & eos continenter diligamus, quos in nos benignos fore confidimus.* Odii igitur & detestationis peccatorum, quibus delectamur, causa est dilectio justitiæ non formido pœnæ: Similiter dilectionis causa, non formidò pœnæ, sed spes veniæ, ut suprà demonstratum. Postea

de Sancto Augustino sic refert: *Absurdum existimat ut sine amore Dei quis consequatur veniam suorum peccatorum : & in libro de verâ & falsa pœnitentiâ, si tamen ipsius est, apertè dicit, sine charitate non esse in nobis veram pœnitentiam.* Et paulò post *Si pœnitentia & propositum servandi mandata divina, dispositiones sunt ad justitiam, ut paulò inferiùs probabimus, erit & dilectio Dei, quandoquidem & hæc, dilectio quædam Dei sunt, aut certè non sunt sine illâ.* Deinde toto capite sequente adversus hæreticos agit, qui contendunt, *Dilectionem Dei super omnia non disponere ad justitiam, sed eam consequi. Et capitis 30. titulus est : Justificari posse homines absque dilectione Dei super omnia, non tamen absque dilectione Dei.*

Quanquam hæc sint evidentissima, remque aliter fieri nullo modo posse demonstrent, aliquantulum tamen variasse videtur Vega, & rationum, quibus incumbebat, tantisper oblitus. Cum enim agit de virtute absolutionis*, videtur omnia antecedentia de præparatione ad justificationē extra Sacramentum intelligere, licet Concilium, quod explicat, disertissimè de justificatione per baptismum & pœnitentiam ageret. Scribit igitur primam gratiam in Sacramento conferri, cum quis dolet de peccatis, timore pœnæ imminentis, vel propter mala ex eis secuta &c. Et non quatenus sunt offensa Dei. In hoc præcipitium Vegam conjecit opinio quorumdam scholasticorum, quam cap. 24. probabiliter deffendit, lapsum quantulâcumque peccati detestatione reparari. Hoc sibi objicit cap. 34. & quantulamcumque illam detestationem extra Sacramentum interpretatur, cum & Concilium, & ipse locis jam citatis peccati illud odium & detestationem, ut præparationem ad Sacramentum cum fructu suscipiendum necessariam descripserit. Hac igitur imprudenti interpretatione anxius, ut Sacramentum primam gratiam conferre demonstret, ad formidinem pœnæ explicatam confugit. Ne autem existimes lector dolorem ex illâ pœnæ formidine conceptum Sacramento dignè suscipiendo sufficientem credidisse, vult vega pœnitentem dolorem illum sincerè examinantem credere contritioni æqualem esse, tùmque, licet fallatur, Deum veræ contritionis effectum & meritum propter animi simplicitatem & ignorantiam clementer illi concedere,

atque in hoc tantùm casu Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ primam gratiam Conferre. Hoc videre potes cap. 33. argumento 5. & quæst. 13. quartâ conclus. Respons. ad. 2. *Attritio sufficit ad dignè Sacramenta ista recipiendum, & consequendum per ea gratiam, si quidem invincibiliter existimetur contritio & non aliàs.*

Eodem principio nixus, toto capite 26. l. 13. Probare contendit, *Ignorantibus probabiliter quantam Deus requirit pœnitentiam, sufficere ad gratiam, momentaneam & remisissimam.* Additque in textu, *etiam ubi Deus majorem & longiorem requisiverit, modo habeatur ignorantia probabilis talis legis divinæ, neque animus desit dolendi vehementiùs & diuturniùs, si quidem ea lex divina constaret.* &c. Cap 25. minùs probabiliter asseruerat propositione 4. in eo, qui inculpabiliter ignoraret Deum *peccatis nostris offendi, maximum de peccatis dolorem inesse, quotiescumque de suis peccatis dolet, quia sunt contra rectam rationem, ad reconciliandum cum Deo meritò censeri posse ejusmodi dolorem, sufficientem. Non ausim,* inquit, cap. 26. *Hanc piam opinionem ut certam tradere: verùm eam probabilem esse hic possumus argumentis suadere &c.* Quidquid sit de illâ Andreæ vegæ sententiâ, atque humanâ in lapsos misericordia, vel ex eâ constat Attritionem solâ formidine pœnæ incussam simpliciter & per se suscipiendo Sacramento non sufficere, cum meticulosum suum pœnitentem velit invincibiliter Attritionem illam existimare Contritionem. Gratiam igitur propter Attritionem illam in Sacramento non recipit, sed propter invincibilem post conscientiæ examen Contritionis opinionem; sicut asseruerat cap. 33. in argumento 5. aliquem in peccato existentem modò inculpabiliter existimet se non indignè accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, primam gratiam recipere, non ideò sanè gratia donatur, quod in peccato existens mysteriis participat, sed quod, ut opinatur vega, sine suâ culpâ credit se non indignè ad Sacramentum accedere.

Antequam huic sermoni finem imponam, lectorem monebo, sententiam istam vegæ de remississimâ & quantulâcumque peccatorum detestatione ad gratiam Dei ineundam, non modò Concilii Tridentini verbis, quæ explicat, sed etiam tot ferè telis confodi, quot sunt de hac re Patrum sententiæ, ut ex testimoniis allatis aliisque plurimis perspicuum est. Hoc etiã

ipſe parum ſibi conſtans agnovit: eodē enim capite ſolutis, ut illi videtur, variis objectionibus ſextò tandē ſibi objicit, cap 24. *Magis equidem me ſollicitant multa teſtimonia ſanctorum Doctorum, qui ad expiandum magnas & graves culpas, magnum & omnino ferventem dolorem de ipſis neceſſarium eſſe videntur docere.* Deinde nonnullis in medium prolatis, ſic tandem concludit caput, & diſputationem: *Hæc ſanctorum teſtimonia, ſi benè expendantur, poſtulare ſanè videntur vix aliquem aut nunquam, perfectè & ſicut neceſſe eſt, de ſuis peccatis dolere, ſi non & idem vehementer & ferventer de his doleat.*

Capite denique ſequente propoſitionem probandam ſuſcipit, ei, quam capite præcedente aſſeruerat, è diametro oppoſitam: *Nondum*, inquit, *aperuimus qualis ea & quam perfecta debeat eſſe* (peccatorum deteſtatio) *ut in tantum effectum pertingat. Id igitur nunc curabimus pro virili noſtra explicare:* Si quantulacumque ſufficit, imò remiſſiſſima, quid opus de gradûs perfectione ſolicitum eſſe? Præterea illius capitis propoſitio nona eſt ejuſmodi: *Si diſplicerent omnia admiſſa peccata, quatenus offenſa ſunt Dei, neque tamen eo pertingeret illud animi tædium ſeu dolor, ut & ipſi in ſe actus, qui fuerunt offenſa Dei, diſplicerent, non haberetur dolor, qui neceſſarius eſt ad conſecutionem juſtitiæ.* v. g. inquit, dolet Petrus ſe offendiſſe Deum, ſed gaudet quod habuerit inceſtuoſum concubitum, ex quo natus eſt illi filius optimus. Nonnullis argumentis probat dolorem hunc imperfectùm ad reconciliationem peccatoris non ſufficere, eo quod ſcilicet nollet, qui talis eſt, Deum legem ſtatuiſſe, nec peccata præterita deteſtetur, ſed in eis complaceat. Verùm dolor ex ſolâ pœnæ formidine ortus iiſdem incommodis urgetur, multòque eſt imperfectior, ut potè, qui nullo afficiatur offenſæ divinæ motivo.

CAPUT DUODECIMUM.

Cur in Contritionis ad justificationem in Sacramento necessariæ descriptione, amoris mentionem nullam fecerit Concilium, saltem expresso dilectionis nomine.

SUBIBIT forsan legentis animum admiratio quædam quamobrem Concilium Tridentinum, cum tam variis adjunctis Contririonis vim naturamque describit, amoris tamen Dei nullam faciat mentionem. In verâ Contritione septem jam enumeratas conditiones postulat, quas inter nulla est amoris Dei commemoratio. Hoc enim silentio videtur Concilium absurdissimæ novatorum sententiæ plurimum favere, quæ quamlibet Dei dilectionem à peccatoris justificatione exterminat, admittitque tantùm præparationis ad justificationem vice Inferorum aliorùmque incommodorum terrores conscientiæ ob pœnam peccatis debitam incussos quibus ad fidẽ misericordiæ Dei ejusq;promissis incumbentem confugere coguntur, ne terrores illi conscienriæ incussi in desperationem eos precipitent, quâ solâ postmodùm fide anre omnem Dei dilectionem reapse peccatores justificari contendunt. Sic enim Lutherus in Epist. ad Galat. c. 5. ad hæc verba: *Spiritu ambulate*, multis disputat contra Catholicos, dilectione peccatores non justificari. Deinde in hæc verba: *Et concupiscentiã carnis non perficietis*, quia nonnulla in laudem dilectionis Dei & proximi dixerat, statim dicta corrigit: *Quare ne putetis me revocare doctrinam de fide: Nam oportet manere fidem & spem, ut hâc justificemur, illâ verò in malis erigamur & perduremus. Deinde servimus quidem nobis invicem per charitatem, quia fides non est otiosa, sed charitas exigua est & infirma. Ideò cum jubeo vos spiritu ambulare, satis declaro vos dilectione non justificari.* In caput verò tertium, ad hæc verba: *Donec veniret semen*, sic scribit, *Quando lex mihi ostendit peccatum, perterrefecit me, & revelavit iram & judicium Dei, ut incipiam pallescere, desperare, &c.* Totus est illo capire in explicandis terroribus ex Dei judicio & agnitione peccati per legem conscientiæ inflictis, Postea subjicit: *In illis terroribus & sensu peccati non potest mens spem concipere quod Deus sit mise-*

ricors, quod velit condonare peccata propter Christum, sed simpliciter judicat Deum irasci peccatoribus, accusare & condemnare eos. Hic nisi accedat fides, quæ iterùm erigat, &c. & in ejusdem capitis versum: *Antequam veniret fides, sic ait: Ista igitur pavefactio, humiliatio & custodia non durare debet perpetuò, sed in futuram fidem, hoc est, in salutem, & bonum nostrum, ut nobis conterritis lege dulcescat gratia, remissio peccatorum, &c. quæ operibus non accipiuntur, sed solâ fide apprehenduntur.* Ita ille præparationem ad justificationem, quam ipsa justificatio sive peccatorum remissio consequitur, non modo sine dilectionis Dei mentione, sed eâ valere jussâ describit. Similiter Calvinus lib. 3. Institut. c. 3. sect. 3. 4. & Philippus Melanchon in locis communibus capitibus de pœnitentiâ & Contritione, ut etiam in Apologiâ confessionis Augustanæ, adversus quam specialiter hac in causâ disputat Andreas Vega lib. 6. cum enim istius libri c. 28. dilectionem Dei ad justificationem disponere, atque eam antecedere demonstrasset. c. 29. Melanchonis argumenta, quibus doctrinam contrariam adstruere satagebat, dissolvit. Frustrà pluribus de hac hæreticorum sententiâ hìc ageretur, cum sit apud eos vulgatissima.

Ingens autem illa & horrenda absurditas ex Concilii Tridentini silentio consequi videtur. Exploratum est enim apud omnes Catholicos Contritionem à Concilio descriptam, præparationem esse sufficientem ad justificationem per absolutionem in Sacramento pœnitentiæ consequendam. Justificabitur igitur homo ante omnem dilectionis actum, justificatumque, ut volunt hæretici, dilectio sequetur non præcedet. Aliud absurdum priore gravius ex eâdem doctrinâ colligitur. Salvari enim poterit peccator nullo dilectionis Dei actu emisso. Cum enim ex datâ suppositione, Contritio à Concilio definita, sufficiens sit ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ consequendam dispositio, dilectionemque Dei virtute suâ non complectatur, si contingat aliquem statim post susceptum Sacramentũ emori, servabitur ille, antequam ullum ante vel post justificationem, dilectionis Dei actum ediderit. Quæ sanè sententia tot argumentis confodi potest, quot sunt in scripturis & patribus, de charitate & dilectione Dei testimonia.

Opponetur forsan absolutionis Sacramentalis virtute

homini sinè dilectione disposito, dilectionis habitum infundi, quo verè justificatur. Sed hoc concesso, prӕterquam quod hoc datӕ suppositionis absurdo non medetur, semper enim consequitur hominem sine ullo dilectionis actu servari, cum suppositio eaque non improbabilis mortuum fingit ante habitûs in actum eruptionem, aliud ingens & non dissimile absurdum ex eâdem doctrinâ derivatur, adultum scilicet, qui se ipsum per peccatum à Deo avertit, justificari, atque in gratiam cum Deo redire sine sui ad Deum conversione, quod omnium Theologorum placitis repugnat, & cum omni reconciliationis lege pugnat. Ad Deum enim per solum amôrem homo convertitur. Amorem igitur, à Contritione si excludas, aversus à Deo existens & permanens vi Sacramenti justificabitur. Si objicias conversionem propter gratiӕ infusionem vi Sacramenti factam, esse habitualem, prӕterquàm quod conversio actionem dicit, non habitum vel principium actionis, absurdissimum est adultum habitualiter tantùm ad Deum conversum justificari. Hoc quidem de infantibus ab omnibus meritò dicitur, quia habitualiter tantum aversi: De adultis autem à nemine id unquam dictum est. Qui enim actu proprio & personali à Deo sese avertit, actu proprio & personali ad Deum sese convertat, planè necessarium ab omnibus semper judicatum est.

Verum enim vero tantarum absurditatum nulla ex Concilii decreto consequitur, quia licet charitatis & dilectionis nullam verbo tenus mentionem faciat, ea tamen Contritioni tribuit quӕ dilectionem Dei & charitatis effectũ necessariò complectuntur. Sic objicienti non abs re idem responderem, quòd Solonem referunt respondisse interroganti, quare adversus parricidas nullã legem tulisset, neminem adeò impium se existimare, qui tantũ scelus perpetrare vellet. Sic ego respondeo, Conciliũ post tot prӕclara Contritioni tributa elogia, quӕ cum amore Dei tam intimam conservant necessitudinem, neminem existimasse ita cum rectâ ratione pugnaturũ, ut eam ambabus, ut dicitur, manibus, amorem Dei non amplexari audeat asserere. Quo modo enim ista Cõtritio cessationem à peccato, odiumque ejus & detestationẽ continere potest, & dilectionem justitiӕ *non complecti*. FINIS.

TYPIS & IMPENSIS FLORENTINI & PETRI DELAULNE, viâ Jacobӕâ.

LUCÆ HOLSTENII
DISSERTATIO
PRIMA:
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS
Apud Græcos.
Adversus quemdam recentiorem.

CUm Ecclesia Dei unum sit corpus, neque esse possit ibi unitas non est; nihil nomine Christiano dignius judico, quam ut concordiam mutuamq; unionem membrorum omni opera studioque foveat; è contra vitet fugiatque ea quæ dissidiis excitandis alendisque faciunt. Luctuosum schisma, quod Orientis & Occidentis Ecclesias dudum disjunxit, illis potissimum imputandum est, qui Christiana caritate posthabita disputandi pruritu omnia in quæstionem & controversiam adduxerunt, quæ diverso ritu apud partem adversam aguntur. His nulla vel exigua veritatis cura, sed unum vincendi studiũ, ut ex sua consuetudine vel opinione aliis legem præscribant. Illud autem misera & afflicta fortuna durissimum & iniquissimum habet, quod insultantium ludibriis impune pateat. Ita mihi Orientalis Ecclesiæ calamitatem cogitanti Leo ille moribundus in Phædri fabulis obversatur. Scimus enim qui homines; qua doctrina & antiquitatis sacræ cognitione instructi ad singula ferme religionis capita ritusque etiam solemnes ac probatissimos convellendos prodierint, cum non ita pridem de Euchologio Græcorum recensendo ageretur: quorum tamen conatus aliorum prudentia hactenus repressit. Ex eodem ludo novus hic certator prodit, ut Arcudium, virum de re Christiana in Ecclesiarum concordia concilianda optime meritum, aliosque pacis & tranquillitatis ecclesiasticæ studiosos, ut ait, incurrat. Si tamen in agonem lucemque publicam prodierit, parti ejus metuo, ita levi armatura instructus, telis ut plurimum arundineis, & plumbea cuspide amentatis hostem lacessit scuto septemplici protectum; ipse interim totus vulneribus patens. Id scio caussæ huic patronos non defuturos; de fine autem & exitu hujus concertationis facile augurari licet, ex doctissimorum hominum scriptis nuper editis, de presbyterali chrismatione etiam apud Latinos olim usitata. Illi pressius hæc si publicentur examinabunt: ego quæ perfunctoria lectione & festinante oculo observavi interim indicabo. Principio igitur nequaquam mihi satis accurate definitus videtur hujus controversiæ status. Eo enim recte constituto lis tota sine conflictu ex æquo & bono componi potuisset. Græci enim in quibus erroris accusantur, partim culpa omni carent, partim veterem Occidentis ecclesiam criminis ejusdem sociam habent; si quis in eorum chrismatione error nunc fuerit. Hoc igitur præsuppono, Confirmationis modum ritumque non unum eundemque, sed diversum apud Græcos Latinosque jamdudum fuisse. Horum enim Confirmatio duabus quasi constat partibus, Unctione scilicet sive obsignatione frontis, & Impositione manuum qua Spiritus Sanctus baptizatis & signatis advocatur. Græci autem in obsignandis baptizatis sola utuntur chrismatione frontis, omissa manuum impositione. Hinc Latini, qui manus impositionem ab Apostolorum exemplo deducunt, ut confirmationis partem præcipuam, solis Episcopis in Apostolorum ordinem vicemque succedentibus eam reservarunt: & quandoque manuum impositionis sacramentum absolute vocant, ut in Epistola Eusebij PP. Græci autem, qui manus im-

positionem ut minus necessariam omiserunt, dum virtutum & linguarum donum desiit, in sola Chrismatis obsignatione Confirmationem ponunt, ideoque μύρον & χρίσμα fere semper appellant; Et ejus quidem confectionem non quibusvis Episcopis, ut Latini, sed præcipuis, hoc est, ipsis Patriarchis reservarunt; usum autem & administrationem Episcopis promiscue & Sacerdotibus permiserunt: quod obsignatio illa, quam baptismo semper adjungunt, superiorem sive Episcopalem dignitatem haud quaquam requirere absolute videatur; sicut manuum impositio apud Latinos, Apostolici muneris, ut dixi, imitamentum.

Idem olim Occidentalis Ecclesiæ sensus nec usus dispar. Nam Gallicanas & Hispanienses Ecclesias unctionem sive obsignationem frontis presbyteris quoque una cũ baptismo peragendam pèrmisisse certissimum est; ita ut Episcopis sola manus impositio sine chrismatione reservaretur. Romanam autem Ecclesiam ejusque diœcesin excipio, quæ peculiari consuetudine præter manuum impositionem etiam frontis unctionem solis Episcopis expresse vindicavit, quod Innocentii I. Gelasii, & S. Gregorii M. litteræ restantur. Ne tamen præter antiquum Ecclesiæ vsum omnis plane baptismatis unctio sacerdotibus ademta videretur, duplicem fecerunt chrismationem, unam sacerdotalem in vertice capitis, alteram Episcopalem in fronte, una cum manuum impositione peragendam. Et hunc confirmandi modum sexto & septimo sæculo Pontificum Romanorum instantia sensim omnes per Occidentem Ecclesiæ receperunt: ita ut veteris usus non solum vestigia, sed etiam ipsa memoria oblivione evanesceret. Quam ad rem non parum profuerunt natæ circa septingentesimum Christi annum suppostitiæ veterum Pontificum literæ, quæ antiquitatis specie & splendido magnorum Pontificum nomine rudi & inficeto seculo facile fucum fecere, illæ inquam, quæ Eusebii, Damasi, Leonis, & Joannis III. nomen mentientes expresse hac de re agunt: quæ paulo post ad controversiam Bulgarorum occasione exortam, sævissime exasperandam, peropportunæ fuerunt: præsertim cum jurisdictionis ecclesiasticæ hinc repetendæ, inde retinendæ studium vehementius accessisset. Inde denique factum, ut posteriores Latini ex sua consuetudine tantum rem æstimantes, cum manus impositionem à Græcorum chrismatione abesse cernerent, Confirmationis sacramento eos prorsus carere affirmaverint, ut & ceteros orientis populos, Græcorum ritum hac in parte sequentes. Hoc enim de Græcis & Armenis Guido Perpiniannus; de Ruthenis Sacranus, Gaguinus & Thevetus; de Æthiopibus Zaga Zabo Episcopus scribere non dubitarunt.

Neque alio ex fonte manavit nova hæc controversia, quam ex ignoratione vetusti utriusque Ecclesiæ moris. Quia scilicet sacerdotes non solum in Oriente, verum etiã in Occidente aliquando Chrismationis ministros fuisse, vel ob antiquitatis sacræ neglectum, vel etiam ob intempestivum partium studium, minus cognitum perspectumque habemus. Sane Summi Pontifices, qui de ecclesiarum concordia resarcienda solliciti Conciliorum disquisitionibus rem permisere, Græcis perpetuum orientalium ecclesiarum morem pro lege ac jure afferentibus non difficulter acquieverunt: quamuis veteris tunc Ecclesiæ disciplina non ita clare in lucem esset revocata, quam nostro patrumque nostrorum seculo doctorum hominum opera ita restitutam videmus, vt nemo nisi sciens volensque nunc in tenebris palpet.

Hæc in genere præfatus ipsam nunc disputationis seriem sequar, & quàm legitime certet contra Græcos obiter observabo.

Duplex nodus quæstionis est. Primus. Quis ante schisma chrismationis minister fuerit apud Græcos; Episcopus ne, an Presbyter? Respondeo, & Episcopus, & Presbyter: ille ordinaria, hic extraordinaria & delegata auctoritate; quæ tamen longo & perpetuo usu ordinaria quodammodo evasit. Secundus. Quo jure Græcorum presbyteri post schisma soli chrismationem conferant? Dico eodem quo ante schisma: h. e. ex consuetudine inveterata Ecclesiæ Orientalis. Nego tamen solum presbyterũ semper obsignare: nam Episcopi etiam hodie cum baptizant, ipsi chrismate baptizatos liniunt: quod Græci cæterique orientales in Urbe degentes testari possunt. Arcudii aliorumque rationes pro Græcis quanti sint roboris, quanti etiam momenti rationes oppositæ ordine patebit.

LUCÆ HOLSTENII
DISSERTATIO
DUPLEX
DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS
APUD GRÆCOS.

Juxta Exemplar ROMÆ editum.

Typis JACOBI DRAGONDELLI anno MDCLXVI.

Cum Superiorum Permissu.

IN his posthumis dissertationibus V. C. Lucæ Holstenii de Ministro & forma Confirmationis apud Græcos orthodoxa huius Sacramenti dogmata, antiqui ritus & consuetudines, atque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ in ejus administratione consensus doctè, solidè & luculenter elucidantur. Quare dignissimas præcenseo ego infrascriptus qui jussu Reverendissimi P. M. S. P. Apost. eas accuratè perlegi. In Monasterio S. Bernardi ad Thermas die 19. Iulii 1665.

D. Ioannes Bona.

AD CAPUT SECUNDUM.

Sacerdotes in Græcia ante schisma non chrismasse.

ILLUD principio testor, me ex animo abominari & detestari impium & sceleratum facinus Photij qui ambitioni suæ palliandæ schisma in Dei Ecclesiam luctuosum induxit. Ideo tamen nequaquam prævaricari dixerim eum, qui schismatis occasionem causasque nunc diligentius expendat. Inter eas una est, chrismationis sacerdotalis improbatio, ejusdemque iteratio apud Bulgaros. Tota hæc controversia ex diverso utriusque Ecclesiæ ritu orta est: dum Latini ex veteri Ecclesiæ Romanæ consuetudine eam solis Episcopis reservandam, Græci autem etiam à presbiteris legitime administratam contendunt. Hi nullam contra afferunt rationem præter constantem usum orientalis Ecclesiæ, quem nulla lege Ecclesiastica vetitum affirmãt. Tum quod ea pars & complementum baptismatis semper habita fuerit orientalibus, adeoque separari ab eo non debeat. Unde concludunt, ei, qui baptizandi jus habet, non denegandum jus chrismandi. Ad hæc qui ipsum Corpus Christi consecrare, eoque communicantes sanctificare potest, multo magis baptizatos unctione chrismatis poterit sanctificare.

Hasce rationes Photius Latinis opponit in Epistola encyclica ad Patriarchas Oriẽtis, ubi chrismatis iterationem ut rem omni ratione carentem, & in Oriente inauditam exagitat, quia sacerdotes Græci hactenus sine ulla contradictione obsignarant. Quis hominem, cætera vecordem, Patriarchis, summis Orientalium Ecclesiarum præsulibus, hæc scripturum & ad receptam Ecclesiarum consuetudinem provocaturum existimet, si ipse tum primum novo exemplo contra morem universalem presbiteris chrismationem permisisset; ceteris Ecclesiis contrarium observantibus? Hæc irrefragabiliter totius Orientis consuetudinem, pridem ante Photii tempora receptam, usque confirmatam ostendunt. Rationes oppositæ nullius sunt momenti. Quærit, cur Epistola ad Nicolaum inter diversas & discrepantes consuetudines, non etiam hanc recenseat? Dico, hoc caput esse controversiæ, cujus ob causã reliquas illas variationes commemorat. Secundo cur consuetudinem illam Nicolao non obtendit? Illam vero ita publicam & manifestam esse præsupponit, atque ita usu comprobatam; ut stultum & portentosum existimet eam in dubium revocari; adeoque exemplis velle probare, quæ publice tum toto Oriente fiebant, quid aliud esset quam soli facem accendere? Cur ergo, ait, illicitam ordinationem ex laico exemplis tuetur? Quia hæc Canonibus plurimis severissime semper fuit prohibita, ita ut vix unum aut alterum exemplum tota antiquitas suggerat. Albi tamen & Nectarii & Ambrosii exempla addit: & ut sibi ordinationis vitium remitti potuisse à Pontifice Romano ostendat. Longe autem aliam chrismationis rationem existimabat, quippe quæ nec legibus vetita, & usu totius Orientis recepta & confirmata esset. Quod autem usum hunc à Photio adductum Odonis Episcopi Bellovacensis verbis se refellere existimat auctor, ridicula oscitantia est. Est enim epicrisis illa decem capitum ipsius Baronii, non Odonis: cujus nuda tantum isthic fit commemoratio ex Flodoardo. Unde tota illa declamatio marginalis spongiam meretur.

Tertia ratio ex verbis Eugenii IV. usum Ecclesiæ Romanæ ostendit; qui Græcis legem non ponebat. In ipso autem Occidente dispensationes illæ post septimum sæculum rariores fuerant nos autem prioribus, ut ex Hispanicis Gallicisque Canonibus constat, & ex decretali S. Innocentii, ut mox ostendam.

Quarta ratio ejusdem farinæ est. Damasi & Joannis III. Epistolas suppositi tias nihil ponderis habere sæpius dixi. Innocentius & Gelasius cum Romanæ diœcesis Episcopis agunt: eosque Ecclesiæ Romanæ matris suæ consuetudinem hac quoque in re observare jubent. Nec superduci: aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, *aut aliunde accipere videatur exemplum*: ut Innocentius principio illius Epistolæ ad Decentiũ ait, & paulo post: *Oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit*: à qua eos principium accepisse non dubium est; *ne dum*

peregrinis assertionibus studeant, capur institutionum videantur omittere. Et mox. Quibos idcirco respondemus, ut majori auctoritate vel tuos Instituas, vel si qui à Romanæ Ecclesiæ institutionibus erraot, aut commoneas, aut indicare oon differas; ut scite valeamus, qui sunt, qui aut oovitates inducuot, *aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam.* Et in fine Epistolæ. His igitur respondere curavimus, *ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem, a qua originem ducit, servare valeat atque custodire.* Quis ooo videt, Iooocentium hic fateri ac testari, aliarum Ecclesiarum diversas in hac re fuisse consuetudines? quas ille non impugnat, nec prohibet; dummodo Ecclesiæ ad Romanam diœcesin pertinentes Romanum usum io his servent. Neq; vero Inooceotius absolute presbyteros chrismatiooe interdicit, quamnis tertio capitulo ionuere videatur; nam cap. 6. de baptizatis coergumenis & fonticis interrogatus respondet, etiam Presbyteros & Diaconos Episcopi præcepto & auctoritate ipsns cõsignare, manumque eis imponere posse. *Quod*, inquit, *nisi Episcopus præceperit, non licet.* Unde vides, non Apostolicam dispensationem hic ab Iunocentio requiri, sed solã auctoritaté Episcopi, ejusq; præceptum sufficere; ut non solum presbyter, sed etiam diaconus chrisma cum manus impositione in casu necessitatis tunc conferret. Itaque frustra hoc telum in Græcos vibrat; ut & alterum ex Gelasii decretalis cap. 6. petitum. Dum enim Gelasius presbyteros coofíciendi chrismatis & consignationis pontificalis facultatem sibi *audacter assumere & arripere, suoque motu exequi* prohibet? quin idem debito modo Episcopo præcipiente facere possint non vetat. Audaciam enim & propriæ auctoritatis præsumptionem castigat, non verum & legitimum mioisterii modum tollit. Sequens declamatio de Pontificibus Græcis homini rerum temporumque aotiquorum vel leviter perito risum aut stomachum movet: quam enim putide & ioepte prima illa sæcula ad posteriorem Ecclesiæ Romanæ morem legemque exiguotur?

Nicolai I. tempore Romana consuetudo per omnes Occidentis provincias longe lateque accepta etiam memoriam ipsam priscorum morum obliteraverat. Inde Græcorum chrismatio ut diversa, sic etiam illicita Latinis visa. Hinc illæ lacrimæ. Hinc schismatis fomentum.

Quinta ratio à baptismo solemui ducitur: ubi solus Episcopus baptizabat, & per consequentiam necessariam solus etiam chrismabat? utrumque eoim inseparabiliter olim fuit conjunctum. Hic suo se telo jugulat. Si enim presbyteros quandoque solemnem baptismum sine Episcopo contulisse osteodatur, eosdem quoqoe baptizatos chrismate obsignasse oecessario sequitur. Atq; exemplũ illustre baptismi solemois ex Palladio de vita S. Joannis Chrysostomi habemus apud Baronium anno 404. oum. 16. Cum Ioanoes (Inquit Palladius) imminente festo Paschæ Ecclesia sua vi depulsus baptismum solemnem administrare oon posset. *Presbyteri ejus, quibus Dei aderat timor, in publico baptisterio quod Constantinianum apellatur, coactis populis vigilias inchoarunt, partim divina eloquia legentes, partim eos qui instructi erant in fide, baptizantes.* Mox cap. 17. *Concessit autem Lucius tribunus intra beatas aquas baptismi, ut eos qui initiabantur prohiberet, ac diacono quidem procaciter imminens, veneranda mysteria quæ ille tenebat, manibus fudit* (Eucharistiam scilicet, quam baptizatis & chrismate obsignatis per presbyteros diacooi dabãt. Tria enim hæc baptismus, chrisma & eucharistia ordine suo simul administrabantur.) *Presbyteros vero jam ætate & ordine fustibus in capite feriens lavacrum cruore perfudit*, mox cap. 16. *Postridie Imperator progressus in campum suburbanum, eum ad quintum fere lapidem candore vestium videt*, (recte Barooius interserit: illorum oempe hominum repletum, qui ea nocte baptizati candida acceperant indumeota.) *erant autem ad tria millia*, &c.

Vides solemnem baptismum à presbyteris & diaconis sine Episcopo peractum, ooo unius, aut paucorum, sed trium millium hominum. I nunc, & solos Episcopos baptizasse & chrismasse pertende. Si autem presbyteri soli tam solemoem conferebant baptismum, & ex necessaria & inseparabili cõsequentia baptizatos chrismate obsignabant, cur ipsis hoc in casu necessitatis vel privata functione postea licuisse oegas.

Sedis Apostolicæ dispensationem in functiouibus

AD CAPUT PRIMUM.

De testimoniis ex SS. Patribus Græcis pro sola Episcoporum chrismatione allatis.

S. LUCÆ ex Actis, solos Apostolos tradidisse Spiritum. Sanctum, nusquam vero Lxx. discipulos, aut alios fideles. Ex quo Patres omnes solis Episcopis &c. non vero presbyteris, qui succedunt Lxx. discipulis.

Hoc præclarum axioma format ex narratione Actor. c. 8. vers. 1x. vbi Apostolos Samaritanis à Philippo Diacono baptizatis manuum impositione Spiritum Sanctum tradidisse legimus. Hinc ita argumentatur: Apostolis Samaritanis baptizatis manus imposuerunt; Ergo solis illis eorumque successoribus chrismatio competit. Item, Philippus Diaconus baptizans Samaritanos, Spiritum Sanctum eisdem non tradidit: Ergo nullus Lxx. discipulorum, vel aliorum fidelium SpiritumSanctum baptizatis contulit: adeoque presbyteri eorum successores chrisma conferre non possunt.

Hic quod de solis xII. asserit, ipsi S. Lucæ adversatur; qui sequenti capite 9 v.17. Ananiam, non Apostolum, sed simplicem discipulum, Paulo recens converso præter baptismum etiam manus imposuisse narrat, ut impleretur Spiritu Sancto. Unde D. Hieronymus dialogo contra Luciferianos, Joannis & Christi baptismum inter se comparans; *Joannes*, inquit, *Spiritum Sanctum non dedit, quem Philippus diaconus Eunucho dedit; quem Ananias Paulo dedit?* Philippi diaconi exemplum paulo post idem Hieronymus repetit, ut ostendat manus impositonem Episcopalem non esse absolute necessariã ad Baptismi perfectionem & Spiritum Sanctum obtinendum, sed illum etiam à presbyteris & diaconis in baptismo conferri, *nisi forte*, inquit ab absurdo argumentans, *Eunuchus à Philippo diacono baptizatus sine Spiritu Sancto fuisse credendus est.* Inde exemplum Samaritanorum opponentibus reddit causam diversitatis ex ipsis S. Lucæ verbis, scilicet, quia per manus impositionem Spiritum Sanctum à Philippo non acceperant; sed, ut Lucas ait, solum baptizati erant in nomine Domini Jesu. Ergo ex Hieronymi mente Philippus Eunucho cum baptismo etiam Spiritum Sanctum contulerat. Et hæc ad testimonium S. Lucæ ex Actis. Deinde si quis rationem petat, cur à Philippi diaconi baptismo absolute argumentetur ad Lxx. discipulos, aqua hærebit auctori. Etenim certissimum est Philippum cæterosque diaconos non ex Lxx. discipulorum, sed ex reliquorum fidelium numero electos fuisse, *mensarum*, ut D. Hieronymus ait, *& viduarum ministros*. Nam Lxx. ipsius Christi electione xII. Apostolis ad prædicandum Evangelium succenturiatos, qua ratione ad ministerium ipsi Apostoli degradassent? Deinde quomodo à Philippi diaconi ministerio auctor infert ad ordinem presbyterorum: cum ipsa scriptura tam accurate utrumque semper distinguat? Ad hæc quis Lxx. quos ipsa Sacra Scriptura, & SS. Patrum plurimi Apostolos vocant, meros presbyteros fuisse affirmet? Erant enim revera Apostolorum collegæ, licet gradu inferiores. Ut omittam Dorotheum, aliosque historiæ ecclesiasticæ scriptores, qui ab iisdem Lxx. præcipuas & nobilissimas sedes Episcopales fundatas affirmant, quarum ipsi primi numerantur Episcopi; quid Nicolao I. Romano Pontifici faciet, qui epistola quadam ad Rodulfum Bituricen. Archiepiscopum sic scribit: *Ad formam Lxx. Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* Numquid Nicolaum illa omnium SS. Patrum communis doctrina de Lxx. presbyteratu latebat? Sed de SS. Patrum testimoniis, eorũque hac in re consensu jam ordine videbimus.

Eusebii PP. Epistola 3. merum figmentum est ex Hispaniensi Isidori Mercatoris officina sub principium octavi seculi prolatum. Falsitatis eam coarguit Binius ex aperto mendacio de inventione S. Crucis, ejusque festivitate tum instituta. Ejusdem notæ sunt Epistola v. Damasi, & alia Leonis & Joanis III. de quibus inferius dicendum erit. Verum ego non quosdam, sed omnes SS. Patres ita sensisse nego. Clementis loco ex Constit. Apostol. lib. 3. cap. 16. quem male mutilatum affert, alium clarissimum ejusdem Clementis ex lib. 7. cap. 23. oppono, ubi & baptizandi, & chrismandi officium ex æquo Episcopo presby-

functionibus illis ecclesiasticis antiquitas ignoravit. Ipse Innocentius Episcopi auctoritatem & præceptum sufficere affirmat apud Latinos in Romana diœcesi, quinam ergo Orientalibus duriorem aut strictiorem legem posuisset ? Constat ergo presbyteros ante schisma apud Græcos baptizasse & obsignasse ; neque à Photio novum hunc morem fuisse introductum ; Quod tamen capite tertio ex Conciliis orientalibus probare conatur , sed quam felici successu, ordine nunc videbimus.

AD CAPUT TERTIUM.

Testimonia quinque Conciliorum orientalium contra Græcos.

PRIMUM Concilium est Apostolorum ex Actuum Apostolicorum cap. 8. Ubi principes Apostolorum missi leguntur in Samariam ut Spiritum Sanctum conferrent baptizatis. De hoc loco dixi supra ad caput 1. & multa inde falso deduci ostendi. Nam revera munus XII. Apostolorum multo sublimius erat munere ordinario Episcoporum ; neque LXX. à Christo ipso ad prædicationis munus electi æquales erant ceteris discipulis Apostolorum , ita ut in presbyterorum ordinem redigi possint. Neque Philippus , qui Samaritanos baptizaverat , ex LXX. istorum numero erat, sed unus ex septem diaconis , non ad prædicationis officium , sed ad ministerium viduarum & pauperum electus. Eo autem quod ipse, sicut & Stephanus ejus collega , præcipuis Spiritus Sancti charismatis præditus fuerit , peculiarem utriusque memoriam Lucas consignavit. De Chrysostomi expositione ibidem dixi, cui similis est per omnia locus Epiphanii hæres.21.ubi Philippum, quod diaconus duntaxat esset , imponendarum manuum, communicandique Spiritus Sancti potestate caruisse ait. Quid hoc ad LXX. eorumque, ut tu vis, successores presbyteros.

Secundo loco profert Canonem 14. Neocæsarien. qui Latinis 13. particula. Synodum vero Neocæsariensem à solis XIII. Episcopis celebratam quis unquam generalem dixit ? ea autem non solum à Nicæno Concilio & Leone IV. approbata fuit, sed ab universa Dei Ecclesia: quæ in Codicem Canonum inde à principio eam recepit , sed non ideo ex synodo particulari generalis evasit. Canon ille 13. quid ad Græcorum chrismationem presbyteralem faciat non video ; cum ille de Chorepiscopis sive vicariis Episcoporum , eorumque ordine & dignitate agat , chrismationis autem nec verbo meminerit. Sed chorepiscopi , inquit , in locum LXX. discipulorum successerunt: ergo arceantur à munere chrismandi. Hic multa jura confundit coquus. Canon ait chorepiscopos esse ad exemplum , vel ut alia versio habet , in figuram , εἰς τύπον Septuaginta. Quorum septuaginta ? Discipulorum ais. Negat hoc antiquissimus Canon.interpres , qui Septuaginta Seniorum iam olim vertit; eos intelligens, quos Deus Num.11. v.16. Moysen eligere jubet, *Et auferã*.inquit, *de spiritu tuo; tradamque eis , ut sustentent tecum onus populi , & non tu solus graveris.* Et ne interpres minus fideliter mentẽ Concilii expressisse videatur , habet interpretationis suæ suffragatorem S. Hieronymum in epist. ad Titum cap. 1. edit. Rom. pag. 270. ubi episcopos meminisse jubet , *se magis consuetudine , quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores , & in commune debere Ecclesiã regere , imitantes Moysen : qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël , Septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Ita præter alios Isidorus Hispal. de offic. Eccl. l. 2. c. 6. hunc Canonem explicat & Rabanus Maurus de institut. Cleric. l.1. cap. V. Sed testis omni exceptione major est Innocentius I. qui epistolam insignem ad Rufum Thessalonicensem Vicarium ab eodem Moysis exemplo exorsus , addit : *nec aliter Apostolorum forma promulgata est ; quam ut ipsi principes Evangelii constituti ceterorum caussas necessitudinesque suis discipulis curandas obeundasque mandarent. Ita denique tota ministratione mirabilis Paulus Tito quæ curet apud Cretam , Timotheo quæ apud Asiam disponat commisit.* Vides magnum Hunc Pontificem, non solos presbyteros , aut chorepiscopos, sed Titum & Timotheum presbyterorum constitutores & Episcopatuum fundato-

res in Lxx. illorum figura posuisse, qui tantum super presbyterorum vulgus eminent; quantum lenta solent inter viburna cupressi. Ipsi quoque Patres Neocæsarienses mentem suam satis explicant, dum chorepiscopos illos συλλειτουργοὺς hoc est comministros vocant. De mente autem hujus canonis videre est eruditissime disserentem P. Marcam Concord, lib. 2. cap. 14. *paragr.* 3. ubi prolixe & docte de universa chorepiscoporum potestate, nunc laxata, pro temporum & regionum genio, agit, etiam de chrismandi facultate. Zonaræ explicationem quam adfert, interpolando depravat. Ipse enim satis perspicuè suam mentem explicat, dum Chorepiscopos presbyterorum & diaconorum ordinandorum facultate caruisse ait. De chrismatis obsignatione ne verbum quidem habet: Uti nec Balsamon quem Zonaræ subjungit. Itaque Neocæsariensis hic Canon Græcorum presbyteros non coercet a chrismando. Damasi & Joannis III. subleltæ fidei testimonia frustra citari jam ante dixi. Fragmentum quoque illud epistolæ S. Leonis I. in Hispaniensi officina confictum emunctæ naris homines censent, nihil enim cum Leonis eloquentia commune habet, ut ex Concilii Hispalensis II. decreto 7. manifeste notum est.

Canon Pseudo-Nicænus, qui sequitur, à Coccio similibusque rapsodis immerito ad Arabes relegatus Hispaniæ suæ postliminio restitui debet Est enim inter Illiberitanos 77. Ex eo discimus Episcopum baptizatos à diaconis per benedictionem perficere debere. Sicuti ante Canon 38. baptizatum à laicis in necessitate, ad Episcopum postea perducendum constituit, ut per manus impositionem perfici possit. Neutro canone quidquam contra Græcorum presbyteros statuitur; imo ne adversus Hispanienses quidem: quos ex Episcopi permissu baptizatos chrismasse, ex Toletano & Bracarensi concilio supra jam dixi, & paulo post indubitato ostendam. Et ni fallor ipse hic 77. Canon ejus moris vestigium habet. Cur enim baptismus à Diacono collatus Episcopali benedictione perficiendus, non autem qui confertur à presbytero? Distinguit enim manifeste baptismum presbyteralem, vel excipit potius, quasi nihil ei adjũgendum sit. Sic Canon 20. Cõcilii Toletani I. Quin à principio notavi obsignationem frontis ab impositione manuum apud veteres distinctam fuisse, quod etiam ad hunc & sequentẽ *paragr.* observandũ. Canon Concilii Carthaginensis, sive quarti, ut tu dicis, sive secundi, ut acta Conciliorum volunt, illud vetat quod Græci nunquam licitum putarent. Chrisma enim apud illos non solum sacerdos, sed nec Episcopus quicunque conficere potest; sed solus Patriarcha. Verum quod confectionem illam etiam ad collationem sive obsignationem trahere vult, sane violenter & præter rationem omnem facit; neque solos Græcos ea in re obtrectantes, sed omnes doctos & judicio aliquo pollentes sibi adversantes habet. Interim S. Augustinum Canonis interpretem producit, quem auctorem cum aliis fuisse existimat. Sed quid illius verba ad chrismatis unctionem, cum de manuum impositione tantum agatur, quam Ecclesia occidentalis tunc distinxerat ab unctione frontis?

Quod autem chrismatis confectione etiam collationem comprehendi ex Gregorio Proto Syncello & Photio probare conatur, egregie operam ludit. Nam Græci illi ex suæ Ecclesiæ usu loquuntur: quod de Proto-Syncello sole clarius est. Photii locum Federicus Metius vertit, ut testatur ipse Baronius. Sed Græcum exemplar in Vallicellana bibliotheca, eidem Baronio laudatum, dubium omne tollit. Dicit enim Græcorum chrisma, ex sententia Latinorum esse inutile, καὶ μάτην ἐκτελεῖσθαι hoc est, frustra adhiberi, insumi, impendi, conferri, præberi. Ubi ne per somnium quidem confectio intelligi potest. Sirmondus aliique docti viri presbyteros eo tempore baptizatos chrismate obsignasse ex hoc ipso Canone colligunt, quia non collatio, sed sola confectio eis negatur. Tum vero certissimum argumentum est, si presbyteri tunc chrisma conficiebant, multo magis in obsignatione unxisse baptizatos. Illud enim majus & Episcopale munus, alterum non item; nam sacerdotibus passim permittebatur. Nihil illustrius exemplo & constitutione S. Silvestri PP. de quo Anastasius in ejus vita: *Hic constituit chrisma ab Episcopo confici: & privilegium Episcopis dedit, ut baptizatum consignarent, propter hæreticam suasionem. Hic & hoc constituit*

ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Si ergo consignationis privilegium à Silvestro datum fuit Episcopis; sequitur ex jure communi & ordinario etiam alios, non Episcopos, consignasse. Privilegium enim proprie est quod contra jus commune conceditur, quasi privata lex. Ergo ante S. Silvestrum etiam presbyteri consignabant. Sed quod primum communiter & passim faciebant, hoc à Silvestro non sublatum penitus, sed ad casum necessitatis restrictum fuit: scilicet ob privilegium & honorem ordinis Episcopalis; Hinc constat confectionem chrismatis à collatione diversam fuisse, & potiori semper loco habitam: Ideoque Silvester eam presbytris penitus ademit, collationem non item. Unde concludo, nec Africanos patres vetando presbyteris confectionem, simul etiam collationem chrismatis vetuisse.

Concilii in Trullo Canonem non esse, quem profert quinto loco, sed Theodulfi Aurelianensis verba, ad finem 1. capitis jam ostendi. Canon autem ejus Concilii 78. quem Theodulfus forte respexisse potuit, competentes Symbolum coram *Episcopo aut presbyteris* recitare iubet; adeoq; nihil penitus ad propositam quæstionem pertinet. Rectius ergo Græci ipsum sapere jubebunt, ne vaniloquio pacem Ecclesiæ Dei perturbet, & lites inutiles serat aut foveat.

AD CAPUT QUARTUM.

Quæ pro Græcis opponi possunt.

LOCUM S. Ambrosii, vel potius Hilarii Diaconi Romani, in Epistolam ad Ephesios, plane militari ausu, cum solvere nequeat, ferro dissecat: ita nullus illi nodus insolubilis. Neque enim quidquam tam certum & perspicuum afferri poterit, quod non eadem arte eludat aut adulteret. Scio in libro quæstionum ejusdem Hilarii, inter Augustini opera delitescente, pro *consignat* legi *consecrat*. Sed si utrumq; locum inspexisset contulissetque cum judicio, facile perspexisset ex ipso argumento quæstionis clarissime hunc locum ex altero emendandum, quod Arcudius, Sirmondus, aliiq; fecere; non illum ex hoc itidem corrumpendum. Nihil enim alienius ab auctoris mente fingi potest. Etenim presbyterorum dignitatem & prærogativam contra diaconorum fastum asserens, ut eos diaconis multo superiores probet, Episcopis ferme æquales esse ostendit; primum ex nominis consortio: quia Episcopi eos compresbyteros & consacerdotes suos appellant; tum etiam ex munerum & functionum Episcopalium participatione: præsertim in Ægypto, ubi presbyteri Episcopis absentibus consignabant baptizatos. Tota autem illa disputatio Hilarii vana erit & inanis, nisi presbyteris functio aliqua Episcopalis tribuatur. Expositio autem illa consecrationis ex recentiori usu loquendi petita, plane aliena est ab eo loco, imo manifeste absurda. Nam Virginum & Pœnitentium consecratio Canonibus antiquis æque interdicta est presbyteris, atque consignatio baptizatorum. Abbatum vero consecratio inter prima tunc vitæ monasticæ principia nulla fuit. Auctor enim ille Hilarius Liberii PP, diaconus fuit. Sed quærit hic disputator, cur Alexandrinæ Ecclesiæ hanc consuetudinem peculiarem notet Hilarius. Respondeo, quia quod alibi non nisi jubente Episcopo licebat Presbyteris, id Alexandrini quasi ordinario jure sibi licitum exercebant. Neque ea de re ambiget quisquis ex S. Hieronymo, epistola 85. ad Evagrium observarit, quam retinentes fuerint presbyteri Alexandrini dignitatis munerisque sui. *Nam & Alexandriæ*, inquit, *à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligerint de se quem industrium noverint; & Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat;* Unde constat presbyteros Alexandriæ usque ad annum Christi 246. non tam Episcopos sibi constituisse, quam Archipresbyteros; quibus excepta primæ cathedræ dignitate cæteri omnes compresbyteri in functionibus ecclesiasticis essent quodammodo pares: nisi quod Episcopis illis pe-

culiariter ordinationum jus & prærogativa competeret. Quis ergo miretur, si presbyteri illo sæculo consignnadi potestatem adhuc retinuerint? Neque enim omnes Ecclesias istorum temporum ex usu & consuetudine Romanæ metiri decet; ubi multo minus honoris & auctoritatis relictum fuit presbyteris, quam in aliis provinciis. Nam in Concilio Romano sub Silvestro, presbyteri non sedebant cum Episcopis, sed cum Diaconis ceteroque clero astabant. Et quamvis sub Damaso aliisque, consessus honorem habuerint, Gelasius tamen eundem ipsis ademptum, vel saltem ad Episcopi nutum permissum voluit. Ait enim cap. 6, epist. decret. *Neque sub Episcopi aspectu, nisi jubeantur, sedere præsumant.* Huic constitutioni è diametro contrarius canon 34. Conc. Carthag. IV. *Ut Episcopus quolibet loco sedens stare prebyterum non patiatur.* Et can. 35. *ut in Ecclesia & in consessu presbyterorū Episcopus sublimior sedeat, intra domum vero collegam se presbyterorum esse cognoscat.* h. e. pari loco graduque sedeat cum presbyteris.

Verba Dionysii Areopagitæ de functionibus reservatis Episcopo, ἰδιάως, hoc est, uni & soli, exclusis ceteris omnibus, valde sunt clara; neq; Arcudii contradictionibus sive veris, sive fictis obscurari aut eludi possunt. Frustra illi fictitiam Eusebii PP. Epistolam obtendit, ut & Canonem Pseudo-Nicænum, quem Illibetitanum esse dixi.

Tertium Arcudii argumentum præter Dionysii mentem est, meritoque rejicitur; locus Clementis mutilus, ut hic profertur, non juvat oppositionem, nec ei robur ullum addit, sed potius enervat. Nam Clemens hic etiam Episcopo unctionem verticis reservat; quam cæteri omnes, etiam Romani, permiserunt presbyteris. Sed postrema capitis verba ad rem faciunt: *Posteà Episcopus baptizatos chrismate ungat*, quæ chrismationem soli Episcopo reservare videntur.

Quartum quoque argumentum invalidum videtur. Responsio clarior & solidior formari posset ex ipsa objectione Marci Ephesii, qui Latinos hæreticos esse eo probare conatur, quia ad Græcam Ecclesiam accedentes chrismate unguntur, eo modo ut Concilii Constant. 1. canone 7. constitutum est de Arrianis & aliis hæreticis recipiendis. Eruditè respondet Gregorius Protosyncellus, non fuisse illum usum antiquum & receptum apud omnes Orientales. Deinde eâ chrismationem non probare Latinos esse hæreticos, quia Latini vice versa etiam Græcos ad se venientes chrismabant, quos tamen non habebant pro hæreticis, quia in unione concilianda nihil Græcis objectum fuit quod hæresim saperet. Reconciliatio igitur illa per chrisma fuit præter rationem, ex mente & sententia Gregorii. Ex ea tamen sequitur oblique quod vult Arcudius. Nam si Latini chrismabant Græcos, ut illicite & invalide chrismatos à presbyteris, & tamen ex mente Gregorii Protosyncelli chrismatio illa Latinorum erat præter jus & fas, sequitur ex ejus sententia Græcorum chrismationem esse validam & non iterandam. Atque hoc agnovisse & probasse ait Ecclesiam Latinam, quæ in ipsa unione nullum scrupulum aut litem movit Græcis de ipsorum presbyterali chrismatione. Huic nodo solvendo editores Romani pag. 736. notam marginalem apposuerunt, quæ tamen rationem ex Gregorii verbis modo deductam non enervat. Itaque hoc non est merum somnium Arcudii; & hoc argumentum congruit cum sexto.

Quintum plane putidum est, neque ullo modo ad chrismationem trahi potest: recte autem Turrianus in notis Seminariorum Ecclesiasticorum formam quandam eo Canone adumbrari observavit.

Sextum ex Eugenii assensu, insolubile est: cum certum sit Latinos chrismationem illam presbyteralem non posuisse inter capita controversa, neque ulla inde unioni conciliandæ difficultas, aut mora objecta fuerit.

Hic tamen malo nodo malum cuneum reperit. Primo Acta Concilii toties solemniter à sede Romana approbata suggillans & sublestæ fidei postulans. Secundo inani distinctione Eugenii quæstionem ad posteriorem tantum Græcorum chrismationem restringens. Quod commentum nihil momenti habet. Eugenius ex S. R. Ecclesiæ usu, tum per universum Occidentem recepto, de chrismatione Græcorum sciscitatur: huic Græci perpetuū Orientis usum, & ante & post schisma observatum opponunt: cui Eugenius pacis & concordiæ studio sapienter acquievit.

Præter rationes tres sane invictas ab Arcudio allatas pro Græcorum usu, quarta addi potest superius à me proposita ducta ex consuetudine Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi presbyteris chrismationem simul cum baptismo conferri solitam, permissam fuisse solemni exemplo probavi: quod eludi nulla arte potest. Atque ut paulo ante pro Alexandrini presbyterii dignitate S. Hieronymum testem locupletem dedi: ita nunc pro CP. ipse loquetur Chrysostomus homil. xi. in 1. ad Timoth. Postquam, inquit, de Episcopis dixit; omisso presbyterorum ordine ad diaconos transit. Nam & ipsi docendi munus & Ecclesiæ curã (Græcè, προστασίαν quasi præfecturam aut præsidentiam) susceperunt: & quæ de Episcopis dixit, etiam presbyteris congruunt. *Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Si solam ordinationem Episcopis reservat, chrismationem etiam presbyteris relinquit. Habemus de Alexandrina, habemus de CP. diœcesi testimonium. Ecce aliud de Pontica sive Asiatica Firmiliani Cæsariensis Episcopi antiquissimi apud S. Cyprianum epist. 75. *Omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta est, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Ubi *majores natu* vocat, quos paulo ante seniores & præpositos appellavit; eosque Pammelius recte *presbyteros* explicat. Superest Antiochena sive Orientis diœcesis, ex qua Armeni, Persæ, Mesopotameni fidemque ritusque acceperunt, idque ante quarti sæculi finem. Postea Sarracenorum potestas & imperium eas provincias cum occupasset, à Græcorum commercio separavit. Accessit quoque Nestoriana hæresis, quæ Assyriam, Syriamque omnem, & Ægyptum infecit, & Jacobitarum secta constituta à citerioribus Asiæ Græciæque Ecclesiis implacabili odio disiunxit; duobus ferme integris sæculis ante Photium: Apud hosce jam olim chrismasse presbyteros fidem indubitatam facit Canon 33. collectionis Arabicæ; cumque belli sacri occasione Latinis innotuissent, presbyterali chrismatione, itidem ut cæteri Græci & Asiatici citeriores, utebantur. Quæro ego, quomodo omnes istæ nationes à Græcis CP. Imperio subjectis, & commercio disjunctæ, & implacabili religionis odio dissidentes, chrismationem presbyteralem à Photio & schismaticis nono demum seculo, ut noster vult auctor, introductam, tam facile recepérint, ut veterem chrismandi modum cum novo ritu penitus permutarint. Idem de Æthiopibus interioribusque Abissinis dici potest, qui multis sæculis ignoti Lusitanorum negotiis & navigationibus detecti, nonnisi presbyteralem obsignationem habuere. Numquid ad illos quoque Photius eam invexit. Legi insignem relationem Cosmæ monachi Indicopleustæ de Taprobana insula, quæ nunc Zeilan, olim Seiladiva dicebatur, ubi Justini Imperatoris ætate Ecclesiam Christianorum presbyter in Perside ordinatus una cum diacono suo regebat. Quis eum una cum baptismo obsignasse dubitet fideles, quibus nulla Episcopalis visitatio expectanda erat? Sed nullum clarius, nullum majus testimonium afferri potest pro presbyterali chrismatione Græcorum, quam quod supra ex Innocentii I. Epistola ad Decentium protuli, quæ enim illic peregrinæ vel alienæ Ecclesiæ à Romana consuetudine dissidentes intelligi possunt nisi Orientales? Nam Occidentales a S. Petro ejusque successoribus fundatas expresse excipit. Atque hæc quidem pro Orientalium chrismatione ex veterum Orientalium testimoniis, & Ecclesiarum istarum usu antiquo afferri possunt.

Sed maxima præsidia Græcorum chrismatio habet in Occidentali Ecclesia. De Romana paulo ante dixi ex vita S. Silvestri PP. apud Anastasium: qui cum chrismatis confectionem solis Episcopis reservasset, obsignandi quoque privilegium iisdem dedit: ita tamen ut presbyteris etiam chrismationem relinqueret in necessitatis articulo. Idem fecit Innocentius I. dicta Epistola ad Decentium cap. 6. ubi energumenorum consignationem presbyteris ex Episcopi præcepto permittit, promiscua ex Ecclesiæ Romanæ consuetudine eis adempta, quam peregrino aliarum Ecclesiarum more sibi usurpaverant. Eandem quoq; audaciam & proprii motus præsumptionem castigavit Gelasius; non legitimum usum permissum ex voluntate jussuque Episcopi: quem suburbicariæ aliquot Ecclesiæ etiam S. Gregorii M. tempore retinuerunt, ex longo & antiquissimo majo-

rum usu. Cum S. Gregorius M. Sardos sacerdotes vetuisset baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate; sed Episcopis frontis obsignationem voluisset reservari Epist. 9. lib. 3. paulo post Felix Episcopus, & Cyriacus Abbas ex Sardinia Romam profecti retulerunt sanctissimo Pontifici quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuisset. Gregorius prohibitionem illam quasi excusans scribit Januario Metropolitæ Caralitano, *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Multa ex Gregorii verbis deduci possunt pro chrismatione presbyterali in Occidente consueta. Primo prohibitionem illam ita novam & à Sardorum consuetudine abhorrentem visam fuisse, ut scandalum animique dolorem ipsis pareret. Secundò illos usum suæ Ecclesiæ opposuisse; quem S. Gregorius non ut erroneum damnat: neque ut legi divinæ, sed ut veteri Romanæ Ecclesiæ usui adversantem se prohibuisse fatetur. Tertiò, ad veteris Alexandrinæ Ecclesiæ exemplum concedit; ut Episcopo deficiente à presbyteris administretur chrisma. Quod & CP. presbyteri Chrysostomo sacris prohibito solemni baptismo fecerunt.

In Africa presbyteros chrismasse quis dubitet, cum etiam aliquando Chrisma eos confecisse constet; quod supra allegato Canone Carthaginensi prohibetur, non autem unctio chrismalis in baptismo. Nam qui majora sibi usurpabant, administrabant sine dubio etiam minora. Etenim qua specie presbyteri non in suum, sed Episcoporum usum chrisma conficere ausi fuissent? Sed qui libere in baptismi obsignatione utebantur, ejus etiam consecrationem sibi arrogarant.

Hispanorum vicinorum exemplũ usumque sole clarius nobis proponit Concilium 1. Tolet. can. 20. *Quoniam pene ubique custoditur ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma facere, &c.* Vides hujus Concilii tempore an. 438. presbyteros alicubi chrisma confecisse, in Hispania non solos Episcopos: quod postea fieri vetant. Subjungunt de usu chrismatis. *Statutum vero est, diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Si ergo etiam diaconi tum chrismabant, quanto magis presbyteri, non solum absente, sed & præsente, jubente tamen, Episcopo? Partem hujus Canonis Martinus Bracarensis suæ collectioni postea inseruit cap. 52. *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi forte ab Episcopo illi fuerit præceptum.* Confirmationem hanc presbyteralem deinde in Hispania viguisse apparet ex Conc. Barcinonẽ. II. cap. 2. *Statutum est ut cum chrisma presbyteris diœcesanis pro confirmandis Neophytis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Vides presbyteros confirmasse Neophytos chrismate, adhuc sub finem sexti sæculi: cum enim in finem id accipiebant ab Episcopis. Sed mox sub principium septimi sæculi una cum Romanorum Pontificum Innocentii & Gelasii decretis etiam Romanæ Ecclesiæ consuetudo per Hispaniam recepta fuit, & presbyteris chrismatio penitus interdicta. Hoc ostendit Concilii Hispalensis II. decretum 7. his verbis; *Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio; quædam sibi novellis & ecclesiasticis regulis prohibita noverint:* & mox inter alia; *nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, &c. Hæc omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatus apicem non habent.* Ubi nota, non jure divino, aut veteri Ecclesiæ Hispanicæ instituto, *sed novellis & ecclesiasticis regulis* hæc vetita dici, Innocentii scilicet primi decreto, cujus verba citat. Neque hoc solum in publica Bæticæ synodo, cui Isidorus Hispalensis Metropolita præfuit, constitutum; sed etiam privatim ab eodẽ Isidoro relatum in librum 7. Etymolog. cap. 12. totidem pene verbis. Sub finem deinde septimi sæculi pia fraude ab Isidoro Mercatore confictæ fuerunt Epistolæ illæ decretales sub primorum Pontificum nomine, de quibus sæpius jam dixi, & Cardinalem Baronium sapienter graviterque judicantem videre licet ad an. 865. num. 5. & seqq. & P. Marcam concord. l. 3.

cap. 5. In hisce nuper receptæ consuetudines antiquitatis fuco incrustantur, spuriis Eusebii, Damasi, Leonis, & Joannis III. literis; quibus noster hic disputator Græcos frustra impugnat.

In Galliis presbyteralem chrismationem olim obtinuisse Concilii Arausicani I. Canon 2. abunde testatur: dum ministros, qui baptizandi officium recipiunt, nusquam sine chrismate prodire jubet. Scilicet ut baptizatum simul quoque chrismarent. Cujus Canonis sinceram lectionem verumque sensum jac. Sirmundus eruditissimis suis antirrheticis contra personatum Aurelium ita asseruit, ut solem mero meridie lucere dubitet qui de presbyterali Gallorum chrismatione vel minimum posthac ambigat. Eandem confirmat Concilii Vasionensis cap. 3. qui ipsos presbyteros potius chrisma ab Episcopo petere jubet, quam diaconos aut inferiores Clericos, dum ait: *Optimum autem est ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est.* Hic nulla disputatorem distinctio ex posteriori usu petita juvare poterit, quia tunc non nisi una in baptismo erat chrismatio, ut superior ille Canon Arausicanus testatur, & Arelatensis Concilii 2. Can. 17. Ad hæc irrefragibile argumentum pro presbyterali chrismatione, Canone illo Arausicano permissa, ducit idem Sirmundus ex antecedenti Canone 1. qui iisdem presbyteris hæreticos cum chrismate & benedictione consignari statuit. Hanc vero chrismationem nõ mere ceremonialem, sed veram & sacramentalem fuisse, & chrismationis in baptismo à Novatianis aliisq; similibus hæreticis omissæ complementum indubitatam fidem facit Concilii Constantinopolitani I. Canon 7. quem Theodoretus lib. 3. Catalogi hæresum de Novatianis agens, ita explicat. *Hi quos baptizant, illis sacrosanctum chrisma non conferunt. Ideo eos, qui ab hæresi ad Ecclesiæ corpus redeunt, chrismari venerandi Patres præcipiunt.* Et extat libellus Græcus Timothei presbyteri CP. de triplici modo recipiendi eos qui ab hæresi ad Ecclesiam convertuntur, ubi secundus gradus est τῶν χρισμένων ἁγίω μύρω, eorum qui unguntur sancto chrismate.

Hæc præter Arcudiana illa pro Græcis afferri possunt, non solum ex orientalis, sed & occidentalis Ecclesiæ antiquo usu. Hisce bene expensis respondeat disputator, priusquam Græcos ita confidenter incurrat.

AD CAPUT QUINTUM.

De consensu Pontificio.

HIC non opus est confutatione longiori. Universalis Ecclesiæ consuetudo sufficiebat olim pro lege, neque in ritualibus illis sacramentorum consensus specialis aut dispensatio Apostolica requirebatur. Alexandriæ & Ægypti usus notus erat Romæ, non soli Hilario diacono; sed etiam Liberio & Damaso. Sic CP. Ecclesiæ exemplum, ubi presbyteri ex officio & usu communi cum baptismate chrisma conferebant absente Chrysostomo, dispensationem Pontificiam non requirebat: Sed cur Græci tum eum consensum expectarent, quo ut ipse Innocentius II. docet Eugubii & in aliis diœcesos Romanæ locis nequaquam opus erat? Ille enim, ut presbyteri consignent, non supremam sedis suæ auctoritatem, sed solam Episcopi jussionem requiri manifeste scribit quod nisi Episcopus præceperit, nõ licet. Vide sup. pag. 7. Concilia Hispanica Tolet. I. & Bracarense III. & Martini Bracarensis Canones non ex dispensatione Apostolica, sed sua auctoritate statuunt, *ut presbyteri absente Episcopo chrisment*, absolute & sine ulla reservatione? *præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Vides, quã nmale prima septem Ecclesiæ sæcula, ex hodierno usu metiamur. Nam tota hæc inanis disceptatio ex antiquitatis ignoratione nascitur; dum Canones veteres obtorto collo ad nostras hypotheses trahimus, non autem ipsorum mentem ex sæculi cujusque genio ac more explicamus. Eusebii & Damasi Epistolæ fucus est Hispanicus, sub finem septimi sæculi pia quidem, sed non probanda fraude consarcinatus, explosus à Bellarmino & Baronio atque omnibus eruditis, qui judicio aliquo in his studiis pollent, ut paulo ante ostendi. Leonis III. exemplo maxime congruit quod modo dixi, antiquitatis

monumenta singula ex sui cujusque sæculi more explicanda esse. Chorepiscopos in Galliis an. 439. chrismasse ex Concilii Regensis decreto constat, quod Armentario Chorepiscopo permittit, *ut plebi benedicendi, neophytos confirmandi*, virginem consecrandi &c. jus haberet, quâvis in ceteris Chorepiscopatû ejus valde accisum in angustias redegerit synodus illa Regẽsis, Controversiã in Galliis exortam regnante Carolo M. de Chorepiscoporum potestate accurate discutit P. Marca concord. l. 2. c. 14. Leonis III. sententiâ in eosdem latâ, non solum, ut nimis severam moderata est Synodus Ratisponensis anni 799. sed plane contraria constitutione rescidit Nicolaus I. epistola ad Rudolfum Bituricensem, cujus supra memini. Sane Chorepiscopos à meris presbyteris distinxit, eisdemque prætulit antiquitas, ut Canon Nicen. VIII. Chalced. I. Antioch. can. 8. sed eorum potestas non ubique, neque semper eadem, verum ab Episcopis, ipsisque Pontificibus Romanis modo restricta, modo ampliata fuit; ut P. Marca supradicto loco accurate & prolixe docet.

Cætera Pontificum Romanorum exempla, quæ Photii ætatem sequuntur, nihil ad quæstionem ex antiquitate dijudicandam faciunt.

AD CAPUT SEXTUM.

De approbatione Pontificia.

HOC caput vanum est & inane, & per seipsum concidit. Insultat Arcudio, quasi ante schisma inaudita fuerit apud Orientales Presbyteralis obsignatio; ideoque Pontificum approbatione opus non habuerit. Sed rationibus nihili perspicuè confutatis corruunt quæ frustra conatur superstruere. Non enim Orientis tantum sed & Occidẽtis Ecclesias chrismationem presbyteris olim permisisse, certo ostendimus scientibus & approbantibus Romanis Pontificibus, nihilq; suæ dispensationi reservantibus, cũ res ea plenissime à Synodis & Episcopis penderet. Illud iterũ moneo, distinguenda esse tempora, nec prima septem Ecclesiæ sæcula confundenda cum sequioribus; quando antiquitatis memoria obliterari cœpit, novis spuriisque decretis ex Hispania tum emergentibus, quæ rudi & imperito sæculo nimis quam facile fucum fecerunt. Ita mihi de hac controversia Photiani schismatis occasione agitari cœpta inter Græcos & Latinos, nihil rectius Terentiano illo pronunciari posse videtur; *Neque tu illum satis noveras, neque te ille: hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.*

AD CAPUT SEPTIMUM.

Presbyteros Græcos Confirmasse ex permissione Episcoporum.

TOTO hoc capite frustra impugnat Arcudium. Duabus occasionibus chrismasse presbyteros certissimum est tam in Oriente quam Occidente. Primum, absente Episc. potestate ordinaria, ut in Ægypto & Constantinopoli, item in Hispania & Gallia. Secundo, præsente Episcopo, cũ ipse juberet; ut diserte testantur Canones Hispanienses, Toletanus, Bracarensis & Barcinonensis. Et Decretalis Innocentii I. Arcudium virum doctissimum frustra suggillat; neque enim mirum est alicubi hæsisse aquam homini, qui primus è tenebris tantis tam clarum extollere lumen studuit. Quid enim de Græcorum sacramentis ante Arcudium habemus quod alicujus momenti sit? Sed rectè facit, quod quæstionem ad veteris Ecclesiæ praxin restringat: inde enim judicandi rationes petendæ.

Primo, negat Ecclesiam Orientalem Catholicam ante schisma munus chrismandi commisisse presbyteris, idque ut. 1. 2. & 3. capite sufficienter probatum præsuppouit. Sed quam leves & invalidæ sint rationes isthic adductæ ad eadem capita ordine ostensum fuit.

Damasi & Joannis III. Epistolas supposititias frustra Græcis opponi sæpius dixi: eo enim confictæ & in lucem prolatæ sunt sæculo, quo pauci distinguebant qui id distent æra lupinis. Eugenius IV. ex sui sæculi more loquitur; ut & cæteri Pontifices qui post ortum schisma vixerunt.

Objectio

Objectio Arcudii ex consuetudine & usu Ecclesiarum occidentalium quanti ponderis sit ex iis quæ ad quartum caput dixi, æstimari potest: nullis enim sophismatis obscurari, nullis labefactari machinis possunt.

Concilii Toletani 1. Canonem 20. frigido & putido responso cludere conatur, quod summam sacræ antiquitatis ignorantiam prodit, quæ enim unctio hic fingi potest præter chrismationem baptismalem, quæ in veteri Ecclesia una & sola erat: quamvis eam postea Innocentius I. diviserit in verticalem, & frontalem? Etenim qui verticalem à Silvestro PP. institutam asserunt, soli nubem offundere student, nam Anastasius, aut quisquis Pontificalis libri auctor, ita perspicue de unctione sacramentali in fronte loquitur, ut nulla arte eludi possit. Unctio enim quæ baptismum præcedebat presbyteris & diaconis atque diaconissis licita & permissa fuit, ut ex Dionysio Areopag. Hier. Eccl. cap. 4. & Innocentii I. decretali aliisque apparet, & nunc in universa Occidentis Ecclesia observatur. Concilii Toletani mentem explicat Canon 52. Martini Bracarensis, & Canon 2. Concilii Barcinonensis 2. qui chrisma presbyteris diœcesanis dari solitũ ait, *pro confirmandis neophytis*. Quæ responsioni suæ firmandæ affert ex supposititiis Damasi & Leonis literis cariosa sunt fulcra. Nam Leonis illud fragmentum, ex Hispalensis Concilii 2. capitolo 7. consarcinatum est, sed male contaminatum. Canon ille 77. falso tribuitur Nicænis Patribus, ut sæpius dixi; pertinet enim ad Concilium Illiberitanũ. Toletani patres ex suæ provinciæ usu statuunt; Innocentius ad morem Ecclesiæ Romanæ Italos Episcopos revocat: ipse tamen energumenos & sonticos à presbyteris obsignari in necessitatis articulo permittit. Martinus Bracarensis Toletani Canonis sensum repræsentat priusquam spuriæ Epistolæ Damasi & Leonis exortæ essent.

Arausicanum canonem de vera chrismatione intelligendum supra ex Concilio Constantinopolitano ostendit, & Gallicana Ecclesia unctionem cæremonialem ignorabat, quæ non nisi unam chrismationem baptismalem noverat, ut præcedens Canon 1. ostendit. Idcirco Concilii mens ad eos restringenda est hæreticos, qui chrismate unioni Catholicæ erant restituendi. Illud vero nimis quam temere affirmat, confirmationem nec Catholicis moribundis potuisse conferri à presbyteris, quod manifeste Ecclesiæ constitutionibus repugnat, inprimis S. Silvestri, de quo supra pag. 10. *Hic enim constituit, ut baptizatũ liniret presbyter chrismate, propter occasionẽ transitus mortis*. Neq; aliam ob causam Innocentius I. cap. 6. Energumenos & sonticos à presbyteris obsignari voluit. Illiberitanus Canon de Diaconorũ baptismo loquitur sine presbytero vel Episcopo collato, & presbyteris nullum affert præjudicium. Innocentii III. alia erant tempora, alii mores. Silvestri primi mens certa & liquida est in Pontificali & actis conciliorum. Loquitur enim ille de obsignatione sacramentali Episcopis per privilegium tunc reservata, presbyteris autem in casu necessitatis tantum permissa. Vide supra utcunque alii ad hunc solis radium cæcutiant. Chrismationem presbyteralem ex mera Episcopi voluntate & jussu olim pependisse firmissime supra ex Innocentio I. aliisque conciliorum canonibus ostendi, si tamen ipse præsens adesset Episcopus; nam absente Episcopo, libere & absolute licebat hoc presbyteris, irrefragabili antiquitatis testimonio. Ita toto hoc capite omnia vitium sonant.

AD CAPUT OCTAVUM

Utrum Mytilenensis Episcopus Eugenio PP. de hac controversia satisfecerit.

HIC proterve Græcos incurrit, & ut sibi conciliet fidem, actis Concilii Florentini eam detrahit. Eo quam bene de Ecclesia mereatur ipse viderit. Ad veritatem dispiciendam duo præsuppono, & Mytilenensem Canonum morumque veterum fuisse peritiorem, & Eugenium, PP. studiosiorem pacis & concordiæ Christianæ, quàm nostrũ hunc disputatorẽ: unde nec illi in presbyterali confirmatione probanda ulla difficultas; neque huic in ea admittenda mora aut tergiversatio; ideoque tanti momenti visa non fuit, ut inter capita controversa, post composi-

ri nequeant, nisi boni genii instinctu ductuque quodam divino ad veram & germanam scientiam perducantur: ab ea sanandis vim quandam purgatricem propinari, quæ priorem fraudis & erroris haustum expurget, ut inde recta ad veritatem & felicitatem supremam perveniant. Idem sibi principio hujus disputationis evenisse auctor scribit, propinatumque menti suæ novæ opinionis poculum à Card. Justiniano ingenue fatetur: quod quamvis ægre sorbere potuerit, ita tamen intimis medullis combibisse ait, ut animum vix unquam hoc redditurum existimet. Reddet tamen spero, quod invito & nauseabundo stomacho hauserat, ubi purgatricem veritatis vim gustaverit, quam ei nunc bibendam propinamus. Manifeste enim perspiciet, novum illud commentum merum fucum fraudemque esse, alienum prorsus à Concilii CP. aliarumque synodorum mente, à SS.Patrum, præsertim Pontificum Romanorum sensu, & à perpetuo Latinæ pariter Græcæque Ecclesiæ usu. Ego vero pessime illos de Ecclesia Dei & Catholica religione mereri affirmo, qui Canonis istius mentem pervertendo ac depravando fortissimum nobis certissimumq; telum eripiunt, ad hæreticorum errorem de Confirmationis sacramento configendum. Quid enim illis majus, opportuniusve obtingere potest, quam ut apud Catholicos ipsos, & quidem Romæ, non trivialem quendam & proletarium hominem, sed C rdinalem eumque, ut hic quidem eum prædicat, eruditissimum erroris sui suffragatorem inveniant, qui, quod ipsi obnixe & operose contendunt unctionem chrismatis tam evidenter descriptam in generalis Concilii decreto, meram ceremoniam esse pertendat?

Atq; eo majus operæ pretium fuerit vindicare hunc Canonem à manifesta corruptela, eiusque sensum clarum & perspicuum contra novas offucias asserere. Nam si eum de Chrismationis sacramento loqui invictis rationibus ostenderimus; formula obsignandi ab eodem Canone præscripta post tot sæculorum usum in dubium revocari non poterit.

Assertio Canonis VII. Constantinopolitani.

CANON hic hæreticos ad Ecclesiam accedentes in duo genera dividit, quorum primi oblato libello hæresin ejurantes chrismate unguntur formula verborum à synodo præscripta: alii de integro baptizantur. Rationem hujus differentiæ interpretes Græci & Latini, ut videbimus, hanc assignant; quoniam priores illi recte in Trinitatis nomine baptizati iteratione baptismi non egent: posteriores autem male & nulliter baptizati, gentilium instar catechizandi primum & exorcizandi sunt, & tum demum baptismo Ecclesiæ initiandi. De posteriorum baptismo lis aut dubium nullum est, quin verum regenerationis sacramentum intelligatur; de priorum chrismatione lis Græcis movetur, utrum & ipsa vera & sacramentalis intelligenda sit, an vero, ut vult disputator, cæremonialis tantum.

Et quamvis verba Græca Canonis ita perspicua & clara sint, ut solis radio scripta videantur, lucem tamen illis mutuabimur à luminaribus Ecclesiæ, hoc est, Sanctis Patribus Græcis & Latinis, qui disertim eum Canonem citant, vel ita ad eum alludunt, ut nullus sana mente præditus eum innui dubitare possit. Ex Græcis unus instar omniū erit Theodoretus, qui quadraginta circiter post Synodum CP. annis scripsit lib. 3. de fabulis hæreticorum cap. quod est de Novatianis, *Iis quos baptizant sanctissimum chrisma non conferunt: ideoq; ab hac hæresi ad Ecclesiæ corpus revertentes venerādi illi Patres ungi præceperunt.* Quis Theodoretum hoc CP. Synodi decretum de Novatianis chrismandis intelligere dubitet, & quidem eadem sacramentali chrismatione, quam Orientalis Ecclesia baptismo semper conjunxit? Hanc enim à Novatianis omissam, vel ab aliis nulliter collatam Concilium in eorum receptione vel de integro, vel valide conferendam statuit. Caussam vero cur Chrismationis sacramentum omiserint vel neglexerint Novatiani perspicere est ex S. Cornelii PP. epistola apud Eusebium hist. Eccl. lib. 6. cap. 35. ubi Novatum, cum Clinicus baptizaretur, *neque chrismatis obsignationem postea neque manus impositionem juxta Ecclesiæ regulam accepisse*

scribit : Id magistri factum ut sectatores defenderent Chrismatis confirmationem ut non necessariam omiserunt. Unde certum & indubitatum est Canonem eam chrismationem Novatianis conversis conferendam statuisse, quam una cum baptismo accipere debuissent. Hæc Theodoreti ratio, & quidem verissima; cui aliam S. Patres adjungunt, ut mox videbimus; quia hæretici & schismatici extra Ecclesiæ unionem Spiritus Sancti gratiam conferre nullo modo possunt. Accedunt Theodoreto quatuor summi Pontifices, infallibiles ejusdem Canonis & Ecclesiastici sensus interpretes.

Primus est Siricius concilio ferme suppar, qui mentem ejus ignorare nullo modo potuit. Ille capitulo 1. celebris decretalis ad Himerium Tarraconensem, *Arrianos*, inquit, *nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus: quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.* Dico Siricium nō aliam intelligere Synodum quam CP. cujus hoc celebre tum decretum erat. Secundo eum Canonis mentē de unctione Chrismatis Latinæ Ecclesiæ more per invocationem S. Spiritus & impositionem manuum explicare, ut mox ex S. Gregorii M. verbis perspicue patebit,

Siricium sequitur S. Innocentius I. decret. cap. 47. *Arrianos, cæterasque ejusdemmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus; non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipere dignitate. Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptismate, illisque ministeriis arbitramur.*

Dico, quia solum baptismum istorum hæreticorum ratum tunc habebat Ecclesia, sequitur sanctificationem illam Spiritus Sancti per manus impositionem non nisi de vero Confirmationis sacramento, quo Spiritus Sanctus dari creditur, intelligi ullo modo posse.

Tertius erit S. Leo Epist. 85. Decret. cap. 48. qui manifestis verbis de confirmandi Sacramento explicat. *Qui baptismum*, inquit, *ab hæreticis acceperunt sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt: quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt.* Idem eodem sensu epist. decret. ad Rusticum Narbon. cap. 29. *Hi autem de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt: sed per manus impositionem virtute Spiritus Sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.*

Gregorius M. prædecessorum mentem clarissime explicat lib. 9. ep. 61. his verbis: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arrianos per manus impositionem Occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero & alios ex sola vera confessione recipit.* Addit mox: *Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ut sunt Bonosiani & Cataphrygæ, & alii tales cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur.* Hæc Sanctus Gregorius M. apposite ad Canonis Constantinopolitani & prædecessorum suorum mentem. In cujus verbis triplex habetur hæreticos & schismaticos reconciliandi modus. 1. per iteratum baptisma. 2. per chrisma & manus impositionem. 3. per solam rectæ fidei professionem. Ea autem diversitas nascitur ex diversitate hæresium sive sectarum, à quibus convertebantur ad Ecclesiam. Primò enim quibus baptisma nullum aut invalidum erat, rebaptizabantur: secundò quibus recta baptismi forma constabat, vis baptismi & gratia Spiritus Sancti per Confirmationis sacramentum conferebatur.

3 Qui Catholico ritu baptizati & confirmati à principio fuerant, & in uno aliquo capite fidei ita dissidebant a Catholicis, ut tamen ab externa Ecclesiæ societate non se separarent, hi sola rectæ fidei professione edita admittebantur. Qua in re Ecclesiæ Romanæ cum Græca probe con-

venit, ut ostendit Timothei Presbyteri libellus de triplici hæreticos recipiendi modo, & diu ante ipsum S. Basilius M. Epist. Canon. ad Amphilochium, ut paulo post videbimus.

Hactenus singulos testes audivimus de Constantinopolitani Concilij mente sententiam suam proferentes, nunc integras Ecclesias Synodosque eadem de re judicantes producemus, & primum quidem eas quæ Constantinopolitanum decretum antecesserunt.

Ecclesia Africana de hæreticorum reconciliatione sententia.

IN Concilio Africano apud Cyprianum epist. 70. quæsitum fuit, utrum, qui apud hæreticos & schismaticos baptizati fuerant, ad Ecclesiam Catholicam venientes rebaptizari debeant?

Statuit concilium rebaptizandos esse. Ratio illorum patrum hæc fuit. Quia unum est baptisma, quod nonnisi in una Ecclesia conferri possit: ideoque extra Ecclesiam apud hæreticos neque baptisma, neque ullum aliud sacramentum dari posse.

Concilij sententiam improbavit Stephanus PP. contrario hoc decreto, quod habetur in ejusdem Cypriani epist. 74. *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Stephani PP. verba, & veterem illam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem de manus impositione reconciliativa recte accipit Cyprianus epist. 71. ad Quintum, & in fine epist. 74. sed respondet tempora & res ipsas distinguendas esse, *Nam apud veteres hæreses, & schismatum prima initia, qui de Ecclesia recedebant, baptizati prius in Ecclesia fuerant. Hi* inquit epist. 71. *si postmodum peccato suo cognito & errore digesto ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere.* Sic epist. 74. à rebaptizandorum numero excipit eos qui baptizati in Ecclesia prius fuerant: *hoc enim*, inquit, *cum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi; & in ovile unde erraverant à pastore restitui.* Eadem mens Innocentij I. epist. 27. ad Episcopos Maced. *Qui à Catholica fide ad hæresin transierunt, eos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi.* Atque hanc ipsam consuetudinem recenset inter regulas veteres, quas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his, qui eam audire consueverunt.

Ex quibus apparet distinctam fuisse receptionem eorum, qui rite apud Catholicos baptizati, & confirmati ad hæreticos transierant & reversi per solam reconciliationem pœnitentiæ admittebantur; & aliam eorum qui extra Ecclesiam apud hæreticos baptismum acceperant, de quibus contendebant Africani Episcopi: horũ enim non solum baptisma, quippe extra Ecclesiam collatum, sed etiam Chrisma & Eucharistiam nullam esse censebant, cum neutrum extra Ecclesiam consecrari possit; adeoque pro profanis habendos. Eamque ob causam *de errore & pravitate venientibus ad unius Ecclesiæ veram fidem, dandam illis per omnia divinæ gratiæ Sacramenta, unitatis & fidei veritatem.* Ut loquitur epistola Concilij 70. apud Cyprianum. Ubi divinæ gratiæ sacramenta vocantur Baptismus, Chrisma, & Eucharistia. Atque ita ipse Cyprianus epist. 72. ad Stephanum PP. scribit, ab hæreticis & schismaticis venientes baptizandos esse. *Eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum. Tunc enim demum*, inquit, *plene sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur.* Quem locum insignem observat Pamelius, ad assertionem Sacramenti Confirmationis: nec sane ab hæreticis ullo modo refelli potest.

Neque vero quisquam perspicua hæc Cypriani verba eo elevanda existimet, quia baptismi iterationem contra Romanæ Ecclesiæ mentem defendit: quamvis enim de baptismo lis fuerit, attamen de manus impositione sive Confirmationis sacramento hæreticis revertentibus conferendo nulla inter partes controversia fuit. Quod adeo verum est, ut idem Cyprianus epist. 76. unici, nec iterandi baptismi patronos argumento petito à confirmatione illa, ab ipsis etiam in hæreticorum receptione observata, urgeat, dum ait: *Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeant Spi-*

Sancta Romana Ecclesia cæterorumque Occidentalium eadem de re sententia.

INNOCENTIUS I. epist.27. Romanam Ecclesiam in reconciliandis hæreticis veteres regulas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas custodire scribit. Idem testatur Eusebius hist. eccl. lib. 7. cap. 2. & 4. ubi controversiæ inter Stephanum PP. & S. Cyprianum exortæ meminit: tum enim veterem consuetudinem obtinuisse scribit, *ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes solis precibus cum manus impositione reciperentur.* Ideoque statuisse Stephanũ, nihil in ea re præter traditionem, quæ inde à principio obtinuerat, innovandum. Decretum Stephani, quod paulo ante ex 74. epistola Cypriani adduxi, ex ejusdem Cypriani & Innocentij I. mente de manus impositione reconciliativa intelligendum dixi: quia eos tantum intelligebat hæreticos regula illa antiqua, qui in Catholica Ecclesia rite baptizati & confirmati ad hæreses sectasque defecerant, atq; inde ad matris gremiũ cum pœnitentia solemni redibant. Eandem regulam secutus Eusebius PP. hæreticos quos invenit in urbe Roma, sola manuum impositione reconciliavit; teste Anastasio in ejus vita. Verũ paulo post Sylvester I. temporum necessitate & hæreticorum multiplici pravitate coactus, veterem illam Ecclesiæ suæ regulam, & consuetudinem à prædecessoribus observatam immutavit, & arctius restrinxit, nec ita promiscuam facilemque quorumvis hæreticorum receptionem esse voluit. Nam ut Epilogus Concilij Romani habet, tom. 1. Conc. Colon. pag. 255. *Constituit, ut presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem, Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret.* Unde perspicimus, quem auctorem Laodiceni & Constantinopolitani Patres secuti sint in suis Canonibus figendis; ipsum scilicet supremum Ecclesiæ præsulem & caput. Ecquis vero tam vecors fuerit, ut statutum hoc Sylvestri ad cæremonialem unctionem trahere audeat, cum disertim hic reconciliatio, & chrismalis Confirmatio, ut diversa ministeria distinguantur? Siricij, Innocentij, Leonis, & Gregorij M. verba clarissima, paulo ante allata non repeto. Ea autem Sylvestri decreto ita inhærent, ut ne pilum quidem transversum ab illo varient.

Accedat Romanæ Ecclesiæ Gallicana: quæ aliquot Synodorum constitutionibus mentem suam nobis contestatam reliquit. Arausicanæ Synodi Can. 1. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placuit.* Chrismatis consignationem Episcopis jure ordinario competentem, Presbyteris in casu necessitatis, absente aut deficiente Episcopo, permittit hæc Synodus; quæ & baptizatorum Chrismationem proxime sequenti Canone iisdem concedit; ut ad priorem disputationem ostendit. Similis Concilii Epaonensis Canon 16. *Presbyteros propter salutem animarum desperatis & decumbentibus hæreticis: si conversionem subitam petant, Chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Chrismatio sanis ab Episcopo expetenda in articulo mortis etiam presbytero permittitur: diversitas autem temporis & ministri veritatem Sacramenti non variat, sine quo hæretici sive sani, sive moribundi ad Ecclesiam revertentes admitti non poterant. Cæterum quæ duobus hisce Conciliis generaliter & promiscue constitui videntur, ea distinctius multo tradidit Arelatense II. Accurate enim triplicem illum reconciliandi modum explicat, quem supra ex S. Gregorij M. loco notavi. Primũ per pœnitentiam & erroris damnationem, Canone. 9. *Novatianum in communionẽ recipi non debere, nisi suscepta pœnitentia credulitate præteritum damnet errorem.* Secundum per chrismationem & manus impositionem, Canone 17. *Bonosiacos ex eodem errore, quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Tertium per novam baptismi collationem, Canone 16. *Photinianos, sive Paulianistas, secundum Patrum statuta baptizari oportere.* Illud peculiare hoc Concilium habet, quod Novatianos, quos Canon Constantinopolitanus cæterique patres

pag.101. Unde certissime concluditur, Canonem Constantinopolitanum de ejusmodi pœnitentium reconciliatione intelligi nullo modo posse; sed de vera & Sacramentali chrismatione accipiendum; prout eum SS. Patres Græci, & in primis Sũmi Pontifices Romani unanimi consensu explicarunt.

De Canone Niceno VIII. *&* IX.

CÆTERUM quia auctor sæpe numero Canonem 8. Nicænum ad testimonium & sententiæ suæ confirmationem citat, magnumque in eo præsidium collocatum putat, operæ pretium fuerit hunc quoque Canonem à perversa interpretatione vindicare, quod fieri vix poterit, nisi & 19. Canonem ejusdem argumenti ei adjungamus. Uterque Canon de iis agit, qui apud hæreticos baptizati, & ad Ecclesiasticos ordines promoti, inde ad Catholicam Ecclesiam revertuntur, quanam ratione recipi debeant. Prior itaque de Catharis sive Novatianis, eorumque receptione, posterior de Paulicianis, qui Paulum Samosatensem sectantur, definit. In hisce recipiendis eam statuit differentiam, ut quorum ratum habetur baptisma, eorum quoque rata maneat ordinatio; hoc est, ut ad quem quisque gradum apud suos ordinatus, ad eundem quoque in Catholica Ecclesia admittatur; quorum autem irritus habetur baptismus, eorum quoque irrita fit ordinatio. Statuit ergo Canon 8. ut Cathari post professionem fidei Catholicæ, singuli prout ante ordinati fuerant, suos ordines apud Catholicos quoque retinerent: ita ut, quibus in locis soli Novatianorum fuerant ordinati Episcopi, nec alius partis Catholicæ esset Episcopus, isthic post reconciliationem veri & ordinarii manerent Episcopi; eodemque modo presbyteri & diaconi. Ubi autem Catholicus etiam esset Episcopus, ne duo simul essent Episcopi, volunt Patres, ut Episcopus Novatianus, cum consensu Catholici, vel titularis tantum permaneret; vel Chorepiscopi, hoc est, ut nunc dicimus, Suffraganei vel Vicarii munere fungeretur: vel si Catholicus id nollet, ut minimum inter presbyteros locum retineret, scilicet, ne ordinatio ejus redderetur irrita.

Canon autem XIX. qui Paulicianos invalide baptizatos rebaptizari jubet, ordinationes quoque Clericorum apud ipsos celebratas, irritas facit: ideoque eos qui novo examine digni atque idonei reperti fuerint ad ordines Ecclesiasticos suscipiendos, ab Episcopo Catholico iterum ordinandos statuit. Itaque Canone VIII. non alia intelligenda est manus impositio præter eam, quæ fit in collatione ordinum; non autem cæremonialis & reconciliativa, qualem auctor sibi fingit in Canone Constantinopolitano VII. ut Confirmationis Sacramentum excludat.

In hac expositione Græci interpretes Canonum, Zonaras & Balsamo consentiunt, quorum prior vocem χειροθετουμένους alia æquipollente κεχειροτονημένους alter autem τὸ χειροθετηθῆναι explicat: ita ut uterque χειροθεσίαν pro χειροτονίᾳ hic accipiat: quæ sane vera & ipsissima mens Canonis est. Latinis interpretibus non æque convenit, ut ferme evenire solet, quoties unius linguæ sensus alia explicandus est; ubi improprietas & ambiguitas non nisi à peritissimis vitatur. Horum primus est, quem antiquissimum judico, & Concilii Chalcedonensis tempore Ecclesiæ Romanæ in usu jam fuisse certo scio. Hic ita vertit: *Ut per manus impositionem sacerdotum maneant in clero.* Dionysius Exiguus sequitur, qui novam versionem dedit, sed ambiguitatem eandem retinuit. *Ut manus impositionem accipientes sic in clero permaneant.* Tertius est Isidorus Mercator, aut quisquis versionis, quâ ille utitur, auctor fuerit, dum reddit paulo accõmodatius ad Græcorum mentem: *Ut ordinentur, & sic maneant in Clero,* hunc enim de ordinatione accepisse nullum est dubium ex voce qua utitur: & quamvis demus superiores illum sibi consentientes habere; omnes tamen in eo errant, quod ordinationem non ante apud suos acceptam, sed post reconciliationem ab Ecclesia cõferendam intellexerint, in quo vim Græcæ vocis parum adverterunt, quod præteritæ significationis est. Proletariis hisce duos statarios subjungo, quos Canonis mentem ex medio Ecclesiæ usu interpretatos certo constat. Prior Ruffinus hist. Eccl. lib. 10.